BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXV
E
27
NAPOLI

XXV
E
27

Digitized by Google

DE VITA
IN TERRIS
BEATA
LIBRI TRES,

Quibus præſentis felicitatis cum futura conciliandæ modus oſtenditur.

AVCTORE ANNIBALE
MARCHETTO MACERATENSI,
E SOCIETATE IESV.

Maceratæ, Typis Michaelis Archangeli Silueſtri. 1696.

DD. SVPERIORVM PERMISSV.

Dom. prof. neap. Soc. Jesu Cat. inscr.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI

OPITIO PALLAUICINO

ANNIBAL MARCHETTUS.

SALUTEM.

COgitanti mihi, Eminentiſſime Princeps, quid cauſæ ſit, quod cum nihil impenſiùs mortales vniuerſi ſtudeant, quàm vt beatam in terris vitam agant, neminem tamen ferè audias, qui non ſe miſerum clamet; incidit Democriti mortalium ſtudia perpetuò ridentis recordatio, qui, vt auctor Hippocrates eſt, Ep. ad damag. id præ ceteris ridere videbatur, quòd eorum plerique, vt vitam producerent, ſe ſe laboribus contererent, perimerentque. Haud abſimili ſtultitia eos omnes laborare crediderim, qui vitam beatam de medijs quærunt iniquitatibus, de peſtilenti-

Digitized by Google

bus, ſcilicèt, ac mortiferis potionibus, vnde ipſa animi vita, nedum beata perimitur. Hunc errorem tam perniciosum ex hominum mentibus eximere propoſitum mihi eſt, Princeps Eminentiſſime, at quia tam latè fuſus apparet, vt altiores egiſſe radices prodat, quàm vt meis viribus eradicare me poſſe confidam; te, tuæque auctoritatis robur in auxilium aduocare ſtatui: Quippe eorum, quæ dicturus ſum, teſtis mihi aderis locupletiſſimus. Ego verba proferam, tu te ipſo firmabis exemplo. Ego dicam, nonniſi inſignes pietate viros fore in præſenti vita felices: tu eximiam pietatem tuam, perpetua cum hilaritate coniunctam, qua te ipſe, qua ceteros beas, oſtendes. Ego denique longo orationis circuitu ſuadere conabor: tu ſolà tui præſentia, atque etiam recordatione perſuadebis: eriſque propterea fortiſſimum mei operis argumentum. Quare nulli potiùs libellum hunc dicari decuit, quàm tibi, qui ei pa-

troci-

trocinium contra oblocutores, vt nihil agas, impendes: ipſa tui nominis nuncupatio operi præfixa eius veritatem tuebitur. Quod ſi quis admirabilem iſtam tui animi tranquillitatem non pietati adſcribendam putet, ſed opibus, ſed honoribus, ſed purpuræ magnis in chriſtianam rempublicam meritis accerſitæ, aut collectæ, apud omnes gratiæ, aut perantiquæ generis nobilitati, aut ingenio omni doctrinæ genere exculto, aut eximiæ in rebus agendis dexteritati, comitati, benignitati, aut denique reliquis naturæ, ſeù fortunæ muneribus, quibus tàm cumulatè donatus es, vt ſingulis, nedum vniuerſis, tuæ faſtigium proſperitatis adſcribi queat: non enim potes non perpetuò gaudere, cum tam vberem gaudij materiam tecum ipſe perpetuò geras: ego tamen contra reponam, te ab iſtis omnibus in ſublime quidem, ſed vt abs te proculcatis euectum: nec magis illis tuæ mentis ſublimitatem te debere, quàm ſuã baſi quodlibet ſimulacrum.

Non

Non faciunt iſta felicitatem, ſed in edito locant, oſtentantque, æquè miſeriam, ſi qua eſſet, oſtentatura. Vni illam pietati debes, quæ te docuit iſta calcare, vt te ſupernis propiùs admoueres, & beatam Cœlitum conditionem, quatenus mortalibus licet, indueres. Hæc nempe pietas Deum O. M. vt ſuæ prouidentiæ argumentum daret, ad te ſupra ceteros decorandum impulit, quò mortales reliquos terrenæ felicitatis illicio ad æternam ſibi chriſtianæ virtutis ſtudio comparandam alliceret. Quam igitur à Deo felicitatem etiam in noſtrum emolumentum accepiſti, nobis, vti debes, reſtitues, ſi pietatem tuam, felicitatis fontem, exemplo, conſilio, pijſque ad Superos interpoſitis precibus in nos deriuaueris. Vale, teque tuis, quin et iam Eccleſiæ vniuerſæ meritis maiora pollicentibus incolumem ſerua.

THYR-

THYRSVS GONZALEZ

Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu.

CVm librum, cui titulus (De Vita in Terris Beata) à P. Hannibale Marchetto Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint; & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs ad quos ſpectat ità videbitur. Cuius rei gratia has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 3. Iunij 1694.

THYRSVS GONZALEZ

SI videbitur Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. FABRITIO PAVLVTIO Epiſcopo Macerat. & Tolent.

Imprimatur.

IVſſu Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi D. D. FABRITII PAVLVCII Epiſcopi Maceratæ, & Tolentini perlegi opus De Vita in Terris Beata ab admodum R. P. Hannibale Marchetto Societatis Ieſu editum, quod, nedum orthodoxæ fidei, boniſque moribus conſonum, verumetiam ſalutaribus monitis ad ritè beatèque viuendum vndique refertum reperi: Datum Maceratæ octauo Kalendas. Decembris 1694. Iulius Cæſar Roſſi Congregationis Miſſionis.

FR. Cyprianus Minuti Sacræ Theologiæ Magiſter Inquiſit. Generalis Anconæ

Imprimatur.

VOlumen, cui titulus, De Vita in Terris Beata Auctore admodum Reuerendo Padre Annibale Marchetto Inclitæ Societatis Ieſù; de mandato Reuerendiſſimi Patris Fratris Cipriani Minuti Inquiſitoris Anconæ, ſemel prò Officio, iterum prò documento attentè reuolui, & cuncta, Fidei, Sacris Canonibus, ſummorum Pontificum decretis, ac bonis moribus conſona, immo tàm

bene

bene diſpoſita, perpolito ſtylo deſcripta, ſolidis rationibus, Theologicis doctrinis, ſacræ ſcripturæ verbis, ac ſanctorum Patrum ſententijs exornata, firmataque inueni, vt potius ad Panegyrim, quam ad cenſuram ſolliciter; & ſanè mirum eſt quanta elegantiæ, parique pietate argumentum cæteroqui difficile vndequaque probatum relinquat; Non enim diuitijs, famæ, Potentiæ, Voluptatibus, acquiſita ſapientiæ, nèc denique terrenarum rerum cumulo, quod hominum deliramentum, ſed Deo per cupiditatum mortificationem, & ſolidarum virtutum exercitium, quod Catholicum eſt, adherere, bonum, beatumque definit; Et licet Tyronem in ſpirituali militia inſtruendum ſuſcipiat, mira dexteritate Veteranos milites, Duceſque perfectos obarmat, omni armatura fortium, diuinarum præcipuè rerum legitima contemplatione, quà animos exilarat ad percurrendam viam optatiſſimæ Hieruſalem, quæ edificatur vt Ciuitas æuo ſempiterno permanſura; haud igitur in tenebris permaneat, ſed lucem adeat, eam caligantibus ad peruidendum, quid ſit, quod Beatam Vitam etiam in terris efficiat, allaturum.

Sic ſentio in noſtro Conuentu S. Peregrini Anconæ 1. Octobris 1694.

Fr. Simon à S. Ioſeph Carmelitar. Diſcalceator. Prior, & S. Officij Conſultor, ac Reuiſor.

Imprimatur.

FR. *Bernardus Maria Lemos Clima S. Theologiæ Lector, Examinator Synodalis ac Sancti Officij Maceratæ Vicarius Ordinis Prædicatorum.*

DE VITA
IN TERRIS BEATA

PROOEMIVM.

Ad Adoleſcentes vitæ iucundæ Studioſos.

GRauiſſima, & præter vulgi opinionem, fidemque, Ariſtotelis ſententia eſt, Hiſtoriam non eò a Poeſi diſtare, quòd hæc fabulam, illa veritatem ſequatur: quin potiùs, quòd longè plus veritati ſtudeat Poeſis, quàm Hiſtoria. Hæc enim quid fuerit ſemel factum exequitur, illa quid fieri conſueuerit; ipſam conſuetu-

In art. poet. c. 9

Plus veritati ſtudet Poeſis, quam hiſtoria.

 di-

dinem ad rei vnius geſtæ modum, fabulæ opificio, componens. Plurima in vnum cogit, plurimiſque vnius nomen imponit: Fortes omnes, ac generoſos viros, exempli gratiâ, Herculis nomine compellat, cui eos affingit labores, quibus pares per fortiſſimos quoſque in viâ virtutis ſubeuntur. Hoc ſolùm mentitur, quòd vnam rem geſtam eloqui videtur, plures eloquitur: nempe plura largitur, quàm iactet, augetque beneficia extenuando, eorum gratiam condonans. Docet Hiſtoria, quæ bella, quo Marte geſſerit Alexander; quantum laborum exhauſerit Cæſar; quo auſu e ſuis ruinis ad ſummam potentiam erepſerit Marius, quoſque Barbaros, quęque ferarum gentium monſtra ijdem perdomuerint. Hos autem, ceteroſque fortiſſimos viros vnâ Herculis fabulâ Poetæ ſignificant, quo nimirum paria ad fabulę cantum accurrentibus perſuadeant. Quorſum hæc? inquies; eò nimirum, vt fabulę mox enarrandæ, ſub tam ſeueri ſcilicet argumenti initium, inuidiam a vulgi imperitiâ imminentem auertam: Pueros alloquimur ſeuerioribus inſuetos: fabulis amicę fores fuerant prætentandæ, vt ijs perſonata intraret veritas: & fortè fabellæ pudor admiſſę aures veritati, etiam retecto vultu ſuccedenti, detineret apertas. Illam igitur his præmonitus accipe.

Beneficia occulta donant debitum referendi.

Puero Herculi de viuendi ratione, ac viâ in poſterum ineundâ feriò deliberanti aſtitiſſe fertur per vi-

Hercules in biuio.

viſum Virtus cum Voluptate coniuncta. Ambæ ore, cultuque muliebri ad alienos ſibi oculos demerendos exornatæ. Illa tamen cum fœmineà venuſtate virilem quendam videbatur decorem maritaſſe. Hæc tota fœmina erat, tota ad illecebras, ac blandimenta compoſita. Vtraque puerum ad ſe inſequendam, ſingulę ſuam oſtentantes viam, hortabantur. Dextera nempe aperiebatur Virtutis via, ardua quidem illa, peranguſta, ſpinis horrida, ſalebris impedita. Contra verò ſiniſtra Voluptatis via in facilem quandam, & omnino æquabilem explicata planitiem, ſpatioſa plurimùm decurrebat: tota præterea adeo floribus, odoramentis, omniſque generis lenocinijs inſtructa, vt pacata omnia, proſpera, iucunda, denique non viam, ſed ſedem voluptatis polliceretur. Impar tamen vtrique exitus patebat: namque illa ad Cœlum vſque porrigebatur; hæc in tartareæ voraginis oram tandem dehiſcens cupido viatori, magnoque impetu procurrenti ſubducebat ſeſe, ſubſidebatque præcipitanti. Ad hæc Virtutis ſemita nullius quaſi pede trita, ac ferè cognita nulli, herbis, fruticibuſque deſueta vireſcebat: Ampla autem Voluptatis via ſummâ frequentiâ celebrabatur. Cuius diuerſitatis id erat in causâ, quòd itineris vtriuſque aditus ingredientium oculis expoſitus, apertuſque erat; exitus verò a conſpectu longè remotus, quò pertineret, diſſimulabat. Inuitabatur Alcides ad

Digitized by Google

Voluptatis premendam viam præeuntis multitudinis exemplo, quæ auctoritate ſuâ puero imperito ad deliberandum quodammodo ſuffragium prçripiebat, & magnum erroris (ſi quis incidiſſet) pollicebatur patrocinium. E contrario ad arduum Virtutis callem ſubeundum cœleſtis domicilij præmio validiſſimè trahebatur. Hâc itur, clamabat Voluptas: Hâc eundum Cœlo natis, reponebat Virtus. His auditis generoſus Puer Voluptatis inuitamenta deſpiciens; Pecudum eſt, inquit, ire quâ itur, hominum quâ eundum: arreptâque clauâ, grande fulturâ conſilium, in Cœlum, vnde aſtris redimitus conſpicitur, tandem euaſit.

Affabulatio. Hæc fabula, generoſe Puer, te etiam cum reliquis tuæ indolis æqualibus, modò non abnuas, in Herculem cogit (liceat mihi per hanc inanem auram, quam captas, te paulatim, dum meliùs ſapias, ad veram gloriam adducere). Tua illa imago eſt, ſi velis: te quoque referet, ſi te ad illam finxeris, & quaſi ad ſpeculum compoſueris. Hactenus gerulâ Naturâ vſus es; quò te illa tulit, ſecutus: nunc ab eâ in biuio Virtutis, ac Voluptatis deponeris tuo relictus arbitrio, tibi ipſi demandatus. Vtramque viam quàm longiſſimè potes ad vſque exitum proſpice: oculis, antequam veſtigio, decurre: Duces etiam explora, earumque ſectatores, quos non ad calculos, ſed ad trutinam reuocabis, facilè intellecturus, vnum Virtutis alumnum his cunctis leiculis

lis Voluptarijs prægrauare. Cumque omnia circumſpexeris, omnia conſulueris, puta in te, ita fabulæ partes, diſtribuendas, eiuſque ſententiam accommodandam, vt ſi te Voluptatis illecebris captari permittas, puer vltimam vſque ad ætatem, ſenio fruſtra reclamante, permaneas: Sin autem te Virtuti ducendum tradideris, in aſtriferum Herculem, ſeu veriùs Herculis contemptorem irriſoremque, Beatos inter Ciues aſtra cum ſuis fabulis proculcantes, euadas.

Metus pueriliis amittēdæ ob virtutē voluptatis.

Hęres ne adhuc meditabundus, ac reſpicis, dubius, vtri te potiùs committas? Quamuis enim fortaſſe Virtus probetur magis, Voluptas tamen vehementiùs trahit; proinde videtur tibi Natura illam ſuadere, ad hanc impellere, impulſionemque ipſam fortiorem Naturæ ſuaſionem interpretaris. Quis enim dubitet, inquies, quin impetus in Voluptatem a Naturâ ſit, dum in primâ ætate, nullis præterquàm Naturæ opinionibus imbutâ, vehementiſſimus ſit? In pueris enim nullâ arte fucatis Natura cum maximè prodit, & veluti electro incluſa pellucet. Illi autem in Voluptatem toti procumbunt: quidquid agunt, quidquid omittunt, aut meditantur, e nutu Voluptatis eſt. Num igitur hominis naturam exuam, vt hominem Virtute perficiam? An cum Naturâ ipſâ pugnabo, cui repugnare, ſi qua Tullio fides, eſt Gigantum more bellare cum Dijs? An potiùs vberiòris Voluptatis Cic. de Sen.

ſpe

ſpe in futurum a Virtute promiſſę inſtantem deſeram Voluptatem, hoc eſt, Canem agam Æſopicum, qui quam eſcam dentibus teneo, dimittam, vt eius imagini captandæ inhiem? Non hoc certè, Adoleſcens, auctore me, vnquam efficies: imò diligentiùs, ſed tamen cautiùs circumſpectiùſque voluptatem perſequèris. Nolo te ab eius inquirendæ itinere, ſed ab errore reuocare: non in diuerſum a tuâ te cupiditate ſeducam; ſed cupiditatem ipſam prauâ ſeductam opinione reducam.
Pſ. 33. 15. *Inquire pacem, & perſequere eam*: inquire vitam,
Ad veram ſolidamque voluptatem adhortatio. cui te Natura peperit, beatiſſimam. Hęreditas
tua illa eſt: ad hanc naſceris, ad hanc educaris,
ad hanc Diuinus Genitor ſacris e Cœlo miſſis litteris ſæpiùs inuitat. *Iubilate*, inquit, *Deo omnis terra,*
Pſ. 99. 1. & 97. 6. & 104. 3. & 31. 11. *ſeruite Domino in lætitia. Cantate & exultate, & pſallite. Lętetur cor quærentium Dominum. Lętamini in Domino, & exultate Iuſti, & gloriamini omnes recti corde.*
Ad Philipp. 4. 4. Denique *gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete*. Quæ verba, aliaque eiuſmodi quamplurima, non vtique Beatas in Cœlo mentes, ſed nos adhuc inter huius terræ offenſiones, caſuſque circumuolutos appellant.
Pietas nec aufert nec differt voluptatē. Quare non modò non auferre, verùm ne differre quidem felicitatem volo. Volo eam tibi in hâc vitâ contingere, & quidem vel morte inuitâ, ac repugnante, immortalem: imò, cum defeciſſe videbitur, tunc maximè perficiendam. Non eſcam dimittes, vt imaginem per-

perſequaris: ſed hanc deſpicies, ac præteribis, vt illam, quam Pietate miniſtrâ perceperis, mordicùs retineas. Inferiora enim hæc Bona Supernorum imagines ſunt a labentium rerum profluente repercuſſæ, non contra, cœleſtia ſunt terrenorum imagines: Illa ſi mente, ac voto retinuerimus, iſtis etiam, dum fluxa traijcimus, oculis perfruemur. *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius; & hæc omnia adijcientur vobis*; inquit, hortaturque idem ipſe, ad quem iſta ſpectat adijcere, vtique ſi dare nollet, non hortaturus. Hoc tibi approbare in animo eſt (quiſquis voluptatem tam perditè ſequeris, & ætatis florem, & quidquid in te indolis eſt, in illam demerſum ruis), vt potiori, atque in æternum manſuræ te voluptati reſerues. Noli te præeuntis ad inania turbæ fidei committere, memor, ſublimium duntaxat eſſe ad ſublimia niti, ac pertingere, humilis verò turbæ humilia, atque abiecta captare. Contine ab illâ mentis aciem pauliſper, dum eam meliori lumine inſtructam tutiùs in inſanientium choros immittas: dum agnita inſania, ac furor in fugam vertat, non ad conſortium inuitet. Hoc lumen libellus hic e Cœlo mutuatum promittit, præſtabitque, ſi quod conatur, perſuaſerit; Quidquid veræ, ſolidæque iucunditatis in præſenti vitâ mortalibus affulgeat, id non niſi per viam æternæ felicitatis, quaſi auri ramenta prope fodinas, occurrere. Binas in partes totum hoc opus ſe-

Matt. 6. 33.

Totius operis propoſitum.

ſecabitur: prima docebit, nihil iucunditatis in Vitio, niſi pollicitationem ineſſe; altera, ſolam Virtutem preſtare quidquid Nequitia pollicetur. Duabus tamen hiſce partibus mediam interſeremus, quæ modum tradat frenos cupiditatibus inijciendi, ne vitio vt ſolent, ſed virtuti, vt debent, famulentur. Quare in tres omnino libros omne opus digeſſiſſe placuit, e quibus eam viuendi regulam dabimus, ad quam quiſquis mores ſuos exæquauerit, quam bonam tantum ſe facturum vitam putauerat, beatam quoque ſe feciſſe intelliget.

Eiuſdem partitio

✠✠
✠

Digitized by Google

LIBER PRIMVS
CAPVT PRIMVM.
Confutantur veterum Philoſophorum de bonorum fine, ſiue de hominis felicitate ſententiæ.

NVllâ vnquam in quęſtione acriùs inter veteres Philoſophos dimicatum, pręter eam, quã de bonorũ, malorumque finibus agitabant. Finem bonorum dicebant, Bonum illud præſtantiſſimum, cui cetera bona obtinendo ſeruirent, nulloque magis, quàm huius ſeruitutis titulo nobilitarentur. Quemadmodum & finem malorum Malum illud teterrimum nominabant, in quod cetera mala vltimò impellerent, non ob aliud magis metuenda, niſi quòd extremum illud comminarentur. Hęc autem quęſtio, & pręſertim quâ ſpectat bonorum finem, vniuerſæ de moribus Philoſophiæ caput erat, atque vt a capite, ac vultu maximè homines dignoſcuntur; ita ab alio, atque

Quęſtio de vltimo fine inter Philoſophos acerrima.

A diuerſo fine diuerſæ ſectæ.

alio bonorum ſtatuto fine Philoſophorum inter ſe familiæ olim ſecernebantur. Queis enim diuerſus is finis eſſet, fieri non poterat, vt in reliquis Philoſophiæ partibus, in quibus de officijs ad illum conducentibus agitur, conueniret: ad eum ferè modum, quo, inter quos de ſede, ad quam itur, diſcrepat, de vniuersâ viâ diſcrepare, neceſſe eſt. Porrò hanc Boni præſtantiſſimi ſedem, cui noſtra felicitas inſidet, veterum Philoſophorum nulli inuenire licuit: inde mirum non eſt, eos de virtutibus ad eam ducentibus, ac de abducentibus vitijs tam abſurdè philoſophatos, vt ſæpe vitijs virtutis nomen induerent, virtutes vitiorum nomine dehoneſtarent. Quare non immeritò Ariſtoteles locum hunc in Philoſophiâ præ ceteris difficillimum cenſuit: quod vt doctis firmauerit argumentis, ſuâ tamen Viri doctiſſimi inſcitiâ luculentiùs comprobauit: putauit enim, beatam hominis vitam iiſdem cum corporeâ vitâ limitibus coerceri. Idem Philoſophorum plerique ſenſere, ſuoque errore memoratam difficultatem pariter confirmarunt. Cui enim inuenire fiducia ſit, quod ſagaciſſimos quoſque humani generis præceptores feſellit? Eorum omnium errores deſcribere longum eſt, & confutare operoſum, nec par futurum operæ pretium, vt quorum potiſſimos aperuit, eoque ſatis confutauit dies. Nonnullos tamen vel Auctorum famâ, vel ſectantium numero celebriores præterire non libet, vt ex immen-

Vnde tã multi de virtutibus, ac vitijs errores.

menſis ſapientiſſimorum hominum erroribus ediſcamus; altiorem eſſe noſtræ felicitatis ſedem, quàm vt ad eam contuendam humana poſſit aſſurgere ſapientia.

Tres in Claſſes partiri poſſumus quotquot de vitâ beatâ cenſuere. Primi qui minùs ceteris a rectâ viâ, quanquam longiſſimè, aberrarunt, ij recenſendi, quibus placuit, in animo, eiuſque bonis, corporis miniſterio paratis, humanã felicitatem locare: optimo quidem loco, ſed minùs tuto, vtpotè mortis, ac morborum omnium irruptioni obnoxio. Horum fuere præcipui Zeno, Anaxagoras, Ariſtoteles. Zeno in Virtute, atque Honeſtate locauit, Anaxagoras in Scientiâ, ac præſertim Contemplatione Vniuerſi, Ariſtoteles altiùs ceteris, & propiùs veritatem in Contemplatione Diuinitatis. Altera Claſſis eorum eſt, quos corporea voluptas hebetauit, ac tranſuerſos egit, eòque deduxit, vt in eo cęno finem bonorum omnium ſitum eſſe ſtatuerint. Huius tam lutulenti erroris vulgus Epicurum inſimulat, & fortè ſolo Epicureorum vitio, qui a Parente ſuo degeneres ad ſui nominis infamiam ipſum Parentem attraxere; licèt ab eo honeſtiorem iucunditatem ſectari, ſępè corporeæ voluptatis impendio quærendam, docti fuerint: Epicurum enim integro libro Laertius vindicat, erroremque ſuo ſe auctori reſtituere cenſet, Ariſtippo: cuius fortaſſe nomen non parum ab infamiâ defendit famæ indignatio tam tur-

Tres præcipuæ de vltimo fine ſectentiæ.

Prima in bonis animi locauit.

Secunda in bonis corporis.

Lib. 10. de Vit. Philoſ.

Tertia in bonis externis. turpe caput publicare dedignantis. Tertiam denique Claſſem obtinet, qui ſtultiſſimè omnium cenſuerunt, hominis felicitatem in ijs, quæ extra hominem ſunt, nempe in diuitijs, famâ, honoribus, poſitam eſſe. Hos citat ſuppreſſo nomine Ariſtoteles, l. 1. eth. c. 5. vt quos indignos cenſuerit, qui ſuâ etiam confutatione nobilitarentur.

Hâc triplici viâ a beatâ vitâ aberrarunt, quotquot eam ſine ductore ſunt perſecuti. Iam ductor adeſt idem ipſe, qui noſtræ felicitatis eſt Auctor. Errare non licet, niſi volenti, quando ille, qui bonorum finis eſt, ad bonorum finem, nempe ad ſe ipſum, manuducit, ſeu trahit: Proinde idem prorſus eſt, vnâ cum eo beatam vitam inquirere, atque inuenire. Io. 8. 12. *Ego ſum*, inquit, *lux mundi*: cuius nimirum lucis id proprium eſt, & vt ſeſe prodat, & vt viam ad ſe pertinentem illuſtret. Quid enim poſt Chriſti exortum viâ ad noſtram felicitatem illuſtrius? Quod ſeptem illi Sapientes, & quotquot alij Generis humani Doctores ignorarunt, iam noſtri Paruuli, quibus *Teſtimoniũ Domini fidele ſapientiam præſtat*, tam bene norunt, vt eorum cuilibet illud verè vſurpare liceat; *Super ſenes, ac ſuper omnes docẽtes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt*. Nemo vnus ex illis, modò Chriſtianâ imbutus ſit cathecheſi, tam rudis eſt, qui ſe natum in nihilum, ſiue vt in nihilum redigatur exiſtimet. Quiſque ſe diſcernere nouit a brutis, quiſque ſe animo præditum immortali, atque ad beatiſſimam

Noſtri paruuli veterib' Sapientib' doctiores. Pſ. 18. 8. Pſ. 118. 100. & 99.

apud

apud Superos vitam deſtinatum intelligit: quod tamen cum veterum nonnulli negarent, alij dubium haberent, ne dubiæ vel certæ iacturæ beatam vitam exponerent, cum in errorem conuenere; Non aliam homini expectandam felicitatem, quàm quæ in hàc vitâ mortali poſſet contingere. Quàm autem id abſurdè dicatur, pronum eſt eruditis diuinâ ſapientiâ auribus iudicare. Quid enim abſurdius, quàm ſub mortis arbitrio, ac veluti in eius oris hiatu beatæ vitę ſecuritatem collocare? Tremit ouicula Leoni tradita, licèt ab eo fortè ſaturo ad luſum accipiatur: Linguam vel blandientem, ſed blandiendo prægustantem, non ſecus, ac vicinos atque excitatos dentes, exhorret: nec differri tunc ſibi mortem putat, ſed inchoari, ac trahi, libentiùs moritura, ſi citiùs. Ouiculâ ſtupidior mihi eris, quiſquis inter mortis rictus, pro arbitrio claudendos, fore te beatum putes. Vix enim tutò vitam dixeris, quam vbi dicere inſtituas, iam mors momordit, demiſitque partem illam, cui nomen Vitæ imponere deſtinaueras. Non eſt, non eſt, ſi bene rem inſpexeris, huic nomini locus: Quidquid enim præterijt, iam morti acceſſit; quidquid expectatur, etiam ſub mortis arbitratu eſt: negare poterit, ſi libuerit, & fortè negabit: quod verò inſtat, tam anguſtum eſt vt Vitæ nomen non capiat, niſi expirantis. Cum igitur vix illi ſine mendacio vitam inſcribas, quâ fide vitam etiam beatam ob iucunda quædam data mi-

Veteres Philoſophi in vita mortali finé vltimum ſtatuerût.

Vitæ breuitas

miſerijs alimenta nuncupaueris? Terra iſta mortis viuarium eſt, vnde iam hunc, iam illum promi ad deuorandum quotidie cernimus: quàm igitur noſtrę erimus conditionis obliti mortales, ſi de ijs, quę nos morti ſuſtentant, beatam nobis vitam promittimus!

Eiuſdem ſtumnę. Adde morbos, quibus nulla conditio, nulla ætas excipitur, quin ea tunc plurimis, maximisque vrgetur, cum ad ſenectutem deuenerit, cuius a proſperitate beatæ vitæ nomen expectandum eſſe contendit Ariſtoteles: quo nempe tempore, & pauciſſima commoda, & fortè nullus eorum guſtus exiſtit, ipſo guſtandi ſenſu vetuſtate detrito. Quis autem tot inter morbos, totidemque tortorum manus beatam ſibi vitam promittat? At veteres Philoſophi cunctis ſuæ ſapientiæ alumnis promiſere, palàm illud iactantes, etiam in candente Phalaridis Tauro ſapientem exclamaturum; O quàm beatam vitam duco! Dixerint quidquid ineptiarum voluerint veteres Philoſophi, qui ærumnarum, & mœroris pleni, quàm vana docerent, ſeſe ipſos teſtes proferebant: Ego vocem illam, ſi verè in eo Tauro contingeret, naturâ non arte in mugitum exijſſe contenderem, vt quæ ſine Perilli ingenio, abſque eo quòd per Tauri fauces euolueretur, talis meis auribus accideret, tanquam digna boue philoſophante ſententia. Quiſque ſuo doctus experimento videt, magno quidem ſpiritu ampullas iſtas inflari, ſed paruo etiam impelli,

ſi, ac diffringi. Vnius gingiuæ dolor tantâ ſæpe acerbitate mentem ſollicitat, vt omnis aduocanda fortitudo ſit ad eam in ſuâ ſede retinendam. Quid ſi etiam ceteri corporis dolores accedant? quid ſi longè acerbiores animi cruciatus? nunquid beatæ vitæ locum facient? an potiùs ne miſeræ quidem relinquent? Non ſemper, inquies, dolor adeſt: at ſemper adeſt eius vicarius timor ipſo dolore ad fugandam ſecuritatem fortior, ac terribilior. Cæſarem memorant præ ipsâ morte mortis timorem formidâſſe, atque illud dixiſſe; Inſidias vndique imminentes ſatius eſſe ſubire ſemel, quàm cauere ſemper. Dolori enim modus ex damno eſt, & pro ſuo modo mœrorem animo taxat: at timor imminentium malorum pro eorum numero infinitus eſt. Vndique enim nos mala circumſtant, eaque grauiſſima, ac ſæuam mortem interminantia: etiam ſi ſingula metu prægustata modicum quid mœroris importent; vniuerſa tantum exaggerant, vt animum obruant, conficiantque. Inde multo plures videas licet mœrore ex impendentium malorum expectatione, quàm ex inſtantium dolore confectos. Timoris vis, quâ doloris maior.

Tollenda igitur de medio mors eſt, eiuſque metus beatę vitæ ſecuritati infeſtus: & ſi minus tolli dolores queant, frangendi, ac mitigandi ſunt, vt expectati minùs nos ſollicitos habeant, & minùs mœſtos metu præſumpti. Franguntur autem plurimùm, vbi, morte ſublatâ, hanc ampliùs minitari

non

non poterunt: quis enim edentuli canis latratu turbetur? Quin ſi ea, quæ dolorem afferunt, ad futura gaudia promerenda aſſumantur, etiam in præſentium gaudiorum materiam tranſibunt: Siquidem ex ijs Diuinæ caritatis, ac ſpei dulcedo, tanquam mel e tormentis exprimitur, vti ſuo loco manifeſtum fiet. Illud interim diligenter curandum, vt nihil noſtri pereat, nihilque pendeat: nullum momentum aut præteritum mors occupet, aut venturum intercludat. Vindicemus a mortis metu tempus, quod inſtat, & quodammodo ex eliſis eius faucibus reuocemus. Sternatur illa, & in aridam redigatur caluariam: tutum enim tunc erit, eius mandibulæ noſtros fauos, noſtra mella committere.
Iud. 14. 14. *De comedente exibit cibus, & de forti egredietur dulcedo*. Verùm quis tantum ſibi arrogabit, vt cum hoc immani Leone, qui totum confecit genus humanum, manus conſerere audeat? Num fortiſſimus aliquis Samſon, qui manu ſuà propoſitum ab ſe enigma diſſoluerat; fuſo ſcilicet Leone, cuius ore poſt aliquot dies fauum mellis guſtauit? At Leo ille non mors, ſed ſola erat mortis imago: facile illi fuit mortis imaginem laceraſſe, ſed æquè facile morti fuit, ſuam imaginem, lacerato Samſone, vindicaſſe. Quis igitur huic monſtro occurret, mortalium robuſtiſſimis formidabili? Vt non alius, ille certè, cuius picta erat Samſon imago, de quo impletum ſibi gratulatur

Ec-

Eccleſia oraculum illud, *ero mors tua, o mors*; verè enim *mortem noſtram moriendo*, hoc eſt dando illi vitam, *deſtruxit*, fecitque ex interitu, vitæ non pereuntis exordium. Id autem quemadmodum contingat, ſuus non deerit dicendi locus. Nunc illud tantummodò maneat, mortalem hanc, ſemperque moribundam vitam perfectè beatam eſſe non poſſe, quin ne imperfectè quidem, niſi altiore Chriſti ſapientiâ mortis arbitrio eximatur. A primo illo errore, qui plenam in hoc æuo felicitatem iactabat, pluribus confutando abſtinemus, ne pluribus in ſui confutationem indigere exiſtimetur: cum præſertim ſuâ iaceat infirmitate, nulloſque iam habeat ſectatores, niſi fortè, qui eum ſectando traducat. De altero aliter ſentiendum: non enim deſunt, qui ſuſpicentur, ſin minùs plenam, quantam tamen hæc vita recipit, felicitatem inde manare poſſe, vnde veterum ſapientia ſibi pleniſſimam pollicebatur: & hæc ſuſpicio, vt leuiſſima ſit, ſatis eſt tamen ad leuiſſimos homines poſt ſe a verâ felicitatis viâ in errorem abducendos. Quare tam pernicioſæ ſuſpicioni tergendæ ſequentia aliquot capita impendemus, vt ab errore in veram terrenæ felicitatis viam, quæ eadem ad æternam perducat, Deo bene iuuante, reuocemus.

Oſeæ 13. 14.

Vilitas ſectatorum ſectam infamat,

C CA-

Digitized by Google

CAPVT SECVNDVM.

Nullam in diuitijs eſſe poſſe, ne imperfectam quidem, felicitatem.

IMbecilliora aggredimur, vt prædâ paulatim, atque animo aucti duriora tentemus. Manus cũ Vulgo conſerimus, qui in beatos refert quoſcunque diuitijs, famâ, potentiâ, voluptatibus diffluere conſpicatur. Is deuictus a nobis ſtabit, vbi contra eos gerenda res erit, qui felicitatem in virtute, vel ſapientiâ, nimis alto puſillæ plebeculæ loco, repoſuere. Ac primùm quidem adeo vulgi opinione inoleuit, Diuites beatos eſſe, vt a primis etiam Latinorum temporibus *Beatus* idem valeret, ac *Diues*, & vtrouis vocabulo ad Opulentos exprimendos vterentur. Alium loquendi modum Chriſtiana Religio obtinuit, cuius documento iam non diuites, ſed pauperes Beatos nuncupamus. At quibus Chriſtiana documenta adhuc hærent in labris, nec ſeſe penetrarunt in mentem, nondum ex to-

Diues ac beatus veteribus idem.

Nobis verò beati pauperes.

to vetuſtæ opinionis ſuſpicio deleta eſt. Quanti ad cetera comparanda valet pecunia, tantidem valet ad venditandam ſeipſam, atque ad antiquam ſui æſtimationem roborandam. Nec illam qui a vulgari Trapezitarum trutinâ ad philoſophicam reuocauit, minoris habuit: nam Ariſtoteles (vt nonnulli fideliùs, quàm elegantiùs interpretantur) eſſe eam, dixit, *æquiualenter* omnia, eò quòd ad omnia comparanda valeat. Quare mirum non eſt, eius vnius, tanquam rerum omnium poſſeſſione, homines ſeſe beatos exiſtimare. Quidni enim beatum ſe putet qui omni ſublatâ indigentiâ habeat vnde ipſe ſibi ſufficiat, & exutus inopiæ difficultatibus eò manus porrigere poſſit, quò vota? Nihil enim pecuniæ præcluſum, nihil imperuium, inacceſſum nihil: rimas omnes eius fulgor ingreditur, ſcrutatur maria, montes perfodit, naturæ, artiſque clauſtra perrumpit, & quidquid ex ijs libet eruere, quanquam armis, ac ferro contumax, ad auri tinnitum ſponte prodit. Siue enim libeat voluptatibus indulgere, ſiue gerere honores, eoſque voluptuoſæ, ac turpi vitæ velamentum prætexere; ſiue amicos, etiam ſummos, parare, vel in ſummos euehere; ſiue denique aliud quidpiam cupidæ voluntati concedere; modò ſupra vota non ſit, nec ſupra pecuniæ, cui ex græco prouerbio ſubduntur omnia, vim ac potentiam erit. Quid autem beatius, quàm cuncta

Pecunia æquiualenter omnia.

ſibi ſpectare ad voluntatem fluentia?

Confutãtur pecuniæ laudes.

Spinæ sũt Chriſto eſſe diuitię. Luc. 8. 14.

O ſtultiſſimi mortalium, quicunque oculis veſtris de mentis habitu, illis imperuio, creditis! Quin potiùs Chriſto abdita omnia penetranti fidem adiungitis? Nonne ipſe (cui tam pugnat a veritate diſcedere, quàm ab ſe, qui Veritas ipſa eſt) palàm pronunciauit, ſpinas eſſe diuitias? Si id Ethnicus aliquis Doctor Chriſtianos docuiſſet, aut Ethnicos Chriſtianus, num maiori contemptu excipi poterat, quàm nunc Chriſtiani a Chriſto docti paſſim excipimus? Quotuſquiſque noſtrum hoc tempore diuitijs vel poſſidendis non immineat, vel poſſeſſis non incubet, vel non rumpatur amiſſis? *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent*, inquit, non ſuorum temporum hiſtoricus, ſed noſtrorum vates Ieremias. Num hoc eſt Chriſto, Diuitias ſpinas prædicanti, fidem adiungere? an potiùs re ipsâ, ſcilicet contumaciùs, quàm verbo, negare? & vel finem bonorum diuitias credere, vel, quod minùs ferendum eſt, non credendo, bonorum fini, atque æternæ felicitati præferre?

Ier. 6. 13.

At Chriſtus impropriè ibi loqui voluit, ac rem per metaphoram, excitandæ attentioni accommodatam, efferre: Quid proinde? Nunquid idcirco cum aliquo veritatis detrimento? nunquid non ad illuſtrandam veritatem, quæ ſæpe ſub obſcuro nomine iaceret ignobilis, inuecta metaphora eſt?

Metaphora illuſtrat, nõ deſtruit veritatem.

A

A ſpinis mutuatus eſt vocem, quam diuitijs a vulgo earum cultore congruè impoſitam non inuenit. Alieno nomine rem euocauit, ſed veriùs reſponſuram, quàm ſuo. Opes, diuitiæ, copiæ, & cetera iucundè ſonantia nomina pecuniæ impoſita, vulgi impoſturæ ſunt, ac mendacia, & quidem tam bellè compoſita, vt eos etiam qui compoſuere decipiant, vt planè *mentita ſit iniquitas ſibi*. Spinarum nomen Diuinâ Sapientiâ inditum pecuniam, eiuſque aſperum ingenium denudat, & qualis ea ſit, non qualem ſe ſe venditat, prodit. Volo te de illa non ab inope aliquo, eam procul adorare ſolito, teſtimonium capere; ſed ab experto diuite, qui opes ſuas ſemper præ manibus habeat, vndique verſet, ac proinde bene cognitâ causâ ſententiam ferre poſſit. Ab illo diluta intelliges, quæcunque antea magnificè dicta de opibus audiſti.

Ex Pſ. 26. 12.

Contemplare primùm Diuitem quempiam ex ijs, quorum gratiam vulgus ſtudioſiùs captat, ſimul e publico, vbi Beati prædicationem cultumque accepit, domum redux ſuum ſe in cubiculum abdidit. Vide, vt poſitâ oris hilaritate, ac riſu, quo hactenus ſcenæ ſeruierat, ſuum ſibi vultum paulatim recipiat: vt frontem contrahat, aciem defigat, crebra ex imo pectore agat ſuſpiria, & poſtquam diu cogitabundus ſiluit, tandem in querelas erumpat. Puta, te eum e paruâ rimâ ita ſecum

Diuitū experimento, quā aptè ſpinarum nomen opibus cōgruat, declaratur.

expoſtulantem audire; & certò crede, ſin minùs verba, ſententiam te tamen ipſam, quæ cunctis

Ficta diuitis verba veros eius ſenſus declarantia.

diuitibus communis eſt, aſſecuturum. En quid tibi tandem opes tantâ omnium inuidiâ cumulatæ contulere; ſtultis nimirum vt imponas, & per ſummos labores eorum ſupercilia ſuſpendas, nempe vt miſer ſis, quò beatus dicaris. Putaſti, te per opes inopiam depulſurum; iam pro vnâ, ac ſim-

Diuitũ inopia maior, quàm pauperum.

plici inopiâ multiplicem ſubijſti. Inops enim opibus indigeres; iam & opum cuſtodibus indiges, iam famulis, curribus, equis, veſte pretioſa, epulis vndique ad ſpectaculum conquiſitis, amplâ domo, ampliſſimis prædijs, honoribus, titulis, obſequijs, quorum vnum quodcunque deſit (quando autem aliquid non deſit?), inope quolibet miſerior es, addito illius miſerijs, qui illum non tangit, pudore, ac verecundiâ. Si tantæ indigentiæ ſatisfacere, tuiſque opibus frui nolis, ne perdas, illarum vſum fructumque continuò perdidiſti, ſol-

Eorundẽ miſeria, atque ãguſtiæ.

licitus cuſtos ſterilis proprietatis. Miſerum te iam vocare incipient (eo nanque nomine vulgò Auaros ſignificant), & commiſeratione etiam indignum, quòd improbo tantæ rei cuſtodiendæ labore conſumeris, & laboris mercede te ipſe fraudas: tuis ipſius opibus indiges, quas tibi ipſe negas. Si verò frui libeat; effundere cogeris, nec niſi per tranſitum, dimittendo, frui; nec antea te beatum dicent, quàm vbi effuſione peractâ deſieris

eſſe

Digitized by Google

eſſe quod diceris. Quòd ſi, ne deſinas, paucis dederis; paucos amicos, eoſque emptitios, & quamplurimos hoſtes, beneficentiâ excluſos, paraſti. Ab his autem, ſi nihil aliud, hoc certè imminet, vt, ſalutatione palàm negatâ, omni voluptate reliquorum obſequia vacua excipias. Nec remedium puta, quod ſubita fortaſſe ira ſuggeſſit, ſicarium immittere: Hydran enim ſecabis, & pro vno amputato capite plura conſurgent: Filij, cognati, affines ad ſui ſanguinis vltionem accurrent: quin & amici, & ciues, quem ſibi quiſque percuſſorem timebunt, vt publicam peſtem communibus odijs inſectabuntur. Sin autem, vt bene de quamplurimis ſine tuo incommodo merearis, ad cenſum augendum in largitiones exuberantem, animum adieceris; incommoda ipſa, non cenſum augebis: nam vel id per te ipſum præſtare cogitas, hoc eſt prædia tuis oculis inuiſere, præſens adeſſe, vbi ſementis facienda, vbi purgandæ, vel metendæ ſegetes, vbi noualia præparanda, putandæ, occandæ, adminiculandæ vites, aut vindemia colligenda, aut exprimendum oleum, aut alia id generis infinita in ruſticæ, aut vrbanæ rei incrementum præſtanda, iam magnum dominium magna tibi fiet, atque intolerabilis procuratio. Sin autem id ponderis in miniſtrorum ceruices deponere, eorumque curæ indormire libeat, propterea quòd videas, tanto te oneri ferendo

Æmulum interimere, remedium malo deterius.

Diuitiū ſua per ſe procurātiū incommoda.

Per miniſtros pericula.

non

non eſſe; præda vndique diripientibus famulis, & colonis euades: ſummi, infimique ſeruorum pro ſe quiſque furabitur, quantum tutò ſe poſſe ſperabit: plurimùm autem cunctos ſperare iubet mutui conuentio ſilentij, & concors in dominum conſpiratio. Porrò dolendum quidem eſt, tua tunc maximè periclitari, cum in cuſtodum venerint manus: at hoc longè magis, quod vita ipſa quot ſtipatores in ſui armat tutelam, tot cogitur extimeſcere percuſſores. Quin etiam Natos ipſos, quos cadenti ſenectuti fulcimenta paraueras, præ ceteris tibi ſuſpectos ſera faciet hæreditas, præſertim cum nequaquam exempla deſint, quibus ad eam veneno, viâ occultâ & compendiariâ, adeundam animentur. I nunc & epulas in auro exhibitas iucundè vora, fortè cum illis interitum voraturus. Solare ſenectutem liberorum conſpectu, quos tuum certò expectare funus intelligis, inſcius, an interea impatientes adornent. Vnde igitur tibi aliquid ſolatij quærendum? quid in tantis anguſtijs effugij, quid conſilij capies? Alterutrum tibi ſupereſſe video; aut voluntariâ paupertate diuitias ex animo dimittendas, aut voluntariâ morte animum e diuitijs.

Stipatores timēdi vt percuſſores.

Filij ipſi præ ceteris ſuſpecti.

Vt à diuitū ſolarium. vel opes dimittete, vel vitam.

Hæc Diues de ſuis opibus, ſolâ naturæ luce perfuſis, refert: nihil enim ex eo audiſti, quod Verbi Diuini lucernam oleat: quid quæſo de illis eâ admotâ cenſeret? quid eo audito, *Facilius eſt*,

Came-

Camelum per foramen acus tranſire, quàm Diuitem intrare in Regnum Cælorum. Profectò hæc verba, vtcunque explicando mitigaret, magnum terrorem incuterent cogitanti, ea rudibus diſcipulis a Chriſto ſine explicatione propoſita, vt quàm rigidè ſonarent, tam rigidè acciperentur. Ita autem ab illis accepta fuiſſe, ſatis ex eâ illorum interrogatione manifeſtatur; *Quis igitur poterit ſaluus fieri?* An fortè eam interrogationem ignorantiam putas, ac deſpicis? Ego verò contra vel ipſam Chriſti diſcipulorum ignorantiam, tanquam Eccleſiæ doctrinam, venerabundus excipio, præſertim cum illam tam bene in pleroſque noſtri ſæculi diuitum conuenire perſpicio. An non vides, ab eorum quamplurimis de tam largo patrimonio a Numinis Benignitate conceſſo ſæpe obolum pauperibus eius nomine repetentibus denegari? Quin etiam non eos modò precariâ ſtipe, verùm etiam debitâ mercede ſæpiſſimè vacuos dimitti? Quid de ijs putem, qui Superum templa ſibi vnà cum cenſu commendata ſuo luxui vectigalia fecere, & vbi ſuas ſordes non auro, aut argento exceptas famuli negligentiâ conſpexerint, eum ad pœnas continuò vocant; Chriſti Sanguinem quotidie cupro miniſtrari æquis oculis ferunt, ſatis eius dignitati factum rati vili quolibet æramento? Quid de ijs, qui leuiſſimis offenſis grauiſſimas rependunt, exacto etiam e viuis, qui prior ſalutare

Matt. 19. 24.

Grauiſſimũ æternæ ſalutis in opibus periculum.

Diuitum vitia quàm deteſtanda.

Vide ſcelus horrẽdum, vſu tamen familiare.

D ne-

neglexerat? Quid denique, ſi quidquid decoris e Superum manibus accepere, totum in eorum dedecus vertant? An non de illis prudenter interrogatum cenſeam, *Quis igitur poterit ſaluus fieri?* Neque huic quæſtioni reſponderi aliud poſſe intelligo, niſi eum ſaluum futurum, qui traditas diuitias non vt ſuas, ſed vt *fidelis diſpenſator* ad Domini árbitrium cuſtodiat. Is enim diues re verâ nõ eſt, ſed cuſtos diuitiarum: & ſi ſecus a vulgo dicatur, audit potiùs cũ riſu, quàm ſentiat, ſe eſſe diuitem, bene conſcius, ex ijs opibus ad ſe pertinere nihil, præter ſollicitudinem.

Luc. 12. 42. Via, qua diuites Chriſti ſententiam euadant.

Pronuncia nunc de diuitijs quicunque hæc audis, vtra de illis ſententia, vulgine verior, an Chriſti. Satis, puto, perſuaſum habes, ſpinas eſſe diuitias, non tenues illas quidem, quæ hebetantur, ac franguntur in cute, ſed fortioris cuiuſdam generis, quæ ad viuum, quæ ad animum vſque deſcendunt: proinde non niſi per ſummam inſaniam, beatam vitam in diuitijs, hoc eſt in dumeto, locari, vbi vix locum vitæ reperias. Nec territus corruptæ opibus Philoſophiæ iudicio a ſententiâ diſcedes: quin propiùs quàm Philoſophos, acceſſiſſe dices ad veritatem Poetas, qui Ditem, aut Plutona (nomina ab opibus deriuata) diuitiarum eundem, ac miſeriarum Deum fabulati ſunt: ſiquidem Chriſtianam hanc veritatem adumbrarunt, quam tibi velim altiſſimè inſculptam; Vnde diuitias, inde miſerias deriuari.

Pluto a πλοῦτος diuitiæ; vnde *Dis*, quaſi *diues*.

CA-

CAPVT TERTIVM.

Huius vitæ felicitatem in Potentia non eſſe: vbi potiſſimùm de Principum virorum ſollicitudine, & contemptu.

PErſuaſum tibi ſatis puto, quiſquis præſentis æui felicitatem ſectaris, eam in diuitijs locum habere non poſſe: multumque ex ijs paraſſe, non finem eſſe miſeriarum, ſed mutationem, vt præclarè docuit, & quidem meliùs quàm didicit, Seneca, qui plenus opibus auaras in ſe Neronis concitauit manus. At fortè dubitas, num ſaltem Potentia poſſit, quidquid opibus negatum eſt. Hæc enim & pecuniæ plurimũ obtinet, & quidquid pecuniæ ad felicitatem deeſt, paruo negotio videtur poſſe ſupplere. Tria quippe ſunt, ob quæ pecunia ad comparandam felicitatem non pertingit: ſollicitudo a prædonibus, contemptus ab æmulis, metus ob omnibus. At is, qui rerum potitur, populum habet ſeruorum, in quos diſpertitæ

Multas diuitias paraſſe, nō finis miſeriarũ, ſed mutatio.

Quænam ſint, ob quæ Diuites a felicitate deficiunt.

Digitized by Google

ſollicitudinis onera in honores, ac beneficia tranſeunt: nec deſpectui patet, qui omnibus ſupernè imminet: nec denique ad eum percuſſoris metus aſpirat, quem altiùs fortuna tulit, quàm vt ſubiectorum telis appeti poſſit; quemque pro loricâ integri exercitus ambiunt, muniuntque. Itaque ſi Potentia diuiti accedat, huic negotij nihil erit, vt ſeſe in antiquum Beati nomen, ac poſſeſſionem reſtituat. An non Beatum iure optimo dixeris, qui Numinis vices in terris gerat, qui ſolo riſu, ac benignâ oris conuerſione ceteros beet? quem vitæ, neciſque arbitrum, ac fortunæ datorem populi adorent, ac plerique magis, quàm ipſum Numen, imò ipſius Numinis contemptu propitiare ſtudeant? Quanto enim credere par eſt eum gaudio potiri, quem Regia purpura tegit auro gemmiſque diſtincta; cui oſtrum calcatur, argentum conſpuitur, atque in viliſſima quæque miniſteria deſcendit: cuius amplitudinem ædes in Vrbis modum laxatæ metiuntur, altitudinem, ac præſtantiam ad Cœlum vſque porrectæ, Diuinitatem denique in Templi formam ornatæ? Illum ſi prodire contingat, præmiſſa ſeruorum ſeries nunquam deſitura venturum obnunciat, circumfuſi nobilium puerorum greges coronant, homines, noui generis iumenta, in humeros tollunt, & ſupra homines euehunt: accurrunt vniuerſi, via cedunt, ſalutant, collaudant, feſtis acclamationibus profe-

Deſcribitur Potentium apparẽs felicitas.

ſequuntur. Illi denique, quâcunque oculos circumferat, cuncta ſuam, cuius contemplatione beetur, reuerberant maieſtatem. Quid hoc rerum ſtatu optabilius? quid hâc vitâ beatius?

Quantum a vero abſis, ac ſemper magis, magiſque abfuturus aberres, docendus hic mihi es, optime Adoleſcens. Experto Seni, ſuiſque erroribus edocto crede, inſcius, an a tuâ ſenectute id beneficij tutò expectare poſſis: fortè ad te illa non veniet: fortè vſque adeo in errore progreſſum, ac laſſarum inueniet, vt vires, ac vita viæ retexendæ non ſuppetant. Accipe igitur quodcunque me mei errores, non ſine offenſionum, & lapſuum frequenti caſtigatione docuere; ac lucro appone, quod in alieno tergo tua exarentur documenta. Itaque mecum antequam te periculoſæ viæ committas, eius diſpendia computa, atque in hunc modum ratiocinare.

Prædicta ſpecies quã inanis oſtẽditur.

Potentia, in quâ locatam felicitatem imperiti putant, pauciſſimis mortalium contingat neceſſe eſt; nempe ſingulis in quolibet regno: quæ enim regiam non æquat, alieno ſeruit arbitrio, eo proculcata magis, quo maior, & maiores vmbras in ſuſpicioſum Regis caput immittit. Quare ſi felicitas in eo faſtigio locetur, vbi non niſi vni locus, iſque iam occupatus ſit, minima ceteris eò perueniendi fiducia reliqua erit, & maximus inde mœror, vitæ cuicunque, ne dum beatæ, exitialis.

Potentia paucis cõtingit; felicitas patere omnibus debet.

lis. Non tam autem iniquè nobiſcum egiſſe, imò etiam ſecum, rerum opifex Deus cenſendus eſt, vt quam ipſe omnibus tranquillæ vitæ cupiditatem iniecit, ac frequenti hortatu concitauit, ferè nemini explendam conceſſerit: nos enim promiſſis, ſeſe fidelitate fraudaſſet. Quin potiùs rationi conſentaneum eſt, vt ſi quis tranquillitatem non aſſequatur, is vnus aliquis ſit, qui ſibi ſponte id negotij ſumpſit, vt publicæ tranquillitati ſeruiret: nempe populi Princeps, cui onus incumbit, vt omnium quietem ſuâ excubatione cuſtodiat. Ipſe vtique præſtare debet quod olim docuiſſe fertur Pelopidas, ac præſtitiſſe Epaminondas. Ille ſcilicet, cum in bellum diſceſſurus ab vxore, vt ſe diligenter ſeruaret, rogaretur; alij, inquit, iſtuc vt faciant, monendi ſunt: Princeps, non vt ſe, ſed vt ſuos ſeruet, hortandus. Alter verò Thebanis ciuibus ſuis conuiuia, ac lætitiam die quodam feſto agitantibus, mœnia ciuitatis ſollicitus obibat, quo ceteri poſſent vino ſecuriùs indulgere, itaque ſuâ vnius curâ omnium ſecuritatem elaborabat. Altiùs autem vt hæc deſcendant, recole memoriâ, quæ de diuitiarum aculeis antea memorauimus. Cum enim Diuina Sapientia illas vniuerſè ſpinas nuncupauerit, in quencunque illæ inciderint, ſui aculei meminere, non aliter inter priuatos, ac principes viros diſcernere aſſuetæ, niſi quòd iſtos, vt molliores,

Trãquillitatē minimè omniū Principes aſſequuntur.

Pelopidis præclarum dictum.

Et Epaminondę factū.

Aculei diuitiarū & plures, & acriùs in Principes, quã in priuatos ſæuiunt.

liores, faciliùs intrent, & pro opum multitudine plures; illos ſæpe inoffenſos, vt iam offenſionum cicatricibus obduratos, tranſeant. Hoc plane Potentia præſtat, vt ſpinas exaggeret, & ſenſum ad illas emolliat. Potentes aduerſus alios, erga ſe, veluti aduerſus pares, impotentes ſunt: nihil ſe cogere queunt, nihil non indulgere. Quare cum nunquam obdurentur aduerſis, quibus ceteroqui cuncta vndique rigent, ſemper in ea, tanquam nudi in vepres, incurrunt: itaque non carent diuitiarum aculeis, ſed pluribus, & acriùs quàm ceteri, feriuntur. Id vt planius fiat, eamus per ſingulos antea memoratos, ſollicitudinem nimirum, contemptum, ac metum. His enim tam plenas Regum aulas contemplabimur, vt vbi tranquillitati locus eſſe poſſit, minimè appareat.

Potentes cū alijs ſecum impotentes ſunt.

Et quidem, quod ad ſollicitudinem attinet, nulla hominum conditio Regibus ſollicitior: tria potiſſimùm ſunt, quæ illos ſollicitos habent, opum nimirum, iuſtitiæ, ac publicæ ſecuritatis cuſtodia. Primùm nemo opibus cuſtodiendis, atque augendis attentior, quàm qui ſuam Regis dignitatem illis creditam nouit. Procubuit Princeps, vbi nerui diuitiarum defluxere: illico in prædam finitimorum veniet, vbi præſidiarius miles ſolito ſtipendio fraudatus e re ſuâ putet, Dominum commutare: nec hoſtem expectabit extrinſecùs, ſed eius ipſe vices implebit, necabitque a quo deuoran-

Tria, quæ Pricipes habent ſollicitos.

1 Opum cuſtodia.

randum ſeſe fami traditum viderit. Porrò cum Rex opes ſuas, quas inuidioſè poſſidet, per ſe ipſe cuſtodire non valeat, alijs cuſtodiendas, inuidis nempe ipſis, tradere cogitur, qui quidem vt beneficij loco adminiſtrationem accipiunt, ita pariter vt beneficio vtuntur: ſe, ſuoſque inde ſuſtentant, luce palàm cuſtodes, noctu prædones, nullâ niſi Principis conſcientiâ a prædando detenti: ſuam enim facilè placant; quippe non furari putant, ſed recipere, quidquid ipſi in ærarium Principis vectigalium nomine contulere. Quâ etiam de cauſâ pauci admodum religione tenentur (tametſi deberent) quo minùs ſuis Principem vectigalibus fraudent, iniquum rati, eius luxuriam ſuâ parſimoniâ, ac ſæpe etiam ſummis anguſtijs ſuſtentare. Nec enim cuique obuium eſt, quod ceteroqui veriſſimum, corporis nutrimenta, vtcunque a ſolo capite guſtentur, in omnium membrorum vitam tranſire, & quo tempore hæc ori cibum negauerint, eodem ſibi nutrimentum, ac vitam adimere. Subtilitates eiuſmodi vel craſſa, ac dura ingenia non admittunt, vel delicata vt pungentes ac moleſtas tractare refugiunt. Quare Principi totidem propemodum cauendi fures, quot habet populos vectigales.

2. Cura iuſtitiæ. Deinde iuſtitiæ cura longè magis, quàm opum Regem ſollicitat. Si enim illam rectè adminiſtratam velit, primò noſſe optimè debet quos iudicijs exer-

exercendis præficiat, eoſque ceteris anteferre; qui ob humani iuris prudentiam, ob Diuini metum præ alijs omnibus idonei videbuntur: mox perpetuò excubare, atque identidem diſquirere, vtrum omnes in officio ſint, atque æquâ lance pauperi, atque opulento ius reddant: an potiùs cauſas ad compendium extrahant, iuſtitiam metu prodant, pretio vendant, amicitiæ, propinquitati, muneribus condonent: poſtremò populos per ſe ipſe frequenter audire, quo lecti Iudices notitiam Principis reformident, & cuncta in eius conſpectu ſeſe acturos intelligant.

Denique vt Regnum vniuerſum ab externis, ac domeſticis hoſtibus ſecurum præſtet, infinitâ illi propemodum attentione opus eſt, præſertim vbi rumoris aliquid increpuerit; ne quis locus præſidio vacuus ingreſſuro hoſti impunitatem promittat: ne quod oppidum arce, munimentis, commeatu careat: ne milites, atque in ijs virtus, ac peritia deſideretur: ne militibus arma, ne ſtrenui ac prudentes Duces, ne pecunia, ne præmia, ne ſupplicia deſint: omnia vt parata, atque in promptu ſint, omnia frequenti peritiſſimorum conſilio per quàm diligenter excuſſa. Si quid enim incuriâ omiſſum fuerit, ſi quid minùs cautè prouiſum, totius regni corruptio in regium caput ſuppuratura timenda eſt. Quo fit, vt ſi Reges ſuum munus impigrè obire velint, ac de eius pondere non alienis

3. Publicæ ſecuritatis cura.

oculis, ſed ſuis humeris credere, haud aliud in vniuersâ generis humani republicâ grauius arbitraturi ſint.

Principum a Superioribus contemptio.

Quod autem ad contemptum attinet; habet ſuos æmulos Princeps, non quidem inter ſubiectos populos, quorum ſupra æmulationem eſt; ſed inter Dynaſtas pari, aut ſuperiori dignitatis gradu eminentes, a quibus etiam triſtiùs contemnatur, quàm ſi fortè a ſeruorum aliquo contemneretur: quippe aduerſus hunc, vel diſſimulatio dolorem minueret, tectâ irriſuris plagâ; vel fiducia vindictæ illum leniret, dum intrita vulneri, quæ momordit, beſtiola remedium afferret. At ſi contingat, vt a Potentiore aliquo commordeatur; nec lenimen ullum, nec remedium, niſi fortè ipſo vulnere acerbius, ſperandum eſt. Non enim diſſimulare licet vocem e ſuperiore loco clamantis, et famæ linguam adhibentis Regis: nec ſpes vlla pœnas repetendi ſolatio eſt, vbi metus dandi maiores pectus exagitat. Adijce, quod Regem nemo quidem e gente, cui præeſt, palàm contemnit; nemo tamen ferè eſt, qui non in occulto proſcindat: Principem enim ſuum mordere, cuique palato iucundiſſimè ſapit: nec ferè vlla priuata menſa eſt, quæ hoc regio ferculo careat.

Et ab inferioribus proſciſſio.

Quòd ſi is cupiat maieſtatem ſuam ne priuatis quidem ſermonibus violari; multa illi infra humilis plebeculæ ſortem incommoda ſubeunda. Vt enim omnia Principi licere dicantur, longè pauciora, quàm

Longè plura priuato, quàm Principi liceat.

quàm priuato licent, niſi ſtultè ſibi, perinde ac Deo, cuius voluntas Honeſtas, licere putet, quod libet. Viro enim priuato & prodire in publicum, & ſecedere, & mutare veſtem, eamque ad nouą exempla componere, ſtare, ſedere, dormire, fabulari, agere quæ animus ferat, non expectato Senatus, Populique reſponſo, licet. At Principi ſua ſemper agenda Perſona eſt, ſemper in ſcenâ, ac theatro ad concionem meditatò dicendum. Et veſtis, & vultus, & vox, & greſſus, & cibus, & quidquid aliud ad vitæ actionem pertinet, e ritualium libris petendum: omnia ad hiſtoriæ materiã accõmodanda: nec immutari quidquam ſine publico ſenſu, atque offenſione fas eſt. Tam priuatim agere, quàm priuato illi eſſe non licet; id etiam quod intra parietes intimis ſuis ſecretò commiſit, illi tanquam ſecretò commiſſum, in ſuæ apud Principem gratiæ argumentum, cunctis auribus inſuſurrant: itaque res arcano tramite in forum deducitur. Quotidie audiendi quamplurimi, ijque pauperes, debiles, ſenes, ruſtici, quorum nemo non aliquid triſte Principi ingerit: ſua quiſque vulnera illi aperit, ac tacitè tanquam dormitanti capiti exprobrat. Ad ea tamen pronas exhibere aures, identidem ſubridere, ſecurum ac beatum agere, adorationes ne perdat, cogitur, tanto miſerior, quanto minùs ſuas euomere miſerias poteſt. Dimiſſâ turbâ negotia in libellis relicta ſæpe ad multam noctem re- Audiẽdi labor.

cognoſcenda, ac diſponenda ſunt. Non rarò in ijs videndum, contraria ab æmulis peti, quorum vtrumlibet fiat, deſertæ partis querelam expectes. Sępe tam multa, tam dira ſcelera, & populis, & miniſtris ab ſe delectis, hoc eſt deligentis iudicio, obiectari intelliget, vt alterutrum illi agendum ſit; vel omnia vt ſanguine ac cædibus fædet, vel turpiùs fædata ſceleribus contempletur: proinde aut Belluæ nomen tot facinora vindicando ob ingenium crudele, aut non vindicando ob ſtolidum, promerebitur.

Vndique ăguſtiæ.

Poſtremò ea, quæ de ſollicitudine, & contemptu diximus, cuncta etiam in metum cadunt: terrent enim ventura, quæ præſentia torquent. At tam multa de metu dicenda occurrunt, atque etiam tam grauia, vt pauſa aliqua Lectori iam ſaturo danda ſit, ne potiora plenus faſtidiat.

CA-

CAPVT QVARTVM.

De Principum periculis, ac metu.

Plùs ad ictus pateat oportet ille, qui latiùs patet: ſic prorſus vt immania corpora ferientibus telis etiam temerè vibratis occurrant. Principis corpus regnum eſt, cui ipſe caput imponitur: quidquid Regno nocetur, regio corpori vulnus eſt, regio capiti condolendum. Sunt tamen & ſua capiti pericula, quæ ipſum præterea petant: hoſtes enim habet Princeps, non niſi ſuâ morte placabiles, quicunque eius vitam ſuis obſtare incrementis vident. Horum agmen ſæpe natus, & hæres ducit, hoc magis timendus, quo adhæret magis, & minùs caueri fas eſt. Eum ſpes hæreditatis armat in Patrem, eumque ſequuntur quotquot ex amicis, domeſticis, notis in victoriæ partem ſe venturos confidunt. Alios regiâ potentiâ depreſſos oppreſſoſque odia, ſeu propria, ſeu gentilitia in Regem euocant. Alios conſcientia facinorum, & pœnarum metus, præſertim qui-

Omnium vulnera Principi cõdolenda.

bus

bus nullum pateat, niſi manufactum effugium, in vltimum nefas impellit. Quamplurimos in imo iacentes, quos omnis mutatio ſubrigit, meliorum fiducia ad arma ſollicitat. Ergo ſi ad hæc genera ſingulos reuocaueris, paucos excipies, quibus in Principis cædem arma non pruriant (loquimur hìc de Principe a Chriſtianâ Pietate alieno, vti mox declarabimus). Nec fides illi eſſe in amicis poteſt, quos vt ſuæ fortunæ nouit amicos, ita vt ſuos cauere cogitur riuales. Nec præterea in regij corporis ſtipatoribus, qui odia habent venalia, addicere parati plus offerenti. Nec denique in ipſo illo ſui lateris telo, quo ſæpe magis, quàm alieno terretur, vt quod identidem ad manus miniſtrantium venit, & factum ſuggerit in omnem poſteritatem vnà cum auctoris nomine iturum. Quid plura? ſibi ipſe non fidit: robur ac potentiam ſuam eodem, quo ſubiecti, metu perhorreſcit, ne ſcilicet præueniant, quos terret, & necem inferant illaturo. Accidit illi, quod belluis ferocioribus, quibus nullæ, quod mirum eſt, timidiores: noctu enim prodeunt, luce latent, ſola ſemper incolunt loca, ad omnem ſtrepitum oculos, atque ora conuertunt, exurgunt, fugam arripiunt; quippe naturâ didicere magiſtrâ, nil illi a ceteris tutum eſſe poſſe, a quo nil ceteris tutum eſſet. Adde, quòd verum Principis robur populus eſt, contra quem non niſi vt priuatus poteſt: hic ſi rebellet, robore ille peribit ſuo. Adde,

Omnium arma in Principem pruriunt.

Suum ipſius telum, ſeque timere cogitur.

Princeps, quo ferocior, eo timidior.

Principis robur populus.

de, quòd mille venenum propinandi modos cauta malignitas reperit, in quos nec robur valet, nec gemmarum valere amuleta, tam multi veneno ſublati Principes docent. Itaque non quia populis tribuat ſecuritatem, eâ ille abundare credendus eſt: de ſuâ enim ille tribuit, & ideo caret, quòd tribuit: ſiquidem haud ſecuros in priuato lare tam multos, niſi ſumma ſollicitudo ex altâ veluti ſpeculâ omnia prouidentis Principis præſtat: nec timorem omnibus adimit, niſi qui omnium ſibi timorem aſſumit. Caret ſecuritate, qui tribuit.

Verùm vt locus hic etiam debilibus pateat ingenijs, quorum ſcilicet acies quolibet fortunæ fulgore perſtringitur, proferre libet in medium ſummæ Potentiæ infeliciſſimos exitus, eoſque tam frequentes, vt ſi cui illos declinare licuit, certè metum non licuit, qui malorum ſatelles, eorum vices ad fugandam felicitatem gerit. Prodeant igitur veluti ex inſidijs Potentium pericula, & immenſâ eorum editâ ſtrage, doceant imperitos, altiſſima rerum humanarum cacumina non ſedem eſſe felicitatis, ſed exitium. Non per omnes hiſtorias eundum, vt exempla quærantur, ne vaga conquiſitio in argumentum cedat inopiæ: vnum enim Romanum Imperium tam multa dabit, vt tantæ multitudini, vel in arctum coactæ, locus non ſit futurus. Ac primùm ipſe ille Cæſar, qui nomen ſuum e matris parricidio natum, Patriæ parricidio nobilitatum in cete- Infelices Potentium exitus. Cæſar 23. vulneribus confoſſus.

ros

ros Romanorum Imperatores tranſmiſit; vbi per Orbis Terrarum ruinam in Romani Imperij culmen euaſit, dignas furioſæ ſuperbiæ pœnas dedit: nam qui humano ſanguine ſuam ambitionem impleuerat, ac dilatauerat, tribus ac viginti vulneribus confoſſus, quidquid cruoris ad id temporis hauſerat,

Auguſtus, ac Tiberius veneno ſublati.

ſecta hirudo dimiſit. Auguſtum, ac Tiberium nonnulli auctores ſunt, veneno, illum ab vxore, hunc a Caio Caligula, oblato interijſſe. Caligu-

Caligula 30. vulneribus confoſſus.

lam Romanæ, ſeu potiùs Humanæ Reipublicæ peſtem, aliqui ex eius intimis, quibus cum illo ſimulata amicitia fuerat, vera cum reliquo hominum genere, triginta vulneribus affectum publicæ hoſtiam

Claudius, & Agrippina veneno interēpti.

ſaluti mactarunt. Claudium Agrippina veneno ſuſtulit, Agrippinam Nero filius, Neronem mortalium ſceleſtiſſimū par carnifex Nero ipſe peremit:

Nero ſibi manus attulit.

qui ceterà iniquiſſimus, hoc vno iuſtitiam coluit.

Galba ab Othone interfectus, Otho a ſe ipſo.

Galbæ, Othonis, Vitellij Imperia ſingula ad annum non peruenere, nec ad biennium collata. Primo necem Otho æmulus intulit: qui pariter ab æmulo Vitellio victus acceſſitâ ſibi morte vitam

Vitellium ſui milites fœda morte affecerunt.

triſtioris fati crudelitati præripuit. Vitellium verò milites ſui religatis poſt terga manibus, laqueo ceruicibus impacto, ac mento ſubiectâ cuſpide reſupinato, præterea nodo reductâ in verticem comâ, ne vultum a cæno, ac ſtercore demiſſione, aut capillo protegeret, inter plebis inſultantis, atque incendiarium, patinarium, ſpurciſſimum hominum

excla-

exclamantis voces in forum ſeminudum traxerunt: inde quàm minutiſſimis ictibus conciſum, atque excarnificatum per gemonias primùm demiſere; deinde vnco adacto per frequentiſſimas Vrbis vias ad Tiberim vſque raptatum præcipitem in profluentem dedere. Nouem iſtos perpetuâ ſerie potentiſſimos Principes primum Romani Imperij poſt oppreſſam libertatem ſæculum teſtes dedit, quàm infirmum ſecuritatis præſidium Potentia vel maxima ſit. Tam multi deinceps, tam paucis interiectis, extitere huiuſce rei ex eodem Romano Imperio teſtes, vt eorum caſibus perſtringendis vix iuſta volumina ſufficiant. Nonnullos duntaxat proferemus, quos memoria altiùs impreſſos, vt præ ceteris memorabiles, ſuggeſſerit; omiſſis, qui vulgari nece, ferro aut veneno allatâ, obiere. Antequam tamen eos recenſeam, quorum cædes aliqua inſignis ſæuitia nobilitauit, illud animaduerſum volo; inter Septimium Seuerum, qui Antonini filij gladium clamantis populi beneficio declinauit, & Claudium Gothicum, quem matura ante biennium mors cruentæ iam paratæ ſubduxit, ſex & viginti interiacent Cæſares, omnes violentâ morte perempti: deinde Gothico interpoſito alij ſeptendecim, tribus demptis, vſque ad Magnum Conſtantinum; mox alij, atque alij tam multi cruento fato obiere, vt ijs vltra perſequendis, atque enumerandis fatigata nos patientia deſtituerit.

Sex & viginti Cæſares ſerie non interrupta violenta morte ſublati. Deinde alij 17. tribus demptis.

Digitized by Google

Iam ad inſtitutum redeamus.

Ælij Pertinacis caput tota Vrbe circũfertur.

Ælio Pertinaci a ſuis militibus obtruncato caput oblongæ haſtæ præfixum totà Vrbe feſtis, tanquam prædam ſibi gratantium, Vocibus perlatum eſt. Clodium Albinum ſolà crapulà, ac faginà nobilem Septimius Collega interemptum diu inhumatum, vſque dum putreſceret, reliquit: mox canibus deuorandum tanquam ſuæ iam ſaturæ reliquias crudelitatis, abiecit. Heliogabalum, quem quadrupedum ſpurciſſimum Alexander Seuerus in Senatu pronunciauit, Prætoriani in latrinâ, inquam ſeſe metu abdiderat, vulneribus confecere, ac per fœdiſſima loca raptatum, graui ſaxo ad collum appenſo, in Tiberim deiecere. Maximino vnâ cum filio ad Aquileiam a ſuo exercitu interemptis, corpora inhumata canibus, ac volucribus perpetuò relicta: capita Romam delata, atque haſtæ impoſita diu humanæ felicitatis documentum ſtetere, ac deinde in fluuium pariter demerſa ſunt. Gordianus Pater, auditâ ſuarum copiarum ſtrage, ac filij Gordiani morte, metu, ne in hoſtis manus veniret, ipſe ſibi necem laqueo conſciuit. Valerianus a Sapore comprehenſus octo reliquos vitæ annos in vinculis habitus eſt, ſic tamen, vt quòcunque pergeret Sapor, Regem ſecutus, equum aſcendenti, vel deſcendenti humeros prope octogenarios pro ſcamno ſupponeret. Florianus ſexageſimo ſui Imperij

Clodius Albinus canibus vorandus abijcitur

Heliogabalus in latrina necatus in Tiberim deijcitur.

Maximini, item & filij crudele fatum.

Gordianus laqueo ſibi fauces elidit.

Valeriano Sapor pro ſcamno vtitur.

Florianus ſibi venas aperit.

rij die metu Probi, quem exercitus Cæſarem ſalutauerat, ſectis ſibi venis vitam dimiſit. Idem, ſed laqueo Bonoſus præſtitit, vbi in eiuſdem Probi manus ſe venturum vidit. Achilleus ab æmulo Diocletiano victus leonibus in cibum traditus eſt. Galerius Maximianus, cum illi, putrefactis intus vitalibus, ex auribus, ore, ac naribus, non ſecus atque e fœtidâ cloacâ vermes ebullirent, & præ intolerabili fœtore intolerabilem ſine eo Tyrannum Medici omnes deſtituerent; doloris acerbitate victus impatienti animo pectus aperuit. Maxentij pariter Tyranni caput a ceruice reuulſum iuſſu Conſtantini per totam Italiam in eius ſolatium, tanquam ex apro, aut lupo vaſtatore perempto, circunlatum eſt. Magnetius, ac Decentius fratres peiorum metu ſibi manus attulerunt, alter ferro incumbens, alter faſciâ ſibi fauces elidens. Iulianus Apoſtata e Cœlo percuſſus interijt. Quo mortis genere etiam Anaſtaſius cognomento Dicorus vitam amiſit: ſed ille ferro, hic igne diuinitus in ſcelerum vltionem immiſſo percuſſus. Valens ab hoſtili exercitu ſaucius, cum in ruſticam, ac ſtramineam caſam ſeſe recepiſſet, ibi viuus ab hoſtibus vnâ cum tecto crematus perijt. Valentinianus huius nominis alter a ſuis eunuchis operâ Arbogaſtis ſtrangulatus occubuit. Zeno Iſauricus ab ebrietate, vel, vt alijs placet, ab inteſtinorum doloribus animo ac ſenſu defectus, viuus ab infe-

Bonoſus laqueo ſibi necem infert.

Achilleus leonib' traditur.

Galerius Maximian' vermib' pene cõfectus ſibi pectus aperuit.

Maxentio caput amputatur, & circũfertur.

Magnetius ferro incũbit, Decentius faſcia ſe præfocat.

Iulianus & Anaſtaſius e Cęlo percuſſi cadũt.

Valens cõburitur.

Valentinianus ſtrãgulatur.

Zeno viuus tumulatur.

ſtâ vxore Ariadne tumulatus eſt: nec illi intra ſepulcrum reuixiſſe profuit, niſi vt ſe tam crudeliter peremptum ſentiret. Mauritius, cum natos a Phocâ ſui exercitus Duce coram ſe contrucidatos vidiſſet, in quibus etiam infantem, cui lac e vulneribus, innocentiæ teſtis, prodijt, ipſe vnâ cum illis obtruncatus cecidit. Carnifex verò Phocas pro mercede Mauritij fortunam adijt vtramque: eius enim Imperio potitus ab Heraclio, poſt manus, pedes, ac virilia in fœdæ libidinis vltionem amputata interemptus eſt. Martina Auguſta vnà cum Heracleone filio duodenni a populo ob crudelitatem Imperio ſpoliata, & poſt abſciſſas Puero, ceteroqui formoſo, nares, ac fœminæ linguam, in exilium acta. Iuſtinianus iunior in ſuis ædibus a Leontio captus, auribus, naribuſque præciſis in Cherſonæ vrbem relegatus eſt. Leontius verò poſt aſſumptum Imperium eandem abſciſſæ naris contumeliam a Tiberio Abſimaro, eius in Imperium ſucceſſore, tulit; deinde in vinculis habitus; donec illum Iuſtinianus ab exilio magno cum exercitu redux in mortem produxit: nam capto etiam Tiberio, Imperioque recuperato, ſedens pro tribunali Iuſtinianus vtrumque Cæſarem vtroque pede ſuperbus, tametſi denaſatus, calcauit; deinde Carnifici publicè percutiendos tradidit. Idem Iuſtinianus Philippico ſucceſſori pœnas dedit, & Philippicus Rufo, qui comprehenſum fame, ac ſiti in

Mauritius cum liberis trucidatur.

Phocas dirè interemptus.

Martinę Auguſtæ lingua, & Heracleoni filio nares abſciſſæ.

Iuſtiniano aures, nareſque pręciſæ. Leontio idē ſupplicium vnà cum morte irrogatur.

Iuſtinianus, & Philippicus ſucceſſoribꝰ pœnas dant.

Digitized by Google

Leo Iſauricus occulto igne ſuccenſus expirat.

in cuſtodiâ necauit. Leo Iſauricus Iconomachus iam ætate, ac ſceleribus tartareo igni proximè admotus, eo veluti in opportunam materiam præuolante occupatus, identidem ſe ardere conclamans, expirauit. Cõſtantinus Copronimus, dignus illius Leonis, hoc eſt regiæ beſtiæ filius, poſtquam cognomenti omen turpiſſimis moribus impleuit, fœdâ leprâ coopertus, ſibi poſt ceteros omnes intolerabilis, occubuit. Conſtantinus alter huius nominis quintus, cum Nicephorum patruum apud plebem gratioſum, & Imperio a coniuratis deſtinatum linguâ, atque oculis priuaſſet, ac matrem Irenem Regni conſortem in exilium egiſſet ab hâc populi fauore adiutâ Imperio pulſus, ac pariter exoculatus, mœrori traditus interijt. Vnâ autem cum illo perijt apud Græcos Romanum Imperium, & quidem ſui capitis inſtar a Græcâ Eccleſia Parente exoculatum, hoc eſt veræ Religionis lumine orbatum, atque ad Latinos in Magnum Carolum Gallorum Regem a Romano Pontifice translatum eſt. Fuere tamen permulti, qui poſt Conſtantinum Romani Imperij tyrannidem Bizantij retinuere, quorum infelices exitus perſequi piget, cum ex ſupra memoratis ſatis argumenti ad eos æſtimandos habeatur. Iam Lectorem gladiatorijs hiſce ludis, quos ambitio commiſit, fatigatum, iam nobilium corporum cruore, ac lanienâ ſaturum credimus: nullum enim atrocitatis genus, quod Angu-

Copronimus leprâ coopertus occubuit.

Conſtantinus V. exoculatus interijt.

Imperium a Græcis ad Latinos trâſlatum.

gu-

Digitized by Google

guſta corpora non exercuerit, omiſſum vidimus. Vnum tamen, aut alterum, in quos præcipuo exemplo ſæuitum eſt, omittere non libet, vt id etiam intelligas, ſummæ dementiæ eſſe, velle Potentiam tyrannide, quæ Potentiæ tabes, ac morboſa infirmitas eſt, roborare.

Tyrãnis Potentiam, vt eius tabes, infirmat.

Nicephoro, qui primus translato Imperio tyrannidem, pulſà in exilium Irene, occupauit, a Crunno Bulgarorum Rege in acie victo caput primò amputatum eſt: deinde haſtæ ſuperpoſitum Barbarorum ludibrium pependit: poſtremo ſectus ex eo caluariæ vertex, atque argenteis laminis ad labra circunductis in poculi morem conformatus Regi, atque aulæ Proceribus in conuiuijs ſolemnibus vinum ac barbaram iucunditatem miniſtrauit.

Nicephori cranium in poculũ vertitur.

Andronicus, alterum tyrannicæ Potentiæ exemplum, cum incredibilem ſæuitiam in Alexium pupillum Imperij hæredem, quem demerſit, atque in alterum Alexium illius tutorem, quem excæcauit, mox in Latinos, poſtremò in Græcos exercuiſſet, tandem data crudelitatis documenta ab edoctâ plebe in ſe ipſe, quaſi a diſcipulis laniſta, recepit. Nam captus ab Iſacio ſucceſſore (cui etiam deinde ab Alexio fratre oculi eruti ſunt, ſupplicio Græcorum Principum vſu iam nobili) plebis ludibrio traditus eſt. Hæc autem nullo contumeliæ genere eum non exercuit. Vbi enim e carcere duabus grauis catenis, ac ferreis vin-

Andronici ſæua ludificatio, ac fœdiſſimę mortis exemplum.

vinctus compedibus in forum prodijt, confeſtim vniuerſi opifices, e ſuis quique officinis, ſutores, piſtores, fabri, coriarij, omnis denique generis plebecula pariter prodiere: atque illi confeſtim inſultare cœperunt, appellare alij Canem, impingere alapas alij, pulſare per ſummum contemptum nates, capillos, ac barbam vellere, dentes excutere, pueri etiam, ac mulieres, quo imbecilliore ictu, hoc grauiore illius ſenſu, percutere. Inde præciſâ dexterâ, & altero oculorum effoſſo, altero haud minùs crudeliter ad inſpectanda probra relicto, abraſâ quoque caluariâ, ridiculo, & ſcabioſo Camelo impoſitus eſt, perque forum conuicijs, ac ſibilis obſtrepentibus circunductus. Tunc autem nonnulli fuſtibus, ceteri ſaxis, cœnoque, ac ſtercore eum appetere, totum præterea, ſed præſertim vultum, fœdare. Fuere etiam qui verubus latera fodicarunt. Scortum quoddam impudens ollam feruenti aquâ plenam e culinâ deſumptam in eius faciem effudit. Poſtremò e Camelo depoſitum, pedibus fune ſuſpenſis, verſoque in terram capite, inter duas columnas medium alligarunt: quo tempore direptâ illi tunicâ, ac penitus denudato impudentiſſimi homines fœdum in modum illuſerunt. Duo extitere, qui vtrâque manu connixi pugiones ſuos, mucronis periculum facturi, in eius nates adegerunt: tertius verò quidam longum enſem per fauces vſque ad inteſtina,

ſtina, horrendo ſpectaculo, traiecit. Itaque diu cruciatus tandem vitâ deceſſit, & canis in morem ſubter fornicem inſepultus iacuit.

B Romanorũ Principũ infelicitate ad reliquos argumentũ.

Hæc eſt illa Cæſarum laudata, votis omnibus expetita, toto terrarum ſanguine comparata felicitas. Ex hâc autem diſcere licet, quantum proſperitatis in reliquos minoris potentiæ Reges, eoſque barbaros affluat. Exempla e potentiſſimis Orbis terrarum Dominis deſumpſimus, atque etiam inter populos verſantibus, quibus mores ſuo cœlo perſimiles maximè mites, ac temperati. Quales exitus ſortiri, quali expectatione terreri eos Reges putamus, quibus minor in ſui tutelam potentia, maior in ſui odium barbaries? Quæ igitur dementia, quis furor, quæ furijs omnibus concitata rabies, tanto ardore in tanta pericula conniti? eaſque ſedes tam auidè ambire, quas videas cunctorum antea inſidentium cruore pollutas, ac veluti pellibus conueſtitas? ſtupor eſt, ibi felicitatem ſomniare, vbi tantæ ſedet infelicitatis expectatio.

Stultũ eſt, ibi felicitatem credere, vbi tam aduerſa timentur.

At non omnes Reges morte tam triſti obeunt. Certè noſtrâ, aut Patrum memoriâ pauciſſimi admodum Chriſtiani nominis Principes ſpiritum per vulnera effudere. Primùm non omnes tam infeliciter obeunt; at omnes timent: felicitatem verò non ſola mors, ſed mortis etiam expectatio fugat. Deinde quòd non cruentâ morte Chriſtianorum Principum exceſſerint multi, in Chriſtianam pietatem

Felicitatẽ non ſola mors, ſed etiam eius expectatio fugat.

tem

tem referendum eſt, quæ vel pios Reges, ne violentur, protegit; vel pios populos, ne impijs Regibus manus inijciant, coercet. Atque id eſt, quod contendimus; Pietatem, non Potentiam ad huius vitæ felicitatem conducere. Denique etiamſi multis cruentam mortem euaſiſſe licuit, non continuò etiam triſtem declinaſſe dixeris: niſi fortè triſtem non putes, quæ ab ipſâ triſtitiâ, ſeu mœrore prouenerit. Tam multos autem, e ſummis etiam Chriſtianis Principibus, animi ægritudine oppreſſos interijſſe conſtat vt illud in animum induxerim meum; quotquot Reges non ſua, ſed aliena probitas ferro aut veneno ſubduxit, vel ſolo mœrore, vel alijs morbis ab eo ſollicitatis, ante ſenectutem perijſſe; vix quenquam niſi pietate inſignem in vltimam ætatem perueniſſe. Eſt autem rationi magis conſentaneum vt principes, quàm priuati hoc mortis genere occumbant: priuatam enim vitam, vtcunque ærumnis oppreſſam, multùm ſolatur nota rerum humanarum mutabilitas, quæ illam ſpe meliorum lactatam ſuſtentat, ac fortunæ benigniori reſeruat. At quibus omnia in manu ſunt, & nihil in vitâ ſperandum ſupereſt, cum ceteroqui grauiſſimis premantur ærumnis, facilè in mœrorem, luctumque, nullâ ſpe ſubleuante, merguntur.

Triſtis mors etiã incruẽta, dum a triſtitiâ procedat.

Mœrore cõfecti Principes, quàm priuati ſæpius obeũt.

Nec vulgaris pietas, quæ fortè vulgarem hominem ſecurum præſtet, Principi tot iaculis impetito ſatis firmũ contra terrores munimentum eſt: imò illos, altiùs vt deſcendant, iuuat. Ingerit enim

Mediocris pietas non aufert, ſed auget Principis mœrorem.

G Prin-

Principi eius officium, ingerit officij negligentiam, ingerit ſempiternas pœnas a ſupremo Iudice negligentiæ ſtatutas. Audi grauiſſimas Diuinæ Potentiæ obiurgationes, & minas; deinde cogita, num qualiſqualis pietas, eorum præſertim, qui *fidem*
Rom. 1. 18. *Dei in iniuſtitiâ continent*, hoc eſt pios ſenſus impijs factis coercent, terrores minuat, an augeat.
Sap. 6. *Audite Reges, & intelligite. Diſcite Iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt a Domino poteſtas vobis, &c: cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam iudicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: Potentes autem potenter tormenta patientur.*

Obſeruæ hæc verba qui Potentiã affectas.

Vide, quàm inſipienter, quiſquis rerum potiris, places tibi in turbis nationum, a quibus habes nihil, niſi vt iudicium duriſſimum ſubeas, vt fortiùs torquearis: & id effice per quàm diligenter, ne vnquam verba iſta memoriâ dilabantur. Vtere diuinis comminationibus tanquã amico ad eas euitandas clamore. Recurrat ſæpe nouiſſimus ille dies, quo coram Supremo Regum Domino, ac Iudice, *potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt*. Si enim priuato cuilibet de vno ſe tantùm rationem daturo decretorium æternæ felicitatis, vel miſeriæ iudicium maximè terribile, ac formidandum erit, quanto magis cui commiſſa fuerit infinita

finita populorum multitudo, quorum ſcelera Princeps vbi permiſit, commiſit, de ſuo daturus pœnas, quas non exegit? illi enim præſtanda ſunt adulteria, furta, homicidia, ſacrilegia, ac cetera id genus crimina, quæ ipſo non coercente pullularunt: quid ſi etiam exemplo ſuo illa incitauerit, ac veluti benigno Solis aſpectu illuſtrata calefecerit, & calefacta prouexerit?

Committit Princeps aliena ſcelera, ſi potens impedire, permittit.

En igitur, vt ad propoſitum reuertamur, quò tandem ſua Principem altitudo perducit; vt nimirum ad omnem terrę motum leuiſſimè omnium contremiſcat; vt primus in Cœli iras, ac fulmina incurrat; vt (quod præ ceteris grauiſſimum eſt) e tantâ vitæ ſublimitate, atque honoris altitudine ſine pari caſu exire non poſſit. Summotis enim ſcalarum gradibus, per quos paulatim aſcenderat, deſcendere illi niſi per vnicum ac præcipitem ſaltum non licet. Quo circa eò mihi tandem eius omnis Potentia reuoluta apparet, vnde primùm diſceſſerat; nimirum ad ſummã impotentiam, imbecillitatem, rerum omniũ metum, ac ſuſpicionem; quorum altero ventura mala, obuiam procedendo, ante tempus excipiat; alterâ vel fictis, nec vnquam venturis malis veriſſimè torqueatur.

Infelix humanę Potētiæ circulus.

CAPVT QVINTVM.

Nullam ſolidæ quietis, ac felicitatis partem in Regum, ac Dinaſtarum aulis reperiri.

Deſipit, qui partē felicitatis in ſeruitio infelicis Domini ſperat.

Satis ex Superioribus liquet, quàm nihil ad huius æui felicitatem Potentia poſſit: inde autem æquè fit manifeſtum, quàm multùm deſipiant, qui ad Potentium aulas accedunt, vt ab ijs partem eius felicitatis accipiant, quâ ipſi Potentes ex toto carent. Attamen quia ad aulæ veſtibulum tanta nihilominus cæcorum multitudo fortunam mendicantium cernitur; debitæ pietatis officio me defuturum putauerim, niſi accommodatâ manu miſeros ab errore deductos ſtudeam in viam rectam reſtituere.

Ades igitur quicunque Regum aulas diu, no-

ctu-

Digitized by Google

ctuque hactenus ſuſpiraſti putans, te beatum fore, ſi coram Principe aſtare, ſi cum illo amicè verſari, ac familiariter poſſes: tametſi ipſum vtique ſibi amiciſſimum, ſecumque perpetuò verſantem miſerrimum eſſe iam intellexeris. Puto, me tibi non ingratum fore, ſi priùs de regiâ vrbe, deque aulæ ingenio (eius tamen, vnde exulet pietas, de quâ ſolâ ad operis inſtituti, propoſitum hìc agimus) paucis te moneam, ne tyro veteranorum ludus ad aulam accedas. Ergo principem regni vrbem tandiu expetitam votorum compos iam tenes, proſperæ ſcilicet fortunæ ſedem, honoris, opum, ac voluptatis fontem, beatè viuentium, ſi famę credis, domicilium: fidem tamen quæſo pauliſper ſuſtine, bone Adoleſcens, ne leuis corde citò credulus audias. Etenim hoc primùm noſſe te decet, plùs mortem in regiâ iſtâ regnare, quàm Reges: his enim ius eſt duntaxat in ſubiectas gentes, morti etiam in illos. De gentibus vero ſubiectis, quemadmodum nuſquam tantam mortalium, ita nec morientium tantam copiam vſquam inuenies. Quotidie plures totâ vrbe elatos intelliges, & alios quidem in ſuo lectulo a morte oppreſſos, traditos alios alienâ manu iugulandos. In tantâ enim arma geſtantium turbâ, & litigantium, & competitorum æmulatione vix fieri poteſt,

vt

cus, regios in cubiculis thoros, vaſa aurea, argenteaque, ſigna, tabulas, menſas citro, atque eboꝛe elaboratas, & quidquid denique alibi pretioſum ob raritatem admirationem habuit, hìc vile ob multitudinem, & quaſi in ordinem redactum admirationem cedet potentiæ redigentis. Ea autem vbi mente luſtraueris, cogita, eorum nihil ad te, poſtquam ſeruire cœperis, pertinere, niſi curam, ne tuâ culpâ quidquam labeſiat, aut corrumpatur; certus multos ex aulâ, nonnullos e vitâ quoque dimiſſos ob id vnum, quòd vitrum fregerint, vel ſellæ, aut mantili labem aſperſerint. Ex tam multis autem, quæ vides, cubiculis, illud tibi obuenturum puta, quod Domino tuo nullos vſus, ne ſtabuli quidem, pręſtabit. Semper enim equorum prior, ac potior, quàm tui cura erit in aulâ. Si tu ægrotaueris, alienum a dignitate putabit, te Princeps inuiſere: at ſi equus decumbat, ſtatim deuolabit in ſtabulum, & curas omnes in eius ſalutem, & ipſam famulorum valetudinem impendet: illos enim poſt diurnos labores totâ nocte lucubrare ad belluæ curam iubebit. Quin ſedulò etiam cauendum tibi erit, ne cum domeſtico catulo litem vnquam inſtituas: ſi enim ille querulus ad Dominum prouocabit; cauſâ ſine dubio cades: illi humanitas, tibi debita; tibi baculus, illi debitus, adiudicabitur: oſculis ille, & complexu in ſinum excipietur; tu foras fuſte, & clamoribus abigeris, vt canis. Proinde ſi Principis beneuolen-

Equorum potior, quâ aulicorum Principi cura.

Maior catuli, quàm ſerui ratio.

Principis beneuolentiam aucupāri equorum, & canū induendi mores.

lentiam tibi cupis adiungere; eam tunc fortè obtinebis, cum equinos, caninoſque mores indueris. Ferendum ſilentio erit, equorum ritu, quidquid fuerit impoſitum, & catuli inſtar domino vel cædenti blandiendum. Omnia illius cum plauſu, & gratulatione excipienda erunt: lingenda prope dixerim canis inſtar purgamenta oris. Ita ſuos facere ſolitos, non ſine ſtomacho affirmabat Mauritius Saxonum Dux, qui ſe non ſemel laudatum ab ijs audierat, *ſi bene ructaſſet*, quin etiam ſi naturæ ſordes cumulatè exegiſſet. Quare nec tuta, vt vides, ad Principis beneuolentiam via adulatio eſt, præſertim ſi is ingenio acer adulationem a verà laude diſcernere queat: apud hunc, qui catulos imitatur, inter catulos recenſetur, quos importunè blandientes calçe etiam, ſi opus fuerit, ſummouebit. Fama eſt, Conſtantinum Magnum, Regiæ domus mures, ac tineas, appellare ſolitum Adulatores, vt qui omnia clanculum ſuo ore vitiarent: item Vladislaum Poloniæ Regem adulatori colaphum inflixiſſe eà ſubiectà rogantibus reſponſione; *Par pari refero*. Par ſcilicet colapho dedecus Viro principi ratus adulationem, vt quæ puerile eius ingenium, talibus captandum, ſignificaret. Illi ſolùm laudibus delectantur, quibus minimè debentur, gratæ nimirum quibus gratuitæ: & quidem tam effuſas eorum nonnulli exigunt, vt ſępe patientiùs ferant hoſtem impudenter conuiciantem, quàm famulum parcè, ac verecun-

Iun. ſat. 3.

Nec tuta ſemper ea via eſt.

Laus maximè placet, cui minimè debetur.

recundè laudantem. Putant enim, modicam a famulo laudem materiæ inopiam declarare: proinde magis eſſe probroſam, quàm immodicam ab hoſte contumeliam, quæ ſuo quodammodo ſeſe impetu frangit, ac perdit, nullâ fide apud auditores inuentâ. Sunt & qui laudem amant, tametſi apertiſsimè falſam, vt quæ verum illud, quo ſuperbiunt, vim, ac potentiam ſignificet. *Laus vera*, inquiunt, vt olim apud Senecam Atreus, *& humili ſæpe contingit viro: nonniſi potenti falſa*: ipſamque ſordidam adulandi abiectionem pro obſequio ſumunt, exiguntque, ac danda denique eſt, ſi quid ab ijs auferre deſideras. Sen. in Thyes. Act. 2. ſc. 1.

Vide quid egerit, quid tulerit Ariſtippus, vt Dionyſium Tyrannum captaret. Is cum Regem pro amico aliquando interpellaret, nec ab eo poſt multa in fauorem amici dicta audiretur (pudebat enim Tyrannum, tanquam probroſæ infirmitatis, vel rationibus cedere) eius pedibus aduolutus precibus tentare cœpit, quem conſilio, & ratione ab ſe nequaquam expugnari poſſe animaduerterat. Id verò factum arguenti cuidam, vt Philoſopho indignum; Non mihi, dixit, id crimini dandum, ſed monſtroſæ hominis peruerſitati, qui aures habet in pedibus: mihi loquendum fuerat, vbi me noueram auſcultandum. Idem & conſpui ab eodem Tyranno æquo animo tulit: amicis verò indignantibus, Piſcatores, inquit, vt Gobium capiant, ſe patiuntur aſpergi; non ego patiar, vt Cetum? Denique Ariſtippi deiectio in obſequium Dionyſij. Laert. in eius vit.

Quanti Aulico Pricipis beneuolētia cōſtet.

nique vt probè teneas, quanti ſtet Principis gratia comparare volentibus, illa eius tibi vox occurrat, qui cum in cultu Regum, Senecâ teſte, conſenuiſſet, rogatus, quo pacto, rem rariſſimam in aulâ, ſenectutem conſecutus eſſet; *Iniurias*, inquit, *accipiendo*, *& gratias agendo*. Eàdem quoque tibi viâ reptandum erit, vt ad Domini gratiam euadas, canoſque in aulâ, nec malis properatos inducas. Sæpe enim, vt eleganter Boetius, *Venit properata malis inopina ſenectus, & dolor ætatem iuſſit ineſſe ſuam*.

Sen. l. 2. de ira c. 33.

De conſ. Phil. met. 1

Aulicorum munera iniurijs grauiora.

Præter iniurias tamen, grauiora fortè, ſaltem ob diuturnitatem, ac defatigationem, tuum tibi munus (ita Latinis dicitur iniunctum quodlibet officium, ſcitiùs Italis Onus) citra iniuriam imponet: præſertim ſi nobili loco natus inter aulæ Primores admitti cupis. Illud enim in animo tuo ſtatuendum; antequam vlla tibi momenti alicuius adminiſtratio committatur, maximam vitæ partem, & fortè, vt quamplurimis accidit, omnem, ſedendo, expectando, nihil agendo, ante Domini cubiculum traducendam. Quod vitæ genus homini non prorſus inepto ſtolidoque tam moleſtum eſt, vt Poeta, veriſimilium apprimè ſtudioſus, illud inter præcipuas Tartari pœnas recenſere non dubitauerit: *ſedet*, inquit, *æternùmque ſedebit infelix Theſeus*. Ad hæc comedendum tibi erit, non cum valida atque integra fames cibum exegerit, ſed cum languida recuſauerit: & loco ſui condimenti,

Æn. 6.

Eorũdē difficillima viuēdi ratio.

quod

quod iucundiſſimum eſſe ſolet, amariſſimam bilem
diu fruſtrata parauerit. Dormiendum, non cum
tibi, ſed cum Domino tuo ſomnus ingruerit, &
a te fortaſſe ob impatientiam receſſerit. Poſt il-
lum cubitum ibis, ante illum exurges, vt ei ex-
perrecto ſubuculam (quod magnum tibi decus
erit), aut thoracem, aut caligas, aut calceos mi-
niſtrare poſſis in tempore. Denique eo loco tu
apud Principem eris, quo apud te famulus tuus,
hoc dempto, quod tu ingenuum ac liberum ca-
put ſeruituti ſubijcies, ille ſeruile. Seruies tu quo-
que infimo, vbi res poſtulauerit, miniſterio: mer- Merces exi-
cedem accipies, plerunque tamen tam parcam, gua, totaq;
vt nec decenti Dominum pallio (in quod tota ei- domino re-
dem Domino reſtituenda erit, eiuſque honoribus ſtituenda.
impendenda) ſuffectura ſit: interdum nullam, &
mercedis loco ſpes computabitur. Denique, quod
præ reliquis duriſſimum erit, quotidie ad hoc pa-
ratus eſſe debes, vt domum tuam ab aulâ dimiſ-
ſus repetas, habeaſque ſeruitutis fructum, parum
decoram ipſius dimiſſionis notam Principis indigna-
tione in reliquum ætatis inuſtam.

At tanti eſt, Potentis gratiam demeruiſſe, vt
ſudem, vt algeam, vt damna quælibet, ac peri-
cula ſubeam: nec defuturas mihi artes ſpero, qui- Aulæ artes
bus me Principi neceſſarium, reliquis famulis per- parum feli-
utilem oſtendam; itàque pronum mihi ſit, obiecta ces.
pericula deuitare. Illum tam multis officijs, meri-
tis, muneribus mihi obſtringam, vt parem mihi gra-

Digitized by Google

tiam referre non poſſit, niſi referat ſummam: aut ſaltem, ita me in eius arcana penitus inſinuabo, vt eorum conſcientiâ, ne me offendat, terrorem inijciam: iſtis verò meam fortunam, promiſsâ communicatione, optabilem faciam; & quà munuſculis, quà mendacijs, tumidos eorum inuidiæ fluctus vel componam, vel eludam. Primùm non modò gratiam a Potentibus, verùm & Potentiam ipſam aſſequi, tanti non eſſe, ſatis in ſuperioribus demonſtrauimus. Deinde fac, te quotidiano obſequio, atque aſſiduis laboribus Dominum tuum demeruiſſe, ab eoque gratiam vnâ cum cenſu magno, atque in vulgus auctoritate comparaſſe, quid aliud, niſi per minora in maximum, extremumque periculum deueniſti? illud nempe, vnde præcipites excidère Amanus, Seianus, Ablauius, Ruffinus, Eutropius, alijque propemodum innumeri, qui vbi ſe diademata inuenturos arbitrabantur, ibi laqueos, & exitium inuenere. Quàm multorum vertici inſiſtes, tam multis eris intolerabilis, totidemque hoſtes habebis, contra quos collatis odijs, conſilijſque decertantes tibi depugnandum erit. Tua omnia dicta, factaque obſeruabunt: praua mordebunt: ambigua in deterius trahent: vtraque fabricandis ex falſo calumnijs adminicula aſſument: tuo ſemper imminebunt exitio, nec vnquam abs te vrgendo abſiſtent, dum ſolo æquatum conſpexerint. Tu enim per aliorum ruinas in faſtigium iſtud deueniſti, alij per tuas aſcendere conabuntur:

Periculoſa Potentium gratia.

Aulicorum inuidia.

tur: & quo maior eris, eo altioris aſcenſus de tuæ fortunæ fragmentis ſpem illis facies: atque hæc eſt aulæ quotidiana exercitatio; bellum inteſtinum cum domeſticis gerere, tam fœdum, quàm cæcum, totumque per inſidias, & cuniculos occultatum. Quare nullam ibi amicitiam inuenies, niſi in ſpeciem, quæ, peſſimum inimicitiæ genus, caput blandè demulcet, vt conſopitum abſcindat.

Aulicarum artiũ vanitas, & cõtrarij exitus.

Quod verò attinet ad artificia, quibus tibi Principem ſimul, & conſeruos obſtringere meditaris, valde a propoſito aberras; quæ enim captando Principi vincula paras, eadem tibi laqueos nectis imprudens.

Timendā Principum debita.

Primùm caue, ne nimiùm ſe tibi Princeps obſtrictum putet: nihil enim ſummæ libertati intolerantius, quàm aſtringi, ac premi: ijs te oculis ſemper aſpiciet, quibus debitor exactorem: & ne pauperis notam incurrat, occultas ſimulabit offenſas, ob quas te ex aulâ dimittet, iactabitque, ſolâ impunitate, ac vitâ dimiſſâ ſatis abundè tua eſſe beneficia compenſata.

Et magis credita arcana.

Deinde magis etiam timendum tibi erit, ne ob arcanorum conſcientiam timeat te Princeps. Haud enim te animo offenſum dimittet, ſed exanimatum, tecumque arcana tibi cõmiſſa ſepeliet. Et ſi tua in eum merita notiora ſint, quàm vt diſſimulari poſſint; ne palàm Ingratus audiat, parato in tempus veneno negotium tranſiget: deinde mortuo largiter exoluet, quos viuenti debuit honores; illud fortè Caracallæ Cæſaris in Getam fratrem ab ſe

inter-

interfectum, & conſecratum vſurpans; *ſit Diuus, modò non ſit viuus*. Conſeruos verò tuos valde arduum erit munuſculis delinire, qui ſibi abs te raptum putant quidquid de communi fortunâ plus poſſides; & ſi muneribus mendacia miſceas, munera ipſa inter mendacia numerabunt, tanquam amorem ſui præſeferentia, tui occultantia. Fieri enim haud poteſt, qui ſæpe mentitur, eum aliquando non deprehendi: ſemel autem deprehenſus, ſemper erit de mendacio ſuſpectus, & fortè veriſſimè mendax etiam cum verum dicet, quia dicet, vt ſibi fidem colligat mox mentituro. Quare ſe magis, quàm alios fallunt, qui dolo, ac fraudibus rationes ſuas procurandas committunt: ſiquidem amiſſà fide ſocietas omnis dirimitur, ſine quâ nulla noſtra machinamenta, alienis humeris ferenda procedunt. Nunquã exitus bonos vulpina inter homines ſortitur aſtutia, belluis ceteroqui deludendis ſufficiens: ſed ſola prudentia ſucceſſu gaudet. Hæc tamen cum ſine pietate eius magiſtrâ, ac duce non ſit, raró inuenitur in aulâ, a quâ *exeat* neceſſe eſt, ſi prouerbio credimus, *qui vult eſſe pius*.

Médacij velamentũ infelix.

Hæc omnia reputa antequam te aulæ committas; & vide, an rectam viam inieris, quâ ad felicitatem peruenias: an potiùs alia quærenda tibi aula ſit, vbi Rex ille Regum dominetur, qui ſeruos omnes in filios adoptat, & ſeruitutis pretium cœleſtis Regni conſortium ſtatuit, cum eâ præſentis gaudij acceſſione, quâ par eſt eum gaudere, qui

Sola Dei ſeruitus maximè honeſta, vtilis, ac iucunda.

qui tanti Regis e ſeruo filius ad ſuperni Regni coronam ſe nouerit educari. Quod tamen cum tibi firmiter perſuaſeris, illud ad extremum monendus es, non deeſſe hodie pios quoſdam Dynaſtas, qui Pietatem ſecum, quin & in ſe regnare voluerunt. Huiuſmodi ſi Deus dederit vt aulam inuenias, non quam hactenus deſcripſimus, ſed Diuinam ipſam, quam magnoperè ſuademus, inueniſſe te puta.

CAPVT SEXTVM.

Felicitatem huius vitæ gloriâ humanâ, ac nominis celebritate minimè conſtare.

QVemadmodum futuræ vitæ ſempiterna gloria, ſempiterna felicitas erit; ita fortè ſibi quis perſuaſerit, huius vitæ mortalis gloriam huius eſſe vitæ mortalis felicitatem. Id maximè confirmare videtur Principum Virorum irrequieta ſemper gloriæ, bonæque opinionis in vulgus parandæ ſollicitudo. Huc enim cunctis potentiæ viribus, huc opibus, huc belli, pacif-

Gloriæ cupiditas quã mortalibus cũctis cõmunis, ac vehemens.

pacifque artibus Reges omnes incumbunt. Quouſque nomen ſuum ſaxis omnibus poſteritati ſeruandum nequaquam commiſerint; nullum e Regno ſe cepiſſe fructum exiſtimant, ſeque veluti futuris ſeculis emortuos deſiderant. Quale igitur decus, cui comparando ſua Regna, ſeque ipſos vniuerſi Reges impendunt? Qualis iucunditas, ſine quâ regia fortuna, cunctis voluptatibus affluens, mœret, ac luget? Accedit totius humani generis planè effrænata gloriæ cupiditas, cuius ſtimulis incitati complures in mortem eo ſeſe vultu præcipites agunt, qui ad immortalitatem migraturis congrueret: tam læti rogum inſiliunt, quàm qui animo, ac ſpe tranſiliendi, de fortitudine gratulationes accepturi. Denique tanta cunctos ſui nominis publicandi tenet ambitio, vt ne illi quidem eam excuſſiſſe videantur, quorum de contemnendâ gloriâ extant volumina. Iis enim, vt Tullius in ſuæ ambitionis patrocinium notauit, ſua nomina inſcripſere: tanto ſcilicet plus ceteris laudis ambitioſi, quanto eiuſmodi ſcribendi genere eam ab ambitionis notâ purgatam maluerunt.

Or. pro Arch. poe.

Cur auctoris nomen inſcriptū, vbi de cōtemnendâ gloriâ agitur.

Hoc mihi, antequam vltra progrediar, diluendum crimen eſt: ne ipſe quoque, cuius nomen huic libello præfigitur, in ſuſpicionem veniam, eodem conatu me gloriam captare velle, quo inſector, videlicet venator, non hoſtis. Primùm is mihi teſtis eſt, qui arcanis omnibus conſilijs intereſt, me ſuppreſſo nomine, quos ſcripſi libros,

edere

Digitized by Google

edere voluiſſe: at per eos nequaquã licuiſſe, quibus edendorum librorũ cognitio incumbit. Hi enim ſanctiſſima Tridentinæ Synodi decreta ſecuti nulli *quoſuis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris* imprimendi poteſtatem eſſe volunt: hoc ſcilicet ſapienti conſilio, vt ſi quid prauæ doctrinæ in publicum prodierit, is qui protulit, ſtatim conueniri queat, cogique, vt vel datis rationibus deſtruat obiecta, vel datis pœnis errores, ne in publicam perniciem ſerpant. Itaque non auctor, ſed reus tutandi operis citor, pœnas, ſi quid de meo appoſui, non laudes, ſi quid de alieno rectè dixi, relaturus. *Quid enim habes*, inquit largitor omnium Deus, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Impudentiſſimæ frontis eſt, tanquam ſuum in eo cœtu recitare carmen, vbi auctor inter auditores conſideat. Huic me crimini minimè exemerim, ſi Deo inſpectante, qui Boni omnis eſt auctor, libellos iſtos tanquam meos ſpargi, ac recitari voluerim. Certò enim mihi conſtat, alias meas partes in ijs ſcribendis non fuiſſe, niſi librarij dictata excipientis, & ſæpe malè audita deprauantis. Si quid in ijs erratum, ſi quid ignoranter dictum, hoc tantummodo meum eſſe noui, cetera Deum habent auctorẽ. De reliquis verò Scriptoribus, quorum libri de gloriæ contemptu circunferuntur, ſi Chriſtiani ſint, ſimili aliquâ de cauſâ in eam mentem impulſos credere iuuat, vt ſua nomina libris inſcriberent. Fortè qui ijs præerant, intelligen-

1. ad Cor. 4. 7.

tes, vtiliora fore documenta, ſi eorũ nomen præferrent, quorum vitæ ſanctitas vtilia fuiſſe demonſtraret; ad illud præfigendum ſubiectos ſibi Scriptores adegerint. Fortè his vitâ functis additum in librorum commendationem, & pretium fuerit. Certè non deſunt, quorum nomina adhuc ſub Anonymorum pronomine deliteſcunt. De ethnicis verò non habeo, quod ethnico Scriptori Tullio, ſe ſuoſque probè noſcenti opponam. Illis enim vana præſentis gloriæ imago, futuræ, ac veræ, quam deſperabant, locum obtinuit: quippe ad eam omnia referebant, & quidquid ab ijs honeſtè factum legimus, ex humanæ gloriæ cupiditate manauit: quin etiam non aliud illis erat honeſtè factum, niſi quod publici honoris auctoramentum honeſtaret. Quare credibile eſt, vias omnes maximè occultas, & ſæpe ceteroqui turpes tentaſſe, quibus ad gloriam euaderent: nec turpem vllam, aut ingloriam habuiſſe viam, quam ipſa gloria terminaret.

Iam redeamus ad inſtitutum. Quantâ Cœlum magnitudine Terram, tantâ Cœleſtis Gloria terrenam exuperat. Punctum eſt Terra, inquit Seneca, ſi cum Cœlo conferatur. *Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti*; inquit Diuini Numinis Spiritus, cui hypocrita eſt, Impius quilibet laudibus cohoneſtatus. Vides hìc vt Humanæ Diuina concinat Sapientia: nam ſi Terra vniuerſa punctum eſt, vtique cuncta eius ornamenta, laudes,

L. 1. nat. quæſt. c. 1.

Iob. 20. 5.

des, & gaudia puncto maiora eſſe non poſſunt. An dubitas Senecæ fidem adiungere, quòd videas illum tã ſollicitè ſuas concinnare ſententias, vt ijs adornandis leue ducat terrarum orbis impendium, illum extenuans, vt ad ſuos vſus coarctet? At idem antea ſenſerat Ariſtoteles, idem veterum Philoſophorum plerique; qui ceteroqui terram Communis Matris nomine venerabantur. Saltem non dubitabis, niſi tuos etiam tibi oculos credas imponere, quin vnumquodque ex ijs ſideribus, quæ aciem fugiunt, & vix diu fatigatam admittunt, inſtar puncti, cum vniuersà Cœli amplitudine collatum, obtineat. At certiſſimis Aſtronomorum inſtrumentis conſtat, minimum ex illis, quæ ſextæ magnitudinis dicunt, ampliùs decies, & octies terreni orbis modum excedere. Si igitur minimum ſidus ad Cœli amplitudinem punctum eſt, Terra tot partibus eo ſidere minor ne Puncti quidem vocabulum æquabit.

Terra punctũ auctoritate, & ratione nititur

Clau. in ſph. Io: à Sacr. boſ.

Quantulam porrò terreſtris huius puncti, ſeu atomi partem fama noſtri nominis occupabit? Certè Alexander Macedo, cuius rumorem tot vrbium ruinæ, ac pereuntium gentium clamores fecere, innumeros Aſiæ, Africæ, atque Americæ populos tam ignotus latet, quàm nos potentiſſimi quique eorundem populorum Reges. Igitur ſi Alexandro, cui nihil intentatum relictum ad ſui nominis gloriam propagandam, minimè licuit anguſtum hoc Terræ ſpatium ſuo rumore complere; quid reliquis,

Pũcti huius minimam partem cuiuſq; magni nominis fama occupat.

priuatis præſertim hominibus, ſperare licebit, qui Regum inſtar vectigalem, ſeruamque famam non habent? Præterea quandiu, putas, fulgebit hæc tam minuta, punctoque minor gloriæ ſcintilla? Profectò triginta illi Reges, qui poſt Ninum huius nominis alterum ampliſſimo Aſſyriorum Regno potiti ſunt, ne nomen quidem ſuum ad hæc vſque tempora, quin etiam nec ad vetuſtiſſimorum, quorum nunc ſcripta legimus, Hiſtoricorum ætatem protulere. Hiſtoriam Plato, labentium rerum fluxum vt ſiſteret, adinuentam dixit: at elegantiùs, quàm veriùs, nam ipſe rerum fluxus ſua ſecum abducit hiſtoriarum repagula. Auctor eſt Plinius, Ægyptios quoſdam Dynaſtas tam immanes, planèque inſanas corpori ſuo, magiſque nomini poſt mortem tuendo extruxiſſe Pyramidum moles, vt vix fides illis futura eſſet vlla, niſi eam compluriũ, & nobilium Scriptorum præſtaret auctoritas. Trecenta ſexaginta hominum millia illarum vnam fabricaſſe tradit; in quorum cibum factos tam ingentes ſumptus, vt in ſolas cæpas, allium, ac raphanos mille octingenta talenta fuerint erogata. Octo ſoli iugera baſis obtinuit, cuius latera ſingula, inter quaternos angulos pariter oblonga octingentos octoginta tres pedes excurrebant. Hæc autem, atque alia eiuſmodi, vbi de Pyramidum reliquis expoſuit, inter omnes Hiſtoricos (enumerat autem duodecim, quorum tamen monumenta nulla nunc extant) minimè conſtare ait, a quibus fuerint

Ad tempus etiam ſatis breue porrigitur.

Ex Poſſeu. in exord. ad Bibliot.

Plĩ. hiſt. nat. l. 36. c. 12.

Ægyptiacas Pyramides quinam cõſtruxerint, olim ignotum.

rint fabricatæ, *Iuſtiſſimo caſu*, dicens, *obliteratis tantæ vanitatis auctoribus*. *Prouidentiâ* tamen, ſi noſſet, dicere debuerat; non *Caſu*, cuius non eſt res tam prouidè adminiſtrare, vt rectiùs prouidentia non poſſet. Fuit quidem qui ad hæc vſque tempora nomen ſuum infinito adhibito conatu porrexit: quid autem? num & cum antiquo ſplendore, ac laudibus proferre licuit? an potiùs eius famæ accidit, ſicut glandibus tormentorum, quas cum fulgore dimiſſas fumus tantummodo comitatur, & quæ fama venerat, fumo obſcurata, infamia peruenit? Profectò Alexandri nomen grandis eo viuente ſtrepitus pari cum ſplendore in omnes partes dimiſit: ad noſtras autem aures planè, vt æneus globus, cum fulgore diſceſſit, cum horrore peruenit. Laudant indocti, exornant in ſcholis pueri, atque ad illorum vſum ludimagiſtri; at ſapientiſſimus quiſque tanquam humani generis peſtem auerſatur, ac damnat, vt qui immaniſſimæ ſuperbiæ ſuæ infinito innocentium populorum ſanguine litandum duxerit.

Alexandrū indocti laudant, docti reprehendunt.

Ex ipſis verò imperitorum laudibus ſatis apparet, quā nullius ſit ponderis aura popularis, quàm leues ſint quos illa attollit, apud quos inter grauiſſima computatur. Quid enim leuius, quàm bonam inter eos opinionem quærere, quibus optima ſemper de peſſimis, peſſima de optimis fuit? Quid præterea bonæ opinionis eſſe queat in tam ſtultis capitibus, quorum ſententijs ſanctiſſimos quoſque viros in cru-

Leuis aura popularis, leuiores, quos attollit.

cem

cem actos, turpiſſimas quaſque belluas in regios thronos eucctas conſtat? Huiuſmodi ego homines meæ felicitatis arbitros conſtituam? Ita vt mœrere debeam, ſi de me malè ſenſerint, gaudere & gloriari, ſi bene? Ego verò ne nuce quidem vitioſà, vt aiunt, tantum vanitatis emendum duxerim: nec virtutis, aut excellentiæ argumento dandum, ſed ſtultitiæ, excipi a ſtultis cum plauſu, atque eorum gratantium coronâ circundari. Præclarè Phocion ille Athenienſis, cui cum ad concionem dicenti ſubitò populus acclamaſſet, conuerſus ad aſtantem rogauit, num fortè aliquid deliraſſet, aut verbum quodpiam imprudenti excidiſſet, dignum, cui populus inſipiens tantâ acclamatione adhinniret? Præclarè, inquam, delirantis turbæ fauorem in dicentis deliria traxit: quippe optimè norat, neminem niſi genio ac moribus ſuis gratulari; nec probare quidquam in ceteris, niſi ſi quid de ſuo in illis agnoſcat.

Phociō populi plauſū ſui erroris argumentū credidit.

Memini me aqud nobilem Scriptorem hoc inſuper ad firmanda, quæ diximus, bellè factum inuenire. Italo cuidam erat in Galliam per Alpes aliquando iter: fortè fortunâ contigit, vt in oppidum quoddam montibus arctè circunſeptum, ac prope ſepultum diuertiſſet: vbi Cœlum tres ferè non ampliùs vlnas patens lucem non niſi malignam ad ſuas incolis miſerias obiectandas miniſtrabat. Inde autem halitus craſſiores eorum omnium gutturi enormis, ac viſu fœdi tumoris acceſſionē fecerāt.

Sfort. Pall. l. 2. de Bono. c. 16.

Ade-

Aderant in viâ, quâ viatori tranſitus erat, luſitantes pueri, qui ſimul cum conſueto ibi gutture carentem inſpexere, luſu relicto mirabundi, veluti ad monſtrum accurrere, pro ſe quiſque propiùs accedere, ac circunfundi: mox ridere inter ſe, ac ioca alter alterius in aurem inſuſurrare: nouiſſimè abeuntem illum vocibus palàm ſibiliſque ſublatis a tergo procaciter inſultare. Quâ petulantiâ, & contumelijs vbi ſe peti viator animaduertit; miratus eſt, ſe a tam ridiculâ homuncionum colluuie irrideri: cumque iam fronte ad iram contractâ eos toruè, ac minaciter intueretur, vultum tandem explicare, atque iracundiam omnem in riſum effundere compulſus eſt. Audijt enim matres, ad puerorum voces excitas, natos ſollicitè euocantes, monenteſque ſeriò, ne alienis calamitatibus procaces, Deoque ingrati inſultarent: quin potiùs Superis gratias agerent, quòd ſe præ ærumnoſo illo, ac mõſtroſo viatore omnibus membris abſolutos naſci conceſſerint. Ita planè res eſt: Aſſuetudo, ac familiaritas noſtra nobis vitia conciliat, quæque diu in nobis probauimus, probare in alijs didicimus, reprehenſuri tanquam mancos, qui noſtris deformitatibus careant.

Monſtroſi ob aſſuetudinem tanquam mãcos irridẽt, qui ſuis deformitatibus carent.

Hæc famæ popularis conditio eſt: nonniſi indocta, rudis, plebeia eſſe poteſt, quæ rerum æſtimationem ab indoctæ plebis ſenſu deſumit. Longè præſtat ab hac reprehendi, quàm commendari: nam cum inter Sapientes conſtet, ſuis eam male-

Repræſentia a vulgo geſtar, quā commēdaria.

ledictis ſolitam, virtutem accipere; virtutem, eius maledicta, non vitium, niſi maledicentis, ſignificant: quemadmodum & laudes ad turpiſſima quæque commēdanda dicatæ, iam ex vſu, & perpetuâ obſeruatione turpitudinem indicant: ac proinde inquinat ſordidæ huius famæ lingua, quos lambit. Malo, me ab eâ palàm mendaci improbum vnà cum Chriſto humanæ ſalutis auctore, quàm Diuum cum Tiberio, cum Nerone, cum Caligula, ceteriſque generis humani propudijs, nuncupari. Chriſti membra crucem tangendo ex infami ſupplicio eximiæ nobilitatis inſigne fecerunt; quidni eadem ſuo contactu reprehenſiones, irriſiones, contumelias honorauerint? Atque e contrario quidni teterrimi hominum, quos geſſere honores, laudeſque, ac denique vniuerſam gloriam humanam ſuo vſu profanauerint, ac planè infamauerint? Mihi certè fama in peſſimos mortalium adulandos proſtituta eo loco eſt, quo viliſſimi ſcorti acclamatio, & plauſus. Ab hoc enim laudari tam pudori eſt, quam olim ſuo fuit amaſio meretricula quædam, quæ illi inter Romanæ Curiæ Purpuratos cooptato feſtis ignibus in ſua domo, totâque viciniâ gratulata eſt. At multum intereſt, inquies, inter meretricium plauſum, & famæ, quæ generis humani vox eſt, prædicationem. Mihi crede, quin potiùs Deo per Ioannem loquenti; non plùs diſtat, quàm a meretrice magnâ, *quæ corrupit terram in proſtitutione ſuâ*, diſtet ignobilis meretricula.

Vt crucem contactu, ita cōtumelias Xp̄us honorauit; contra honores ſuo vſu peſſimi hominum infamarunt.

Apoc. 19. 2.

cula. Meretrix magna, Auguſtino interprete, gens hominum vniuerſa eſt, quæ olim, legitimo Sponſo ſuo vero Deo relicto, Dijs adulteris, ſeu Diabolo in ijs latenti ſe vitiandam proſtituit, ac deinde vitioſis opinionibus poſteritatem omnem corrupit: quid igitur indecorà, ac probroſâ eius acclamatione delecter, atque elatus, ac reſupinus incedam? Quis ſanus eâ humanam conſtare felicitatem, quæ ſummum bonorum eſt, pronunciet? Nunquid aliud ab eiuſmodi plebeijs rumoribus aſſequi poſſum, quàm quod paſſim iactetur, me ſtultæ plebeculæ non diſplicere? Non melior ſum, quia dicor; nec Sapiẽtia mihi, nec pulchritudo, nec robur accedit ex alienâ vel opinione vel voce. Vbi me ampliſſimis verbis exornatum audiui, non aliud didici, niſi me habere amicos vel deceptos vel deceptores, qui laudando, quæ mihi deeſſe teſtis oculatus video, inopiam meam mihi in memoriam reuocant, & , vt id non agant, obiectant. Domum redeo idem, qui veneram, cum meis morbis, angoribus, ærumnis, dempto tamen grato illo auræ popularis ſuſurro, qui meos ictus, ac vibices afflabat: quanquam & iſte idem laudis ſuſurrus tã leuiter cutim præteruolat, vt ne culicem quidem ex eâ difflare valeat: fac enim me leuiſſimo quolibet animi morſu perſtringi; nulla vnquã dolorem meum mitigabit gratulatio.

In Pſ. 26. enarr. 2.

Nemo melior, quia dicitur.

Denique nihil ambitioſo infelicius, qui ex alienâ ſemper ſententiâ pallidus pendet, totidemque

mortalium veretur vt iudices, quot obuios habet. Seruire omnibus cogitur, qui ſuæ famulatur dignitati, cui tuendæ nonniſi publici fauoris conſenſio par eſt, perdendæ priuati cuiuſuis iniuria: &, quod miſerrimum eſt, tam operoſæ ſeruitutis mercedem nec vnquam petere poteſt, vt quæ petentibus negari ſoleat, ac tribui recuſantibus; & ſi vltro detur, nunquam ita obtinere valet, vt ſui iuris efficiat: non enim alienæ mentis bona de nobis opinio, quæ ambitioſi laboris eſt merces, vnquam in noſtrum tranſire poteſt arbitrium.

Ambitioſi omniū iudicio, ac dominio, & ſine mercede ſe ſubdunt.

At plerique mortalium vel impendio vitæ famam conquirunt. Quid proinde? etiam æternæ vitæ pretio a nonnullis paratur: num propterea æternæ vitæ præferendam dixeris? An dubium tibi eſt de Diuini illius Oraculi veritate: *Stultorum infinitus eſt numerus*? ſin autem dubium non eſt; dubitas forſitan, quin ad infinitum numerum implendum, quâcunque hyperbolem illam interpretatione caſtiges, requirantur mortalium plerique? Quod ſi tandem huiuſmodi homines, qui vitâ famam redimendam cenſent, inter ſapientes collocandos contendis; crede hoc illis ſaltem vt ſapientibus, quod ſanum neminem latet; Famam, quæ huius vitæ iacturâ comparatur, eſſe non poſſe huius vitæ felicitatem.

Eccl. 1. 15.

Vitæ felicitas parari nequit vitæ iacturâ.

CA-

CAPVT SEPTIMVM

Corporis voluptate nequaquam hominis in hac vita felicitatem contineri.

PVderet ſanè, inter homines hanc inſtituere quæſtionem; An vbi pecudum, ibi & hominum felicitas ſit; niſi totum ſibi pudorem aliud noſtri generis dedecus longè turpius vindicaret: nimirum tam multos e noſtro hominum genere voluptatibus abductos paſſim inueniri, qui pecorum partes, non diſputando, quaſi de re dubiâ, ſed viuendo tueantur. Nullum vitæ inſtitutum præ Epicureo frequentiores habuit cultores. Ante Epicuri exortum iam toto terrarum orbe Epicurei ſine pallio debacchabantur, qui, vbi ille prodijt, & voluptatem prædicare cœpit, libentiſſimè nomen ei ſuũ dederunt e Bacchantiũ Albo inter Philoſophos tranſcribendum; gratiam illi maximam habuerunt, quòd ſuas voluptates pallio tegeret philoſophico, eoque probrum illis detraheret, vnde plurimũ diluerētur. Sic fecerunt ſuo Luthero Lutheriani, Caluiniſtæ Calui-

Epicurei ã-te Epicurũ,

Digitized by Google

no, Zuingliani Zuinglio, ceterique ſuis Ducibus noſtri temporis Epicurei: qui gratiſſimi illis fuere, quòd furta, rapinas, inceſtus, adulteria, quæque alia vocari antea flagitia ægrè tulerant, *Euangelium reſtitutum* nuncupauerint: quo nec vocabulo contentus Michael Molinos commeſſationibus ſuis, ſuorumque ſectatorum, & ebrietatibus, & cubilibus, & impudicitijs *Altiſſimæ* etiam *contemplationis*, ac *Thereſianæ Quietis* titulum nuper inſcripſit. Itaque mortalium nequiſſimi Chriſti Seruatoris imaginem Epicuro velamen obtendunt, minùs offenſuri, ſi impudentiùs peccarent: ſaltem non cogerent epicureis libidinibus Chriſtum lenocinari. Nihil autem his in cathedrâ peſtilentiæ ſedentibus magiſtris æquè tantam auditorum frequentiam conciuit, ac promiſſa diſcipulis, non in futurâ, ſed in hâc vitâ, & vbicunque voluerint, repræſentanda felicitas. Igitur vt ſeductos populos reuocemus, opus eſt, ſuum illis errorem ob oculos ponere; ac monere, in corporis voluptate æquè ſtatutum eſſe pecoribus bonorum omnium finem, atque hominibus malorum omnium initium: vltimum nempe gradum ad quem bruta poſſunt aſcendere, primum per quem homines in bruta deſcendunt. Quod tamen cum hâc exceptione intelligendum cenſemus; niſi temperantia voluptatẽ ad munus illi a naturâ præſcriptum coerceat: nimirum ad vitæ neceſſaria condienda, nobiſque ſecus faſtidituris commendanda. Optima enim ſunt condimenta, ſi

Gaudent, ſuis flagitijs *Philoſophiã*, atque *Euangelium* inſcribi.

Voluptas pecoribus bonorum finis, hominibus malorũ initium.

Niſi eam tẽperantia in officio cõtineat.

ci-

cibum concilient; peſſima, ſi præſtent: videlicet prodeſt ſaccharum, vbi cœnam inſpergat; interficit, vbi vniuerſam efficiat. Ita ſanè voluptas, ſi ſeruiat noſtræ infirmitatis remedijs mitigandis, vtilis, & probabilis eſt; ſi ſuo iure, nulliſque legibus aſtricta veniat, venenum affert poſt acerbos dolores interfecturum.

Igitur, vt huius rei altiùs, & a ſuo fonte, vbi liquet, veritas educatur, hoc primùm ſtatuendum eſt; Nihil homini acerbius contingere poſſe, quàm vt ex homine in pecudem tranſeat, ſuis, vtcunque voluptatibus affluentem. Vtique ſi oculis noſtris huiuſmodi metamorphoſis obijceretur, lachrymas non teneremus; quando vix pudore cohibente tenuimus, cum apud Poetas audiuimus, & credidimus fabuloſas. Quid? num Diuinis oculis minus fidei, quàm noſtris, eorumque teſtimonio vis minor erit ad nos commouendos, quàm fabulis Poetarum? At certè in Sacris Litteris paſſim occurrunt Dei teſtimonia, quibus homines ventri, ac libidini datos, Canes, Porcos, Equos, Mulos, Matt. 7. 6. & 15. 26.
Lupos Dominus appellat. Vtique hæc ad ſimilitudinem, non ad veritatem dicuntur: at ſimilitudo cum mutis animalibus, non veritas, quæ in hominem cadere nequaquam poteſt, illius ſumma turpitudo eſt; vbi præſertim tanta ſimilitudo ſit, vt alienos oculos fallat, idemque intuentibus vocabulum ſuggerat, quod viſis belluis occurrit. Quid enim imaginem Diuinitatis ſortito turpius,

2. Pet. 2. 22. Tob. 6. 17. Pſ. 31. 9. Matt. 7. 15. & 10. 16.

ac

ac miſerius euenire queat, quàm quòd vſque adeo ad belluarum ſpeciem accedat, vt non modò a luſciosis hominibus, verùm a ſummâ Dei Sapiẽtiâ inter belluas computetur?

Voluptatibus deditus belluis miſerior.

Adde, quòd ſi rem penitus inſpexeris, homo voluptatibus efferatus belluis miſerior eſt, quòd in voluptate perſequendâ plùs omnibus fatigatur, ac furit, minus omnibus obtinet. Nihil illo ferocius, vbi ingenium, quo cunctas edomuit feras, ad ſuam ferociam acuendam adhibuit. Nihil non tentat, nihil non audet ad conſpectam voluptatem erecta cupiditas. Per Sanctiſſima quæque proculcata, ſi in arduo ſit, molitur aſcenſum; per abrupta omnia, ſi in imo, ſeſe præcipitem vſque ad Inferos dabit. Mali ipſi Dæmones non tam peruerſos in omnem Diuinæ Legis contemptum agunt, quos obſident, quàm homo agitur voluptatis obſeſſus cupiditate. Illi ſiquidem ad Chriſti nomen expaueſcunt, & contremiſcunt; hic verò non modò nomen non pauet, ſed ipſum Chriſti Sacroſanctũ Corpus ſæpe pedibus terit, in fimum abſcondit, canibus vorandum obijcit, quo voluptatem a Diabolo, eo pretio promiſſam, obtineat Itaque quem Chriſti Domini contemptum per ſe Diabolus non audet; ſi ferociſſimis iſtis voluptarijs committat, voto potitur. O deterrimas, o plus quàm Diabolicæ malitiæ voluptates, quæ hominem Diabolo deteriorem efficiunt!

Dæmoniacis, ipſoque dæmone peior.

Vbi autem infelix voluptatis mercator eâ potiatur

potiatur

tiatur, haud amplius ex illà capere poteſt, quàm angusta corporis capacitas ferat, quæ cū pro immē-ſæ cupiditatis hiatu minima ſit, quantum ab eo voluptatis excludit, tantundem illum offendit. Minus certè ille poteſt recipere, quàm boues, quàm equi, quàm aſini, quibus gula productior, ac venter laxior voluptati temporis ac loci fines extendit: quin minus, quàm canes, corpore ceteroqui breuiores; imò etiam, quàm vermes, quàm culices, quorum voluptas nec ſupplicij ſaltem metu frigeſcit, nec pudore contrahitur, nec pœnitentiâ regeritur, rependiturque: quæ omnia humanæ voluptati contingunt, quam ſemper metus aliquis præcedit, comitatur pudor, ſubſequitur pœnitentia. Quæ igitur iſta hominis felicitas, quam obtinenti vel acerbiſſima quæque ſentienda, vel humanitas, ne ſentiantur, exuenda, & cum ferarum ſtupore commutanda?

Humanæ voluptatis præ ferinâ paucitas.

Voluptuoſi minus habent voluptatis, quā vermes, & culices.

Vt verò indicata mala in apertum proferantur, perpende primò quid ſupplicij metuendum veniat corporis voluptatem ſectanti? Duo ſunt genera ſuppliciorum, quibus voluptuoſi afficiuntur: alterum, quo ſe ipſe punit, qui ob voluptatem delinquit; atque hoc eſt ipſum peccatum, primum idem & peracerbum ſui ſupplicium, vt quod ab amicâ voluptate in carnificem verſâ progreditur: alterum, quo peccantem punit vindex cunctorum ſcelerum Deus. Illud ſtatim infertur, hoc denunciatur: quod tamen cum grauiſſimum ſit, ac ſempiternum, plus

Mala, quæ a voluptate procedūt.

tor-

torquet denũciatum, quàm illatum alterum. Quod autem ad prius illud ſuppliciorum genus attinet tanta ſuis amaſijs mala importat voluptas, vt meritò Archita ille Tarentinus laudetur a Tullio, quòd affirmauerit, Nullam hominibus peſtem capitaliorem a naturâ datam, quàm corporis voluptatem; malam ſcilicet, ſeu malis artibus conquiſitam. Ex hâc enim primùm corpori, vbi ſedet, adſunt cuncta ferè morborum genera, cruditates, grauedines, colicæ, febres, hydropes, diarrhœæ: ventris præterea, & veſicæ, & capitis, & omnis generis dolores, apoplexiæ, epilepſiæ, paralyſes, cetera denique malorum turba in medicorum nomenclaturam necdum relata. Mortes quoque, ad quas mortiferi illi morbi perducũt, eandem vtique cum illis originem habent: tam multæ autem illæ ſunt, vt de ſolâ voluptate, quæ per gulam illabitur, in prouerbio ſit; *Plures occiſos fuiſſe gulâ, quàm gladio*. Quos verò gladius a gulâ intactos excepit, plerunque nonniſi aliâ voluptate mandante periere. Hæc enim Helena illa eſt, quæ, vt olim Troas cum Græcis, ita deinceps populos ferè vniuerſos inter ſe, & cum finitimis commiſit. Paucos etiam videre eſt, priuato qui ſub ferro cadant, quod voluptatis libido non miniſtrauerit. Iam quis animi morbos eodem veneno partos enumeret? Inde enim immenſæ ſollicitudines, timores, angores, vitæ, opum, dignitatis profuſiones: inde adita ſine delectu pericula,

Cic. Cat. mai.

Inde cũcta ferè morborum, & plurima mortiũ genera.

Inde plerique animorũ morbi.

cula, cæci impetus in obſtantia voluptatibus fa-
cti, nullâ Superum, nullâ parentum, aut patriæ, aut
reipublicæ, aut denique orbis terrarum habitâ ra-
tione: inde contempta omnis Religio, Fas, Pie-
tas, Fides, & quidquid denique vitiorum mens
ad voluptatis capturam aduocat, cuncta ex iſtâ
peſte progrediuntur. Atque hæc quidem omnia magnum ſui timorem præmittunt; verùm tanto maiorem ea, quæ a Deo ob quæſitam ſcelere voluptatem impendent, quanto ſempiterna mala iis, quæ vltra vitam non exeunt, grauiora ſunt. Illa enim, præterquam quòd cuncta peritura mala comprehendunt, hoc inſuper adijciunt, vt peritura non ſint, eâque re illorum offenſas in infinitum augent, exaſperantque. Hinc habes quàm potiori iure ad exhibitam voluptatem vſurpare tibi fas ſit Demoſthenicum illud; *Tanti non emo pœnitere*, quando omnium huius æui malorum patientiâ æternùm pœnitere coemendum ſit.

Timores a voluptate progreſſi.

Demoſthenis ad Laidem meretricē reſpōſū.

His igitur timoribus ventura voluptas amatoribus ſuis ſuum venenum prægustandum exhibet; totum datura cum venerit. Vbi verò iam adeſt, vltra mala commemorata, quæ comminatur, ſecumque veluti prolem in vtero geſtat, funditque cum maturuerint, tanto pudore, (qui de vulnere honeſti cordis cruor eſt) poſſidentis ora ſuffundit, vt cum eâ in publicum prodire non audeat: ſed fornices, præſepia, latibula, denique ſedes, & cubilia ferarum, pro ſuſceptis illarum moribus,

Pudor ex voluptate.

Digitized by Google

quæritet: & ſi contingat cum voluptate deprehẽdi, verecundia ipſa honeſtum eius turpitudini velamentum opponit: reſtituit enim pulchritudinem, qui de turpitudine erubuit. Nec ad auertendum pudorem ſatis eſt Chriſtianæ Religionis lumen extinxiſſe: modò ſua homini natura conſtet, ſe belluâ circumueſtitum intueri, ſeque cum belluis errare earum paſcua quærentem, ſibi denique inde voluptates, vnde corporis ſordes affluere, vtique illum pudebit. Puduit nanque ethnicos homines, vtcunque conatos fœdas voluptates, Dijs affigendo, dedicare: ſic prorſus, vt non aliter Ariſtoteles Alexandrum diſcipulum ſe a libidinis fœditate continere poſſe cenſuerit, quàm hunc pudorem comminando: *Quæ enim*, inquit, *tibi gloria* In ep. ad Alex.
erit, ſi cum porcis communicaueris? Nec Chriſtiani hominis, ſed ethnici vox illa eſt, quæ voluptuoſos, *Epicuri de grege porcos*, appellat. *O filij hominum* (non poſſum quin Dauidicis verbis exclamẽ) Horat. Pſ. 4. 3.
vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quanta iſta vecordia eſt, quaſi Superum conuiuia ſuaſori Diabolo credere, quæ vel Ethnicis ipſis Chriſtiano ſenſu carentibus porcorum volutabra ſuboluere? Hinc ab ijs ſalubris compoſita ad noſtram vel eruditionem, vel exprobrationem fabella; Vlyſſis ſocios in canes, ſues, apros a Circe oblato poculo commutatos. Poculum illud fœda voluptas fuit, quæ cum mentem inuaſit, vſque adeo abripit, ſibique deuincit, Voluptatis poculũ, vt olim Circæũ, in belluas vertit.

cit, vt aliud nihil præter ſe cogitare permittat: quare ad cetera ſtolidum animal, ac planè pecudem, nullis officijs, quæ mentem deſiderent, aptam relinquit. Etenim ſi temperantia Platone auctore voluptatibus coercendis prudentiam ſeruat: vnde σωφροσύνην apud Græcos dictam exiſtimauit, quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν: contra intemperantia voluptatibus nutriendis prudentiam, atque vnâ cum illâ hominem, prudens animal, perdet. Quòd ſi contra obniteris, vnde quæſo hominem te eſſe agnoſcam, quiſquis cœno voluptatis prudentiam demerſiſti? An ex eo, quòd hominis imaginem adhuc retines? At etiam pictura, etiam ſimulacrum hominis eam retinet: An quòd præterea viuis? At ſimius quoque viuam hominis imaginem refert: An fortè quòd præ belluis loqueris? At nouimus aſinam, nouimus & bouem aliquando locutam: quis neget in te prodigium renouari; hoc dempto, quòd non bos, aut aſina, ſed porcus loquatur? Profectò ſi loqueretur, non ſecus ac tu, ſpurciſſimis verbis par declararet ingenium. Igitur hominis nihil habes, niſi, qui te præ belluis reprehendat, animum immortalem, cui hæc vitia ſunt, non ſicut illis ingenium, & natura a Conditore tributa. Non inſcitè dictum videtur de ſue, inquit Tullius, animum illi pecudi datum pro ſale, ne putreſceret. Tibi animus ipſe computruit: ſal quoque infatuatum eſt: totus proinde caro ſuilla factus es, eaque

Nullum in Voluptuoſo hominis ſignum.

Num. 22. 28. & Liu.

Lib. 5. de fin.

inſulsa, & ſine ſale putreſcens, vbi te corruptrici voluptati tradidiſti.

Pœnitētiæ morſus voluptatē ſequentes,

Denique abeuntis terga voluptatis pœnitentia premit, quæ animum delicijs mollem acerbis morſibus lancinat. Ea enim vermis ille eſt, quē e voluptatis putredine ortum nunquam interiturum, ſemperque impij præcordia apud Inferos depaſturum Chriſtus aliquando interminatus eſt. Binos ſiquidem tortores infernos impijs imminere pronunciauit: vermem videlicet, atque ignem:
Marc.9.48. *Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur.* Impius iam vermi traditus inferni ſupplicij dimidium habet, atque in eo pignus reſidui. Inde enim hic vermis maximè furit, quòd ſempiternum ignem pro momentaneâ, & iam dilapſâ iucunditate perpetuò denunciet. Hæ furiæ illæ, quibus ſceleratos corripi, ac tædis ardentibus vri Veteres affirmabant, veros conſcientiæ ſtimulos, veriſimili cauſâ ſignificantes. Quis enim non furijs agitatum Caligulam dixerit, qui, vt Suetonius eſt auctor, in ſomnijs incitatus pluſquam tribus horis nocturnis, ijſque non niſi tetris rerum imaginibus perturbatus, quieſcere haud poterat? Inde noctis plerunque vigiliæ, & cubationis pertæſus nunc thoro reſidens, nunc per longiſſimas porticus vagus expectare, atque identidem inuocare lucē conſueuerat: quæ tamen adueniens horrorem illi duplicabat, ſuis, quæ horreret, ſcelerum veſtigijs, quaquauerſum expoſitis. Quis non

Voluptuoſi Reges furijs agitati. Suet. in Calig.

ijſdem

iſsdem ſollicitatum furiarum tædis Neronem crediderit, quem pariter ſæpiùs noctu ſuorum ſcelerum pauor ad pœnas conſcientiæ dandas citabat? In omnem ſeſe ſtrati partem verſans, iam pronus, iam ſupinus, iam in alios, atque alios habitus componens, nuſquam inuenire quietem poterat: quare mentis inops, vt Tacitus refert, lucem opperiebatur, tanquam exitium allaturam. Annal. l. 14.
Theodoricum Italiæ Regem (Reges exempla proferimus, vt pateat, conſcientiæ ſtimulis ne a regiâ quidem fortunâ remedium adeſſe) Symmacho integerrimo viro ſublato, in eum mœrorem ſceleris conſcientiâ merſum produnt, vt, cum cœnanti prægrandis piſcis caput aperto ore, atque exertis dentibus eſſet appoſitum, perinde ac ſi caput Symmachi vindictam comminantis intueretur, illico totus inhorruerit: mox furibundum a cœnâ aufugiſſe, atque aliunde aliò diu curſitaſſe, quaſi tortorem, quem ſe ipſe ferebat, euaſurum; donec tandem lecto receptus paulo poſt metu ac mœrore exanimatus interierit. Huc demum exeūt partæ ſceleribus voluptates, quæ, vtcunque belluis eas naturæ ductu, ac ſine noxâ quærentibus beatam pro ſuo modo vitam efficiant, hominem æquè malum, ac miſerum reddunt; & quo magis alienæ admouent felicitati, hoc magis abalienant a ſuâ.

CA-

Digitized by Google

CAPVT OCTAVVM.

Nullum in litteris a pietate ſeiunctis vitæ ſolatium collocandum.

HActenus cum imperito vulgo rem geſſimus, cuius quo maior multitudo, eo vis ad reſiſtendum imbecillior, vt quæ vulgarius, ac vilius eſſe, quod petit, argumento ſit. Iam cum paucis conſerenda manus, quos tamẽ fama, bello potens, vltra numerum confirmat: nimirum cum iis, qui in humanâ, ſapientiâ, vel virtute locatam huius vitæ felicitatem cenſuere. Atque vt a ſapientiâ, quæ prima occurrit, & facem virtuti præfert, exordium ducamus, illud maximè nobis eius vim ad beatam vitam commendare videtur, quòd ſapientia longè iucundior ſit corporis voluptate, nec vlla eius incommoda patiatur; non timorem, non pudorem, non pœnitentiam; cum per ſe optima, atque honeſtiſſima ſit; nec in ſuo comitatu habeat niſi virtutes, honeſtę menti æquè amicas, ac periucundas. Quòd verò ipſa ſapientia ſit corporeâ voluptate iucundior,

Sapientia corporis voluptate iucũdior.

Digitized by Google

dior, cum ratio, tum exempla demonſtrant. Ratio quidem; quia prǽſtantiſſimum animi bonum eſt, proinde cariſſimum, ſummoque amore dilectum: quia verò gaudium boni præſentis amor eſt, non poteſt animus non ſummo cum gaudio complecti, quod ſummo cum amore quæſiuit: & ſiqua in inquirendo difficultas fuit, ac laſſitudo, ipſa pretiū auget & gaudium fatigata inquiſitio. Exēpla verò duo tibi ob oculos pone, Pithagoram, & Archimedem, duo ſcilicet humanæ ſapientiæ Lumina ad rem hanc illuſtrandam, ſiue ad eiuſdem ſapientiæ decus ac nitorem prodendum maximè appoſita. Ille inuentâ poſt diuturnam contemplationem laterum trianguli orthogoni ratione (quæ infinitis Matheſeos problematis lumen eſt) Muſis præ gaudio Hecatombem immolauit: quaſi nouum ſibi Regnum inſigni aliquâ victoriâ comparaſſet: id enim eo Sacrificij genere apud Veteres ſignificabatur. Archimedes verò deprehenſo inter lauandum aureę coronę furto, argentique ſubdito ab Artifice pondere; tantâ lętitiâ geſtijt, vt nudus e balneo egreſſus domum cucurrerit, identidem εὕρηκα, εὕρηκα ingeminans; non ſic certè de auro, vt de auri furto comperto triumphaturus. Dic iam quæſo: Audiſti ne vnquam helluonem aliquem dapibus diſtentum, vel vnam capellam Superis in gratiarum actionem immolaſſe, vel publicas vias prę gaudio obijſſe exclamantem, *Voraui, voraui*? en potiùs pleroſque,

Eſt apud Eucl. prop. 47 l. 1. el. m.

ἑκατόμβη, centum boū immolatio.

Hoc eſt, inueni, inueni.

Nemo ſibi tractatam corporis voluptatē gratulatur, imò odit, ac luget.

ſque, quòd nimiùm vorauerint, triſtes, ac tandiu ſub ventris onere gementes, dum illud ponant, atque in priſtinam vacuitatem, quâ mens ſe de ſtercore emerſiſſe gratuletur, reſtituantur? Cui igitur dubium eſſe queat, an animus magis ſuâ ſapientiâ gaudeat, an ſui corporis voluptate? Quamuis tamen id verum, ac perſpicuum ſit; minimè poſſe ſolâ ſapientiâ huius vitæ felicitatem conſtare, plura nobis, eaque clariſſima documenta ſignificant.

Si Felicitas ſapiētiâ cōſtaret, pleriquc mortalium perpetuò mœrerent.

Primum e naturæ parentis benignitate deſumas licet: Nam ſi a ſapientiâ huius æui felicitas haberetur, pleroſque mortalium perpetuo mœrori, ac miſeriæ natura parens, perinde vt nouerca, damnaſſet. Excipe enim à Litteratorum ſorte ruſticos omnes colendis agris addictos; excipe opifices, variâ labentem vitam induſtriâ ſuſtentantes; excipe milites, qui ſuâ quiete Remp. donant; deme quoſcunque rei vel publicæ vel priuatæ adminiſtrandæ munus exercet: deme etiam e vacuis hominibus, quorum ingenijs ad arduum ſapientiæ cliuum ſuperandum ſat firmitatis, ac virium non ſuppetit: quibus & pueros adde, & mulieres, & cæcos, & ægrotos, & mendicos, & ſi quos alios natura libris, ac litteris interdixit; tum reliquos computa, & paucos omnino inuenies, quibus ad ſapientiam, neque his, niſi poſt multos ætatis annos, aſpirare contingat. Minimè autem conſentaneum eſt credere, Deum O. M. cunctos mortales, & naturæ ſtimulis, & addi-

additis e Cœlo vocibus toties ad vitæ hilaritatem, & gaudium inuitaſſe, nec tamen niſi pauciſſimis poteſtatem feciſſe inuitamenta ſectandi. Hoc planè illuſiſſe foret: non ſecus, ac ſi quem iter carpere iuberet, vbi illum vinculis inexplicabilibus præpediſſet.

Alterum documentum ex humanæ litteraturæ imbecillitate deſumendum: quæ tanta eſt, vt cum ad ſapientiæ culmen ſe euaſiſſe putet, adhuc denſiſſimis ignorantiæ nebulis ſe obuolutam inſpiciat. Conſule peritiſſimos mortalium Ariſtoteles, Platones, Pythagoras, Triſmegiſtos: vide, quò tandem tanta virorum excellentia pertineat; ac breui animaduertes, quantâ ſub nocte lateat ea, quæ ceteris luſciofis clariſſima dies nuncupatur. Simul illud miraberis, orbis terrarum magiſtros tam portentoſâ inſcitiâ laborare, vt neque quid intra ſe peragatur, non ſecus atque externi, ac peregrini, nouerint. Infinita enim propemodũ ſunt corporis noſtri opificia, quæ diu, noctuque nobis inſcijs intra nos peraguntur: quamplurima pariter, eademque abditiſſima noſtri animi munera, quæ mentis oculos latent, tametſi ſub ipſis exerceantur. Quis igitur rerum externarum, ac remotiſſimarum peritiam iactare auſit, quem latent, quæ domi ſuæ, quæ intra ſe, quæ in oculis ſuis factitantur? Adde, quod ſapientiſſimi cuiuſque animus, dũ tenebricoſâ ſui corporis cuſtodiâ continetur tã ſtupidus eſt, vt nec ſe ipſe de facie nouerit,

Humanæ ſapientiæ imbecillitas, & ignorátia.

& ſi, Deo ſpeculum aliquod opponente, cerneret, incredibilem de ſe, veluti de re nouiſſimâ, nunquam antea viſâ, imò ne leui quidem ſuſpicione apprehenſâ admirationem caperet. Quam igitur fidem mereatur, cum de Superis diſputat, de

Stultè rerũ diuinarum ſcientiã iactat, qui nec ſe ipſe de facie nouit.

Numinis naturâ, mente, conſilio, ſapientiâ, prouidentiâ, a quibus mente aſſequendis tantum abſit oportet, quantum a rebus infinitè diſtantibus proſpiciendis, qui nec ſe valeat intueri?

Hinc autem æquam humanæ ſapientiæ æſtimationem habere licet; ſi enim illam conferas cum Diuinâ, infinitè ab eâ diſtantem inuenies. Quid eſt autem infinitè a Diuinâ Sapientiâ diſtare, niſi infinita ignorare Diuinæ Sapientiæ comperta?

Quiſque noſtrũ verè infinitâ premitur ignorantiâ.

Quid porrò infinitarum rerum ignorantiam niſi infinitam ignorantiam dixeris? Hinc pariter liquidò diſces, nihil auxilij fore ad ignorantiam hanc propulſandam in inuentis hactenus diſciplinis: nam profectò plus illæ te docere nequeunt; quam a ſuis inuentoribus, atque auctoribus didicere: qui tamen, poſt illas benè perceptas, ac litteris conſignatas, adhuc ſe ſub infinitâ laborantes ignorantiâ & norunt, & ingemiſcunt.

Qui plus litteris ſtudẽt, minùs ſciẽdi ſiti extinguũt.

Mirabar plurimùm antequam litteris operam darem, & ſæpe mecum ipſe tacitus quærebam; Quid ita, qui maximè litterarum ſtudio vacarent, minimè omnium diſcendi ſitim extinguerent? At ſumptis deinde in manus libris, ac diu, noctuque per annos plurimos verſatis, deprehendi, quamplurima

plurima in ijs ad quæſtionem vocari, quampauciſſima ad veritatis lucem educi; ſic vt de eius poſſeſſione non turbet, aut ſaltem litem intendat oppoſita viri alicuius eximij auctoritas: proinde qui litteris diſcēdi ſtudio operam nauent, eorum ſimiles eſſe, qui ſitis extinguendæ cupiditate aquam marinam potent: quo enim plus potant, plus ſitiunt; vt qui ſitim ipſam quodammodo, ſalſam potando, bibant: ita planè res habet, ſitim bibunt, qui ex humanis diſciplinis plura incerta ac dubia intelligunt, domumque referunt, quàm quæ ſecum, vt ſibi explicarentur, attulerant. Inde litteratos videas ſemper in ferendâ ſententiâ tardiores, quàm imperitos, quos in quâque re facilè pronunciare plerunque cernimus, vtpote dubitare ſub artium diſciplinâ nec dum edoctos. Plato ille, quem Diuinum ad hæc vſque tempora etiam Chriſtiani nuncupamus, nemo dubitat, quin honeſtiſſimum inter ſapientiæ proceres locum obtineat: is tamen ſuâ omni doctrinâ eò demum peruenit, vt Academicam ſcholam primus aperuerit: cui ſcilicet vna hæc certa ſententia fuit; Nihil in rebus humanis certum haberi. Ei autem ſcholæ Socrates Platonis magiſter, omnium Sapientiſſimus Apollinis oraculo iudicatus, fundamentum iecerat, qui id vnum ſe ſcire frequenter iactabat, Quòd ſciret nihil: faſtigium verò Pyrrho Scepticorum Parens impoſuit cui placuit, ne id quidem ſciri, quòd ſciretur nihil; verùm omnia æquè incer-

Plato Academię de omnib' dubitantis auctor.

incerta nutare, atque in vtranque partem diſputationem admittere. Ad id autem explanandum ſatis appoſitè pharmaci exemplo vtebatur, cuius eſt, non modò noxios e corpore humores, verùm vnâ cum illis etiam ſe ipſum deijcere: ita aiebat; academicæ ſententiæ eſſe, non ſolùm rerũ ceterarum, verùm etiam ſui ipſius notitiam certam e mente depellere. Nec vana prorſus cauſa eos in hanc ſententiam impulit: nam cum humanam ſcientiam ſenſuum teſtimonio maximè niti, ſenſus verò falli, ac falſa referre cernerent, vti cum Solem palmarem, Lunam cunctis ſideribus maiorem, ſidera tardiſſimè incedere, littora legentibus in aduerſam partem aufugere, atque id generis alia mentiuntur; ſtatuerunt, æquè humanæ ſapientiæ fidem, ac ſenſuum, vnde oritur, fluctuare: nec falſi crimen ex eo dilui, quòd raro ſenſus fallantur, & ſæpiùs verum enuncient: nam ita ad ſcientiam, vti ad prudentiam ſpectare aiunt, teſtimonio ſemel mendacij comperto nunquam fidem committere.

Cauſa academicę dubitationis eſt ſenſuũ incerta fides.

Hæc opinio veritatem nimiâ diſtentam amplificatione corrupit. Grandi quidem laboramus inſcitiâ, non eâ tamen, vt non complura teneamus, quibus timendum non ſit Academicum illud; *Quid ſi falleris?* Etenim ſi *Me eſſe*, verbi causâ, dicam; vtique dubitare de falſitate non poſſum: nam ſi fallor, ſum; dum is, qui non ſit, falli non poſſit: ac per hoc ſum ſi fallor, quia ego ſum, qui fallor;

Academica opinio in multis fallitur.

lor; vt acutè contra Academicos diſputat Auguſtinus. Eâdem ſecuritate gaudent principia illa, quæ ad agendum, vel diſſerendum neceſſaria Græci Axiomata, noſtri Dignitates vocant: eas enim violantibus virgarum pœna vnà cum inſaniæ notâ, Ariſtotele iudice, ſubeunda. Scilicet ijs negatis nulla diſſerendi, nulla rerum agendarum ratio conſtabit. Nec earum notitiam ſenſuum induſtriâ, ſed naturæ parentis munere, tanquam neceſſarium vitæ inſtrumentum, obtinuimus. Non eſt autem audiendus Clitomachus ille, quem voluiſſe Tullius refert, ſatis ad vitæ actionem, ac mentis ſanitatem eſſe, ſi veriſimilis de illis adſit notitia. Stultè enim id dicitur: quippe fieri non poteſt, vt ſimile veri aliquid ijs appareat, quibus verum nunquam innotuit: quo pacto nequit imaginem Pythagoræ ſimilem pronunciare, cui nunquam Pythagoras cognitus ſit: ſi igitur verum nullum nobis cognitum vnquam fuit, nec vtique quid veri ſimile ſit, dignoſcere valebimus. Quamobrem quin multa nobis clariſſimè pateant, dubium eſſe non poteſt: at ſi hæc cum infinitis rebus, quæ latent, conferantur, tam pauca videbuntur, vt Academicos dicentes, Nulla eſſe, commune illud prouerbium, quod eſt quaſi commune humani generis ſuffragium, leuitatis abſoluat: nimirum; *Parum pro nihilo reputatur.*

l. 11. de ciuit. Dei. c. 16.

Axiomata certiſſima ſunt, nec eorũ firmitas a ſenſibus pendet.

Cic. in Lucull.

Veri ſimile agnoſci nõ poteſt ab eo, qui verum nõ nouit.

Tantum ſcientiæ Diuina nobis Prouidentia indi-

indidit, quantum vitæ adminiſtrandæ neceſſe fuit: quemadmodum ceteris animantibus totum id luminis contulit, quod ſuæ cuique vitæ tuendæ opportunum videbatur. Quia verò hominem præ illis eo ingenio donauit, quo etiam poſſet superuacanea cognoſcere, vnde ſæpe non creſceret, ſed turpiter, ac periculoſè inflaretur; tã debili, & quaſſatâ memoriâ inſtruxit, vt ingeſta facilè diffluerent; ſic prorſus, vt in vltimâ ætate (cuius acceſſu ſemper magis, magiſque in rimas memoria fatiſcit) cuncta ferè, quæ ingeniũ parauerat, tranſmiſerit, & in puerilem imperitiam remeauerit. Quæ ſumma Cœleſtis Patris clementia fuit, vt per eam imperitiam iterum ad puerilem infirmitatem, ac modeſtiam regrederemur, iterumque paternam indulgentiam, quâ maximè tunc ob malè actam ætatem indigebamus, reciperemus. Quare, vt tanta non ſit hominum inſcitia, quantam Academici calumniatur, re verâ tamen tam pauca certò cognoſcimus, partim rerum ſublimitate ſenſibus inacceſſâ, ac fallaci eorundem ſenſuum teſtimonio, partim infidâ memorię cuſtodiâ, vt ſtultiſſimum ſit de tantâ inopiâ ſuperbire, ac ſe tanquam beatum efferre.

Memoriæ imbecillitas Diuinę Clementię donum.

Nec ad beatam æui præſentis vitam intereſt, plus an minus didiceris, niſi hoc fortè, quòd eo miſerior futurus ſis, quo amplius humanę ſapientię paraueris. Illud enim prę indoctis ſapientes habent, vt ſua eos ignorantia non fugiat, quemad-

Docti prę indoctis id habent, vt ſua eos

admodum fugit indoctos, quos proinde minimè offendit. Equidem vt ingenuè fatear, quid mihi hac viâ felicitatem olim ſectanti accidit, hoc fide bonâ affirmare poſſim, quòd cum complures ſtudiorum claſſes voluptatis gratiâ perluſtrauerim, tam multas, tamque implexas quęſtionum ambages ex ijs omnibus didici, vt eòdem inſcitię, vnde digreſſus fueram, tandem reuolutus viderer. Exilieram mirum in modum, vbi exacto puerilium litterarum curriculo Philoſophię limen attingere datum fuerat. Putabam, me veluti ad Sibyllę adyta perueniſſe, vnde certa de rebus omnibus ederentur oracula: at tam ambiguis reſponſis auditis, tam obſcuris pariter, atque infirmis rationibus, tāta in vtranque partem ſententiarum varietate, breui animaduerti, publicas me ignorantiæ tenebras reliquiſſe, ac manu tractabiles in hoc antro Sibyllino reperiſſe. Enimuero verſabar antea in ſummâ rerum omnium ignorantiâ, & ne vlla ignorantia deeſſet, hanc ipſam ignorantiam ignorabam: nunc verò variâ, ac multiplici ſcientiâ deguſtatâ aliud nihil aſſecutus videor, niſi vt ignorantiæ meæ ignorantiam depoſuerim, vt ſciens ignorem: hoc eſt, vt tenebras meas, quas antea non noram, tractare iam liceat. Latebat antea, Cubi, exempli gratiâ, duplicandi, ſeu Anguli trifariam partiendi, vel Circuli quadrandi ratio; at quòd lateret, latebat: iam pergit quidem latere; ſed quòd lateat, patet. Hoc autem quid aliud

Ignorantia nō lateat.

eſſe

eſſe dicam; niſi meam quòd ignorantiam d idicerim, quòd quæ a tergo miſeria erat, iam ob oculos obuerſetur.

Adde hìc etiam, quòd quidquid ambigui e ſtudio litterarum mortales adipiſcimur, in dies dilabi memoriæ incontinentiâ ſentimus. Licet enim ante ſenectutem extremã meminerint ſenes, quæ pueri didicere, vt quæ per omnẽ ætatem crebris ſermonibus repetita altiùs menti tenent excuſa; tamen vbi vltimum inſtat ætatis, noua pariter ac vetera Diuinæ Prouidentiæ beneficio, quæ illos voluit vnâ mortis cogitatione occupatos, defluxere. Feſtiua id comprobat Faſeoli noſtri iam ſenis, atque in magnam rerum obliuionem redacti cum ſcriptis ab ſe editis collocutio: Is enim cum librum Theologicarum diſputationum, quas olim diſcipulis tradiderat, ac deinde vulgarat, in manus, atque oculos referret, exclamaſſe in hunc modum aliquando dicitur; O quanto, Fili mi, Parente tuo ſapientior es! Probè tenes, quæ ipſe tibi commiſi, ac fideliter reddis iam ſua caligantibus oculis non agnoſcenti. Gratias ago, quòd hoc ampliùs me doces, a me minimè edoctus; Stultum eſſe, ſpem iucundæ ſenectutis in eâ ſapientiâ ponere, quæ ad ſenectutem vſque non peruenit.

Hieronymi Faſeoli ſenis feſtiuus de ſuâ obliuione ſermo.

Denique terrenæ felicitatis ſpem haudquaquam litteris commendandam, ab ipsâ ſapientium magiſtrâ experientiâ diſcimus: eâ ſiquidem docente conſtat, miſeram litteratis omnibus vitam fuiſſe,

quibus

quibus a pietatis cultu, a rerum ſupernarum expectatione ſolatium non adfuit. Extat volumen integrũ Ioanne Pierio Valeriano auctore cõſcriptũ, cui titulus, *De Litteratorum infelicitate*: vbi omni antiquitate relictâ magnam affert recentium exemplorum vim: eoque ſtatim oſtendit, tantam eſſe infelicium Litteratorum copiam, vt qui primi retro ſpectanti occurrerunt, parem iuſto volumini materiam ſuffecerint. Vnum aut alterum in ſpecimen ceterorum e ſuperiori memoriâ adducam. Leone Pont. Max. huius nominis Decimo floruit eius maximè aſpectu illuſtratus Antonius Quernus, cui carminis præſtantia, ornata etiam Principis gratiâ, Archipoetæ cognomentum fecit. Is autem tametſi Leonis familiaritate vnà cum Pontificiâ fortunâ gauderet, tam acerbos tamen ventris dolores, tamque impotenter tulit, vt, poſtquam cũcta remedia irrita cecidiſſe vidit, omni ſpe deſtitutus, adactis in ventrem forſicibus, dolori ac dolenti animo exitum patefecerit. Pietas Chriſtiana, ſi adfuiſſet, id certè paſſa non foret, vel quia tolerantiam cœleſtibus auxilijs roboraſſet, vel quia dolorem ad tolerantiæ modum precibus redegiſſet: at Poeſis diſciplinarum ceteroqui iucũdiſſima, non modò eam impotentiam non ſuſtulit, verùm etiam, fractâ atque emollitâ animi fortitudine, contulit. Adde huic Torquatum cognomento Taſſium, qui tantâ captæ Hieroſolymæ poema ſparſit amœnitate, vt ex pleno eructaſſe, nemo for-

Litteratorũ pietate carentium infelicitas.

Infelix Archipoetæ exitus.

Idẽ & Torquati Taſſij.

N tè

tè iret inficias: eà tamen vſque adeo vacuus fuiſſe dicitur, vt præ nimio mœrore ſæpe a mente alienatus domi diu ſolus excluſâ luce ſederet: eoque tandem opprimente deceſſerit. Hæc demum eſt humanæ ſapientiæ vis: nocturni fulguris inſtar, tantum luminis impertit, quantum ad illuſtrandas, quibus vndique cingimur, tempeſtates, ſatis eſt, nihilque prĕterea: quare auget oſtentando, non ſolatur ærumnas; quæ ſi laterent, ſaltem præcluſo oculorum aditu impreſſionem in animum non facerent: proinde veriſſimum prodit oraculum;
Eccleſ. 1. 18, *Qui addit ſcientiam, addit dolorem*: quia nimirũ addit doloris ſcientiã, quæ præcipua doloris pars eſt.

CAPVT NONVM.

Diuinitatis contemplatione, & Virtutis cultu e ſola Philoſophia petitis nihil ad huius vitæ felicitatem profici.

QVæcunque hactenus de humanâ ſapientiâ verba fecimus, eã pariter ſapiẽtiæ partẽ a terrenâ felicitate excludunt, quæ tota Numini cõtemplando vacat: pauciſſimis enim

Digitized by Google

enim illa quoque, nec, niſi ſera, contingit: quando ſcilicet corpus vetuſtate ruinoſũ ac præceps ſibi adminiculando totũ animũ aduertit, nec vnquam ad Numinis contemplationem vacuum dimittit. Imperitiſſima præterea præ reliquis diſciplinis eſt, vt quæ exploratoribus ſenſibus deſtituitur; qui Numen agnoſcere, niſi fortè ligneum, aut marmoreum nequeunt. Nec ſuos valere ex humanis ærumnis cultores eximere, proprio docet, quanquam contrario verbis, exemplò Ariſtoteles: qui cum ſummam hominis felicitatem in philoſophicâ Numinis contemplatione locaſſet, tam ieiunum tamen inde vacuumque voluptatis ſe receſſiſſe prodidit, vt eam, auctore Laertio, e cœno libidinũ cum ſtolidorum vulgo quæritauerit. Nec vnuſquiſpiam e veteribus omnibus legitur, ceterarum rerum adminiſtratione dimiſsâ, in ſolitudinem receſſiſſe, Deo duntaxat ad philoſophicam lucernam contemplando vacaturus: quod vtique Philoſophi eo lumine præditi non omiſiſſent, ſi bonorum finẽ ibi ſe reperturos ſperarent. At quia hoc apud Chriſtianæ Sapientiæ cultores frequentiſſimum eſt, & in tertiâ huius operis parte notum fiet, præcipuam huius æui felicitatem in Supremi Numinis contemplatione, cœleſti lumine illuſtratâ, poſitam eſſe; paucis hìc monendos beatæ vitæ ſtudioſos cenſeo, Ariſtotelem ſuæ mentis ſagacitate veram quidem odoraſſe humanæ felicitatis materiam; ſed cum in ſede monſtrandâ, tum in viâ, quam ipſe

Laert. in eius vitâ; vbi refert, eũ ſuæ cõcubinę immolaſſe.

Ariſtotelis de vera felicitate errores.

non preſſit, procul a veritate abijſſe. Et quidem quod attinet ad ſedem, planè toto Cœlo aberraſſe verè quis dixerit, vbi eam Cœlo excluſit, atque humi poſitam cenſuit: totâ præterea viâ falſum fuiſſe, vbi per inexplicabiles, & exitu carentes Philoſophiæ anfractus ad ſuam felicitatem iter inſtituit. Præterquam quòd quid voluptatis a Diuinâ vnquam contemplatione haurire is poſſit, qui Deum ſemper in tenebris contempletur, ſine ſpe illum aliquando coram intuendi, atque in amicitiam bonorumque communionem veniendi? Hæc enim contemplatio non voluptate pectus, ſed inuidiâ implet, ac rumpit, qualis cæco contingeret ac mendico, vbi regiam affluentiam meditaretur. Atqui hoc Ariſtoteles docuit, qui vbi de Diuinâ contemplatione egit, perinde ac ſi nocturnum, & frigidum id lumen eſſet, nullam de Diuini Amoris incendio mentionem habuit: tantumque a noſtrâ amicitiâ Deum abeſſe voluit, quantum ab eâ, quæ amicos iugat, æqualitate. Haud enim vidit, aut mente aſſequi valuit, quod deinde nobis Chriſti Fides aperuit, Deum noſtram humanitatem aſſumpſiſſe, vt nos ad ſuam aſſumeret Diuinitatem, talemque nobiſcum iungeret amicitiam, qualem nunquam tam arctè homines inter ſe coniunxere. Quo igitur magnificentiùs de Diuinæ Naturæ decore, atque opibus Ariſtoteles, eiuſque diſcipuli ſenſere, eo tanquam de alienis bonis, nec in commune vnquam venturis iniucundiùs ſenſiſſe

Sola Numinis cõtemplatio ſine ſpe, & caritate moleſtiam, non iucũditatẽ affert.

illos

illos neceſſe eſt. Contra verò ſi Dei Optimi Maximi Bona Euangelicæ Sapientiæ lumine colluſtrentur, eorumque præcipuum immenſa Bonitas, appareat, quâ ille ſua omnia contemplantibus, amicitiæ nomine communia fore promittat; æquè gaudeant, qui ea contemplantur, oportet, ac is qui hanc rerum vniuerſitatem intueatur, & cuncta, quæ circunſpectando videat, ſua eſſe cognoſcat: toto enim reuerà mundo donamur, quando eius Dominum amore atque amicitiâ, ipſo ſeſe nobis donante, complectimur. Verùm hàc de re aliàs, & fuſiùs: illud ſolùm interim maneat; humanam ſapientiam, vel cum altiſſimè aſſurgit, non ſecus, ac terrenos montes, eleuari, abſtrahique a terrâ, vnde conſtant, nequaquam poſſe: proinde non minùs a verâ hominis felicitate vel poſſidendâ, vel cognoſcendâ diſtare, atque a cœleſtium orbium ſupremo, vbi ea felicitas ſedet, ſuprema montium cacumina diſtent.

Chriſtiani Numinis cõtemplatio ex promiſſâ bonorum cõmunione iucundiſſima.

De Stoicis verò, quibus beatam vitam in vnum cum honeſtâ coire placuit, ita ſentiendum cenſeo; illos quidem a viâ felicitatis non aberraſſe, ſed viæ amœnitate, hoc eſt virtutis ſpecie deceptos detentoſque, vltra ad felicitatem perquirendam minimè proceſſiſſe. Quare in medio ad beatam vitam itinere conſedere, eius pulchritudine, tanquam adepto bonorum fine, contenti. Multa præclarè de virtute dixerunt, quæ tunc demum veritate donabis, vbi Chriſtianâ mente protuleris:

De virtute Stoicâ, ſiue morali quid ſentiendũ.

Stoicorum effata quã ſpecioſa, tã vitioſa.

ceterum ad Stoicorum ſententiam prolata, quàm ſpecioſa ſunt, tam vitioſa, corruptaque: hæreſim olent, ſi illorum ex ore prodeant: reſipiſcunt, vbi Chriſtianos ſenſus induerint. Inter hæc illud inprimis, quod huc pertinet, obſeruandum; Virtutem, aiebant, ſe ipsâ contentam par ſibi præmiũ eſſe nequaquam pœnitendum, etiam ſi cum morte coniuncta veniret; cuiuſmodi eſſet ſui capitis pro patriâ, vel pudicitiâ, aut aliâ quapiam honeſtâ causâ deuotio: ſat lucratum rati eum, quem tanta virtus coronaret. Quid enim dulcius, atque optabilius, quàm aut Horatij, aut Curtij, aut Deciorum more vitam patriæ rependere, atque in eius, tanquam dulciſſimæ parentis complexu, depoſuiſſe? Stultiſſima tamen hæc vanitas eſt, ſi eâ mente proferatur, quæ Stoicorum erroribus imbuta animos pariter cum corporibus interire arbitretur. Quid enim lucri eſſe queat, vbi fit iactura lucrantis? aut quod inſaniæ portentum, coronam ei polliceri, qui caput ad eam obtinendam ſecuri amputandum ſupponat? At detur hoc ethnicæ Philoſophiæ nondum Chriſti luce purgatæ, condoneturque aliquis oculis carenti lapſus: illud nõ exiguam habet admirationem, eſſe adhuc inter Philoſophos Chriſtianos, qui cum eiuſmodi tradant Philoſophiam, totam e corpuſculis concretã, cui non ſatis cum animorum immortalitate conueniat, ſæpe ſuis auditoribus virtutes morum moderatrices, tanquam ſummum vitæ ornamentum,

Sunt, qui inter Chriſtianos adhuc ſtoiciſſant.

com-

commendent. Et licet non apertè ſignificent, eas eſſe bonorum finem; quia tamen alium tacitũ omittunt, nec vltra huius vitæ confinia philoſophãdo excurrunt; nonnihil ſuſpicionis relinquunt, an ſolam virtutem noſtræ felicitati terminum ſtatuant. Proinde haud ab re fuerit, nonnulla hìc afferre, quibus ouum hoc maturè frangatur, ne ex eo iterum Stoiciſmus, quaſi (Gallo neſcio quo fouente:) Baſiliſcus erumpat.

Iſtorum ſententia eſt, Philoſophiâ mortales hominum animos perſpicuè demonſtrari, tametſi eos eſſe immortales Diuino Teſtimonio Sacris Litteris conſignato credendum omnino ſit. Ita quidam athomorum venator inſignis, quàm bonus vir, tã malus Philoſophus, ſuos docuiſſe auditores fertur; idque ab ipſis auditoribus ego ipſe, nec ſine ſtomacho, accepi. Quaſi aliunde lumen ad ſua demonſtranda, quàm à Diuino Teſtimonio deſumat Philoſophia. Quid enim aliud eſt lumen illud, quod Rationis nuncupamus, & ex Diuini Vultus repercuſſu ſignatum ſuper nos Regius Pſaltes affirmat, niſi ipſum Diuinæ Sapientię Teſtimonium, vnde noſtra omnis deſcendit, atque illuſtratur Philoſophia? Quid aliud axiomata illa, ſeu dignitates, vnde omnis differendi, agendique ratio proficiſcitur, niſi Dei ſuę, quam condidit, naturę Doctoris Pronunciata? Nequaquam certè ſine rationis alicuius cautione ea admitterentur, niſi Diuina documenta ſuo ſeſe fulgore, & claritate probarent.

Stultũ eſt, affirmare Philoſophiâ demõſtrari id, cuius cõtrarium Diuinâ Fide, credendũ.

Pſ. 4. 2.

Prima principia, Dei naturæ doctoris documenta.

barent. Mirum profectò eſt, tantâ has dignitates maieſtate pollere, vt vi planè Diuinâ hominum ſibi mẽtes ſubijciant, ſic vt illis repugnare, atque aſſenſionem abnuere nequeant, etiam ſi maximè velint. Quid autem id eſſe dixeris, niſi argumentum minimè dubium, eas ſuperioris alicuius Numinis voces eſſe, quibus æquè hominum mentes conformauit Opifex Deus, atque externis vocibus aures: vt quemadmodum iſtæ humanas voces ſentire, ſic illæ Diuinis conſentire cogerentur? Si igitur Deo teſte nititur animorum immortalitas, qui fieri poteſt, vt cũ philoſophicis rationibus pugnet, quas idẽ Dei Teſtimoniũ præſtat? Hoc ſolùm duo inter teſtimonia intereſt, quòd cum Deus naturalia modo naturæ accommodato docet, ſeruos erudit; cum gratuita, & ſupra naturæ ordinem elata, amicos: fieri autem nequit, vt quod ille ſeruos edocuit, eoſdem dedoceat in amicitiam receptos: vtique enim ſecum ipſe pugnaret, ſi ſemel mortales hominum animos ſignificaret, iterum retractatâ, hoc eſt erroris damnatâ ſententiâ immortales fateretur.

Quòd ſi adhuc dubitas, an quæ naturæ lumine commonente didicimus, in Deum tanquam in primum repercuſſi luminis fontem referenda ſint; audi Deum ipſum id Paulo interprete declarantẽ. Vbi enim Paulus de naturali Numinis notitiâ omnibus promptâ, ac præſertim Philoſophis, ſermonem habuit, *Deus enim*, inquit, *illis manifeſtauit:* Ad Rom. 1. 19.

nit: Quæris autem quo pacto? Vtique non alio, quàm per anticipatas illas notiones, ſeu Græcorum προλήψεις, quas natura noſtris mentibus indidit, tanquam faces ducendæ per has tenebras vitæ perneceſſarias. His autem non ſecus in Diuini noſtri Parentis agnitionem venimus, atque agni recèns effuſi in ſuarum matrum notitiam, naturâ ſuggerente, veniūt: quo ſcilicet, quemadmodū illi, ita & nos inde vitæ alimenta peteremus, vnde primordia duximus. Fuit autem preterea æquè neceſſarium, vt ſuæ quoque immortalitatis animus naturæ admonitu conſcius eſſet: ne ſcilicet ſpei ac metus in futurum expers in omnes vitiorum ſordes procumberet, ſeſeque ad Epicuri de grege porcos aggregaret: id nempe potiſſimùm Epicureos in ſua volutabra demerſit: dum enim ſeſe putarunt animo, non ſecus ac bruta, mortali prædicos, noluerunt ijs voluptatibus fraudari, quas maximas mente tam ſtolidâ noſſe potuerāt: quare bruta animalia fuere, quia ſe eſſe crediderе, operibus ipſis ſeſe cooperiente mendacio. Eſt autem tam alienum a Deo, hominem in lucem hanc ſine neceſſario ad betam vitam commeatu, atque inſtrumento dimettere, quàm ſuam dimittere Prouidentiam, quæ vtique cæcutire viſa eſſet, ſi homines ſine oculis ad ſuam agnoſcēdam immortalitatem effinxiſſet. Nec ſatis fuerat quælibet noſtræ immortalitatis ſuſpicio ad nos a præſentibus voluptatibus abſterrendos, vt quas ſor-

Hoc eſt, anticipationes, ſeu prænotiones, quæ & *Prima principia* dicuntur.

Opinio de animi mortalitate Epicureos facit.

Non ſatis nobis eſſet cōſulēdū, niſi certa de noſtri ani-

mî immortalitate notitiâ eſſemus inſtructi.

fortaſſe æterna, atque immortalia eſſent ſecutura ſupplicia. Sæpe enim tam validè in voluptates vrgente malo Dæmone impellimur, vt niſi certus obſiſtat futuri ſupplicij metus, nullo negotio prolabamur, certâ voluptate dubij timoris debile frænum rumpente. Itaque ad Conditoris Prouidentiam pertinuit, in hos quoque caſus, inditâ nobis noſtræ immortalitatis, atque immortalis ſupplicij firmâ perſuaſione, nos communire.

Virtutes morales ſine theologicis cadauera virtutum ſunt.

Quod verò ad virtutes attinet, quæ noſtros ad vitæ huius officia mores effingunt; poſſe quidem illas cenſeo nonnihil cultores oblectare ſuos, at non maiore oblectamento, quàm bonæ rei ſimulacrũ ſoleat. Si enim illas a virtutibus alijs, quas Theologicas vocant, ſeduxeris, mera virtutum ſimulacra, ſeu potiùs cadauera remanent: nempe ſine Fidei lumine, ſine Spei motu, ſine ſpiritu Caritatis. Fac me fortiter pugnare pro patriâ: fac pro diruto muro me meum pectus opponere, meque vnum hoſtiles acies, iam per ruinarum cliuum ſubeuntes, repellere: & alios quidem ferro obtruncare, reſupinare, rotare alios, hunc clypeo, illum cubito, alium calce euertere, cunctos acto in girum enſe, & oculis, & voce non fruſtra minacibus, & fortitudinis, & audaciæ miraculo deterritos prohibere: quid, rogo te, inde mihi voluptatis accedet, ſi totus interim ſudore fluam, ſi vndique ſaucius meam cum ſanguine vitam ſentiam dilabi? An gaudebo e futuri ex-

pe-

pectatione triumphi, pari ſcilicet metu compreſ-
ſa, ne in triumphũ vel ab hoſte ſuperſtite, vel à
defuncto agar, ipſâ occidendi laſſitudine occiſus?
An ex aliquo poſt mortem nomine ſeu famâ, cuius
ſenſum ſit mihi mors ablatura? Crede mihi; ni-
hil inde voluptatis, niſi ſecuro ſpectatori poteſt
obtingere: nec niſi ſtultè colligas periclitantis vo-
luptatem e tuâ; quaſi hęc ex illâ deſcendat.
Triſtiſſima quęque oblectamento ſunt e tuto ſpe-
ctantibus, quibus non pariunt, ſed excitant vo-
luptatem, commonendo, vt de ſuâ ſibi ſecuri-
tate gratulentur. At ſi pro Cœleſti Patriâ fortiter
pugnem, & ſimul Chriſtianâ Fide monſtrante,
Deum ac Superos certamini ſuâ cauſâ ſuſcepto
adeſſe proſpiciam; ſi ſempiternam coronam Spes
oſtentet; ſi Caritas amantiſſimo Numini id gratũ
fore promittat; pugnæ me pericula longè maio- Iucũdiores bonorum pugnæ, quã improborũ triumphi.
ri, quàm ſui olim Romanos triumphi iucunditate
perfundent. Illi enim quot paſſibus ad coronam,
totidem ad exitum properabant: noſtra verò pe-
ricula quo propiùs ad exitum, eo ad coronam
nunquam exituram perducunt. Quid ſi in lectulo
iaceam vlceribus coopertus, ſanie ac vermibus
ſcatens, acutiſſimis prætèrea tortus doloribus, ac
ſpe ſalutis, quin & lenimenti, deiectus; nunquid
ſi futuræ ac lætioris vitæ expectatione reficiar nul-
lâ ſolâ patiẽtiæ conſcientiâ nullo donãdâ præmio
nulli vel probandâ arbitro recreabor? Fert patiẽ-
tia dolorem, non gaudiũ parit, niſi futuræ ſpem

 feli-

felicitatis adducat : tunc autem lætitiam affert maximè cumulatam , vbi Cœleſtis Regni claues exhibeat, & iura conferat vitæ in omnem æternitatem degendæ apud Superos feliciſſimæ: tantũdem enim tunc animus a mœrore ſecedit, quantùm in ſpem beatæ perennitatis erigitur.

CAPVT DECIMVM.

Salomonis ineluctabili teſtimonio ſectantium huius vitæ felicitatem per vias hactenus improbatas error firmiùs reuincitur.

BEatam huius temporis vitam non in opibus, nec in potentiâ, vel gloriâ, aut corporis voluptate, aut ſapientiâ, ſeu virtute noſtris viribus comparatâ poſitam eſſe, hactenus edocuimus. Suſpicionem adhuc vnam reliquam video, cuius depulſio ceterarum quoque reliquijs ex animo penitus eradendis conducet: nimirum an ſi hæc vniuerſa in vnum hominem confluant, eum in præſenti vitâ beatum poſſunt efficere?

Haud

Digitized by Google

Haud dubiè enim multa ſunt, quæ collatis viribus poſſunt quidquid ſegregata non poterant: quod præſertim, vbi de felicitate ſermo ſit, locum habet, cum hæc non poſſit non eſſe contenta bonorum omnium affluentiâ, quando ipſa felicitas bonorum omnium affluentia definiatur. Verum ſi beatam in terris vitam ita comparatam quis dixerit, vt tam multa ad ſui ſuſtentationem deſideret, protinus apparet, quàm miſera ea futura ſit, quæ tot tantiſque adminiculis fulciri debeat, quolibet ſubducto ruitura. Quotocuique enim ea obueniret, & quandiu morari ſic poſſet, ſi tanto rerum inconſtantiſſimarum apparatu indigeret? Si quidem vel mortalium nulli eá vnquam omnia contigit habuiſſe; vel ſi cui contigit aliquando, ſuam ſecum hæc bona inconſtantiam, & cum eâ ſollicitudinem, felicitatis perturbatricem, attulerint neceſſe eſt. Præterea ſingula in ſuperioribus vidimus plus ærumnarum, quàm iucunditatis afferre: itaque ſi cuncta ſuas in vnum hominem ęrumnas deponant, quid illo erit infelicius, quem infeliciſſimum vnicus in renibus calculus, vel in vngue feſtuca poteſt efficere? Pręclarè in hâc re Stoici, quibus amor honeſti immodicus licet, linguam ad honeſtatem mirificè compoſuit. Cuncta hęc, quæ vulgus imperitum Bona appellat, tam bono nomine minimè dignabantur: verùm *Commoda* duntaxat appellari voluerunt: ea verò, quę vulgò Aduerſa dicuntur, non Mala, ſed *Incommoda*

Nequit f licitas in omniũ huius vitę bonorum cumulo conſtitui.

Nempe ob raritatẽ cumuli, ob inconſtantiam bonorũ ob admiſtionẽ cũ malis.

Bona, vel Mala huius vitæ *commoda*, vel *Incommoda* à Stoicis dicta,

da nominarunt. At meâ quidé ſententiâ meliùs, ſi etiã diuitias, potentiam, gloriã, atque id generis reliqua, Incommoda nuncupaſſent; caſtigatiùs certè ad Philoſophiæ formulam loquerentur: hæc enim docet, cuique rei a potiſſimâ ſui parte nomen accedere, præſertim vbi tam exigua ſit pars altera, vt aciem Nomenclatoris effugiat, ne coram illo in contentionem nominis compareat. Etenim non eſt, cur Bona appellanda ſint, quibus affluenti liceat eſſe non bono, imo & peſſimo, ac miſerrimo, quibuſque carenti optimo eſſe, ac beatiſſimo liceat. Verùm quia communis nomenclatura illis Bonorum nomen, publicâ veluti fide, confirmat; & nos iam inde ab ineunte ætate a parentibus, & nutricibus vnà cum lacte communem perſuaſionẽ hauſimus, ita intimis ea hæſit præcordijs, vt humanæ vi rationis diuelli haudquaquam poſſit. Quare Diuinæ Prouidentiæ conſilio comparata ratio in medicinam adhibenda eſt, vt ſuam in ſedem mota mens noſtra reuocetur.

Deprauata ab ineunte ętate rerũ ęſtimatio cęleſti remedio emẽdãda.

Subijce igitur animo, quiſquis adhuc hæc in bonis enumeras, ſapientiſſimum illum Salomonem quem Diuina Numinis Prouidentia, cunctis huiuſmodi Bonis cumulatum voluit, quo eorum vanitatis teſtem proferret omni exceptione maiorem. Eâ enim primò ſapientiâ donauit, vt neminem poſt natum hominum genus parem illi fuiſſe, Diuina Eloquia teſtẽtur, neminem fore pręſagiant.

Salomon Bonis hiſce cunctis donatus, vt eorũ eſſet vanitatis teſtis.

Eius ſapiẽtia.

Ita

Ita in Sacris Litteris legimus. *Dedi tibi cor ſapiẽs,* 3. Reg. 3. 12.
& intelligens in tantum, vt nullus ante te ſimilis tui
fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Quam ob rem, 3. Reg. 4. 31. & 34.
Erat nominatus, vt eędẽ Litterę tradunt, *in vni-*
uerſis gentibus per circuitum. Et veniebant de cunctis
populis ad audiendam ſapientiam Salomonis, & ab
vniuerſis Regibus terræ, qui audiebant ſapientiã eius.
Fuit autem & Sabęorum Regina, quę alieno mi- 3. Reg. 10. 1.
nimè contenta teſtimonio, coram ſpectãdi auida,
quæ fama vulgarat, ipſum adijt, tantaque eius ſa-
pientiæ illam admiratio cepit, vt ſpiritu prope
defecta obſtupuerit, ſteteritque diu miraculi ſimu-
lacrum: vbi autem ſeſe collegit, *Verus eſt*, inquit 3. Reg. 10. 7.
ſermo, quem audiui in terrâ meâ ſuper ſermonibus tuis,
& ſuper ſapientiâ tuâ: & non credebam narrantibus
mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & pro-
baui, quòd media pars mihi nunciata non fuerit: &c.
Beati viri tui, & beati ſerui tui, hi qui ſtant coram
te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Scripſit ve-
rò Salomon quamplurima partim ad rerum natu-
ralium notitiam, partim ad morum diſciplinam
pertinentia. De illis hæc verba in 3. Regum ha-
bentur; *Et diſputauit ſuper lignis a cedro, quæ eſt in* 3. Reg. 4. 33.
Libano, vſque ad hyſſopum, quæ egreditur de parie-
te: & diſſeruit de iumentis, & volucribus, & repti-
libus, & piſcibus. Sed hæc corporum ſalubritati,
vel curioſitati comparata magnam partem perie-
re: quanquam nonnulla eorum, quę ad vim me-
dicam attinent, credibile eſt ad noſtrorum me-

dico-

Digitized by Google

Rerum medicarũ vis e Salomonis libris habita.

dicorum libros tranſlata. Vnde enim herbarum, aut lapidum, aut rerum ceterarum aduerſus morbos auxilia (paucis exceptis, quæ nobis caſus, aut muta animalia ſuo vſu monſtrarunt) niſi e Cœlo tradita noſſe licuiſſet? Nam quòd experimentis eam nobis ſcientiam quæſitam dicunt, veri ſpeciem non habet: ſiquidem ſi quod aliud in experimentum, in hoc optimè caderet *Periculi* nomen, quod ſingulas plantas, reſque alias naturales ſingulis morbis, non ſine laborantis periculo, cæcâ temeritate adhiberet. Quare conſentaneum eſt credere, e Salomonis ſapientiâ hanc rerum naturalium ad medicinæ vſum ſcientiam ad Græcos primùm a Iudæis, ad quos conſtat ſapientiæ ſtudio nonnullos Græcorum Philoſophos peregrinatos, deinde ad nos a Græcis manaſſe. Quæ verò ad morum modeſtiam comparandam pertinent, ea ab interitu vindicauit idem, qui ad noſtram ſalutem dictauerat Deus; habenturque in Libris Prouerbiorum, Eccleſiaſtæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, atque eo, qui Cantica Canticorum inſcribitur.

Eiuſdẽ virtutes morales.

Porrò virtutibus omnibus, quæ mores huic vitæ fingunt, Salomonem manente ſapientiâ exornatum fuiſſe, inde liquidò nouimus, quòd in Reip. adminiſtratione admirabili prudentiâ enituit: atque ad hoc petijt, obtinuitque ſapientiam, quam & *Prudentiam multam nimis* Diuinæ Litteræ appellant. Fieri autem non potuit, vt Prudentia, præſertim eximia, quam vitia cuncta perturbant, ſine excu-

3. Reg 3 9. & cap. 4. 29.

ban-

bantium virtutum cœtu, & cuſtodiâ permanſerit. Nec regere ſua membra poteſt caput vacillans, quod ſeſe regere non poteſt : nec is alijs dominari valet, quem ſeruum continent, quòque libet ducunt libidines. Palàm igitur eſt, Salomonem tandiu virtutibus, quandiu ſapientiâ, ac prudentiâ floruiſſe.

De eius verò opibus paria ſapiẽtiæ muneri Diuinæ Litteræ tradunt. Ita enim in Libris Paralipomenon habetur. *Sapientia, & ſcientia data ſunt tibi: diuitias autem, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi; ita vt nullus in Regibus nec ante te, nec poſt te fuerit ſimilis tui.* Cui opulentiæ illud in primis fidem facit, quòd Parens eius Dauid reliquerit illi in Templi ſtructuram centies mille auri talenta: ex argenteis verò talentis millies mille. Talẽtum autem ad Romanæ libræ pondus reuocatum centum viginti quinque libras appendit. Aurei verò ad argenteum ratio, quod ad valorem attinet, duodecupla Dauidis tempore erat: ſic, vt libra auri duodecim libras argenti valeret. Quà ratione pecunia Salomoni a Dauide in Templi vſum relicta, talentis ad Italorum calculos, & vocabula reuocatis, fuit, teſte doctiſſimo Villalpando, ad tria millia, ac ducentos octoginta duos milliones ſcutorum Romanorum, centum præterea, ac triginta quatuor millia, & quatuor ſupra viginti: quantam nempe pecuniæ vim totâ vix Europâ reperies. Æris verò ac ferri certum pondus

Eiuſdem opes.

L. 2. 1. 12.

Talenti pondus.

3, 282, 134, 024.

Vill. in Ezech t. 2. p. 2. d ſo. 3. c. 43. pag. 504.

non fuit, laſſatis, victiſque numeri magnitudine
1.Paral.22. rationarijs, vt ipſe Dauid fatetur. Quantum verò
14. fuerit totius As hæreditatis a Parente Salomoni
relictum, ex quâ tantum copiarum in vſus pios
Iud. antiq. legatum eſt, minimè conſtat. Hæc tamen verba
l. 7. c. 12. ex Ioſepho rerum Iudaicarum conſultiſſimo habemus. *Tantas diuitias hæredi reliquit Rex Dauid, quantas nullus alius Rex vel Hebræorum, vel aliarum Gentium.* Deinde paternæ hæreditati immenſam fecit acceſſionem ipſa Salomonis ſapientia cumulandis opibus in ſuæ magnificentiæ ſumptus
Qui locus fuerit Ophir ſuſè tractat Pineda de reb Sal. l. 4. c. 16. intenta. Præcipuus fons, vnde illas hauſit, Ophir perhibetur; quæcunque tandem ea regio, vel locus fuerit; ſiue Aurea Cherſoneſus, quam nunc Malacam dicimus, ſiue Sophala, ſiue Somatra, aut Peruuia, prout aliæ aliò Auctorum coniecturæ feruntur. Eò autem tertio quoque anno claſſem mittebat, referebatque quadringēta viginti auri talenta, & auri quidem puriſſimi, quod deinde
Quid aurū obrizum. *Obrizum*, corrupto fortè vocabulo ex antiquo *Ophirizum*, dictum eſt. Adduntur autem ad indicandos reditus annuos aliunde prouenientes in Libris
3. Reg. 10. 14. Regum hæc verba. *Erat autem pondus auri, quod offerebatur Salomoni per annos ſingulos, ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri: excepto eo, quod afferebant viri, qui ſuper vectigalia erant, & negociatores, vniuerſique ſcruta vendentes, & omnes Reges Arabiæ, Duceſque Terræ.* Inter quos Arabicæ Sabeæ Regina ſupra memorata, *Dedit Regi centum*

vigin-

viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pretioſiſſimas. Ac de vniuerſis Terræ Regibus, qui eius opulentiam muneribus cumulabant, ſic rurſus in Libris Paralipomenon; *Magnificatus ijs eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges Terræ præ diuitijs, & gloriâ. Omneſque Reges Terrarum deſiderabant videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiã, quam dederat Deus in corde eius. Et deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, & veſtes, & arma, & aromata, & equos, & mulos, per ſingulos annos.* Quibus ex muneribus, ceteriſque annuis reditibus tantam argenti vim Hieroſolymis coegerat, vt illud ſuo pretio exuerit, ac prope in antiquam terrenæ originis ignobilitatem pari cum lapidibus conditione remiſerit. *Argentum enim in diebus illis pro nihilo reputabatur. Fecitque vt tanta eſſet abundantia argenti in Hieruſalem, quanta & lapidum.* Ita in ſecundo Paralipomenon, atque in Regum tertio. Quare *omnia vaſa, quibus potabat Rex Salomon, erant aurea, & vniuerſa ſupellex domus ſaltus Libani de auro puriſſimo: non erat argentũ, nec alicuius pretij putabatur in diebus Salomonis.*

2. Paral. 9. 9.

2. Paral. 9. 22.

Ibid. n. 20. & 3. Reg. 10. 27.

3. Reg. 10. 21.

Quantum verò auri inſumptum fuerit in Templum illud ſeculis omnibus celeberrimum, quod a ceteris orbis terrarum miraculis omnem ad ſe meritò euocauit admirationẽ, diſcrepat inter Auctores; idque ſolùm conuenit, immenſum fuiſſe, & humanâ propemodum fide ſuperius: quanquam & viam ad fidem emolliuit, mordaciſſimi, & ſua,

ne dum aliena, detere ſoliti, Cornelij Taciti teſtimonium, qui Templum illud *immenſæ opulentiæ* in ſuâ hiſtoriâ nuncupauit. Inde autē aliquid
Tac. l. 5. hiſt.
conijcias licet, quòd in fundamentum lapides grandes, ijdem & pretioſi iubente Rege deiecti narrantur. *Nihil* præterea *erat in Templo, quod non auro tegeretur. Quin & pauimentum domus texit auro intrinſecùs, & extrinſecùs*: & quidem auro purißimo, ac laminis tam craſſis, vt claui pariter aurei, quibus illæ affigebantur, ſiclos ſinguli quinquagenos, nempe ſupra duas libras Romanas vnciam appenderent: quis autem niſi pro craſſiſſimis tabulis coercendis clauos adhibeat pluſquā bilibres? Vaſa inſuper aurea (omittimus argentea, ac cetera minoris, ſiue nullius tunc pretij) Templi, & Sacrorum miniſterijs dicata, eodem Villalpando teſte, ad ſexcenta ſexaginta millia fuere. Iam quid impenſarum in Templi artifices, & operarios factum ſit, diſce ex ijs verbis, quæ habentur in libris Regum. *Fueruntque Salomoni ſeptuaginta millia eorum, qui onera portabant; & octoginta millia latomorum in monte; abſque præpoſitis, qui præerant ſingulis operibus, numero trium millium, & trecentorum*. Libenter hæc Diuinis verbis teſtanda committimus, noſtræ auctoritati tantarum rerum fidem promittere diffiſi: quis enim vera iſta putet, niſi ab eo audiat, qui & vera facere potuit, & falſa dicere non potuit?

3. Reg. 5. 17.
Ibid. 6. 22. & 30.
2. Paral. 3. 9.
3. Reg. 5. 15.

De potentiâ & gloriâ pauca addenda ſuperſunt: illa

illa ſiquidem ex opibus, tanquam robur e ſanguine conualeſcit, hæc ex potentiâ tanquam flos roboris ſurgit, cui tamen & ſapientia coronidem, & quaſi lauream imponit: nihil enim eo Rege glorioſius, cuius ſummæ potentiæ ſumma quoque eius moderatrix acceſſerit ſapientia: quamobrem immenſis opibus parem potentiam, ſummæ potentiæ, ac ſapientiæ parem gloriam obtinuit. De eius potentiâ illud in Sacris Litteris ſpeciatim habetur; *Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos Reges a flumine Euphrate vſque ad terram Philiſtinorum, & vſque ad terminos Ægypti*. Quam poteſtatem ſuo fœdere, atque amicitiâ mirificè cumularunt, *omnes Reges Terrarum*, qui, vt antea memorauimus, *deſiderabant videre faciem Salomonis, & deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea per ſingulos annos*. Quid autem eo Rege validius, qui per ſe potentiſſimus, ſocios habeat, ac fœderatos Reges orbis terrarum vniuerſos? De gloriâ verò reuoca in mentem, quæ ſupra e Sacris Litteris recitauimus verba. *Magnificatus eſt igitur Salomon ſuper omnes Reges Terrę prę diuitijs, & gloriâ*. Quò tamen etiam ſpectare videtur inaudita illa Regiæ Menſæ luxuries, & equorum ferè incredibilis multitudo. De Salomonis menſâ ſic habent Diuinæ Litteræ. *Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes; exceptâ venatione ceruorum, caprearum,*

Eiuſd. potentia, quæ ex opibus, & gloria, quę ex potẽtia oritur.

2. paral. 9. 26.

3. Reg. 4. 22.

at-

atque bubalorum, & auium altilium. De equis verò ſic additur; *Et habebat Salomon quadraginta millia præſepia equorum currilium, & duodecim millia equeſtrium.* Quæ vtique ciborum, equorumque copia non tam ad illum, quàm ad eius gloriam ſuſtentandam comparata videbatur.

Ib. n. 26.

Eiuſd. deliciæ, ac voluptates.

Quod autem ad voluptates, ac delicias attinet, quibus tandem eius demerſa perijt vnâ cum animi dotibus ſapientia, hæc Salomon in Eccleſiaſte de ſe ipſe teſtatur. *Omnia, quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret ſe in his, quæ præparaueram.* Quæ verò præparauerat, paulò ante inſinuauit, latiùs in libris Regum deſcripta, nempe domum regiam lapidibus pretioſis ab imo fundamento ad faſtigium conſtructam: cuius magnificentia tam multis cedrinis columnis ſuſtinebatur, vt a cedrorum copiâ, quâ Libani ſaltum, ſeu nemus ęmulabatur, Domus ſaltus Libani nuncuparetur. Eandem aureâ, ac gemmatâ ſupellectili, aureo, atque eburneo throno, armamentario aureo, aureis denique ſine numero vaſis inſtruxerat. Hortos præterea, & pomaria cuncti generis arboribus conſita, venationes, piſcinas, cantores, cantrices, ac denique inauditum fœminarum gregem e ſeptingentis vxoribus, ac trecẽtis concubinis, non tam ſobolis (vnicum enim tot fœminarum maritus filium reliquit, plures fortè relicturus, niſi vitiato ſemine filios in parente per-

Eccle. 2. 10.

3. Reg. 7.

E mille fœminis vnum filium reliquit Salomon.

perdidiſſet intemperantia) quàm voluptatis gratiâ, vndique ex vniuerſo Regno contraxit. His inſuper delicijs indulgere per otium, ac ſummam tranquillitatem licuit: ſiquidem eâ pace potitus eſt, quam Salomonis nomen a Parente Prophetâ inditum pollicebatur. Ita enim in Regum hiſtoriâ ſcribitur. *Et habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda, & Iſrael abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſuâ, & ſub ficu ſuâ a Dan vſque Berſabee cunctis diebus Salomonis.* 3.Reg.4.24. & 25.

Quorſum tamen putas prouidentiſſimum huius vniuerſitatis Rectorem tam multa in vnum hominem congeſſiſſe, ac præſertim ſapientiam, quæ de ceteris rebus vſum potiſſimum, fructumque decerpit? Eo vtique, ſi quo alio, conſilio (euentus enim eius conſilia profert, cui nihil euenit inconſultum), vt orbi terrarum Eccleſiaſten inſtrueret, qui ad vniuerſam humani generis concionẽ, non tantùm vt doctor rerum noſtrarum vanitatem e ſuperiore loco deprædicaret; verùm etiam probaret vt teſtis; exponeret vt exemplum: tantam denique vni dedit ſapientiam, vt in vno omnes doceret. Hoc ſibi munus, vbi de laſſatis, fruſtratiſque cupiditatibus ſapientiam recuperauit Salomon, aſſumpſit; vt nomen ipſum, quod ſuæ inſcripſit orationi, declarat. *Verba*, inquit, *Eccleſiaſtæ filij Dauid Regis Hieruſalem*: mox verbis tam grauibus & rem concludentibus ſermonem exorditur, vt in ipſo ſtatim exordio peroraſſe videatur,

Salomon iã multis cumulatus, vt cunctorum vanitatis prędicator eſſet.

ἐκκλησιαστής concionator.

Eccle.1 .1

tur,

tur, nec pluribus indigeat, qui ea ſibi firmiter perſuaſerit. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Deinde non alium eſſe docet manuum noſtrarum fructum, quã inanem auram captaſſe, eâque turpiter intumuiſſe. *Quid*, inquit, *habet ampliùs homo de vniuerſo labore ſuo, quo laborat ſub ſole?* Quæ interrogatio hanc tacitè ex præcedentibus ſuggerit reſponſionem; Nihil præter inflantis auræ vanitatem, &, vt poſtea ſubdit, afflictionem ſpiritus, hoc eſt, moleſtiam illam, quâ nos tandiu incluſa aura diſtendit, quouſque tandem diſrumpat. Ita conſtat Salomoni eueniſſe, quem ſua tam malè habuit, cruciauitque rerum humanarum opulentia, vt Auctores non contemnendi ſint, eum aſſiduo mœrore poſtremos octo vitæ annos confectum è vitâ migraſſe. Vbi enim obtutum in ſuperioris ætatis flagitia retorſit, viditque templa, quæ per ſummam benigniſſimi erga ſe Numinis contumeliam ſpurciſſimis Dijs, ac præſertim Veneri extruxerat, tanto animi dolore oppreſſus eſt, vt vel inde mortem obierit; vel, ſi non obijt, certè illam vitæ tàm turpi, ac deteſtandæ præoptauerit. Id ea verba ſignificant perſpicua ſui doloris indicia. *Et laudaui*, inquit, *magis mortuos, quàm viuentes: & feliciorem vtroque indicaui, qui nec dum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub ſole fiunt*. Idem in eâdem concione ſæpiſſimè conqueritur de rerum humanarum labore, moleſtiâ, tædio, infidelitate,

Ibidem.

Salomon in tãtã rerũ affluẽtiã mœrore confectus moritur.

Apud Pined. lib. 8. de reb. Salom. c. 3.

Aſtarthem Scriptura vocat, quã Cic. l. 3. de nat. deo. Venerẽ interpretatur.

Eccle. 4. 2.

ac denique vanitate, quâ cuncta hæc inferiora tument, & magnitudinem apud incautos mentiuntur. Nuſquam tamen adeo perſpicuè ſui animi mœrorem teſtatus eſt, quàm vbi verbis illis ſupra memoratis; *Omnia quæ deſiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur*; hæc verba ſubiecit: *Cumque me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole*: ac planiùs infra; *Et idcirco tæduit me vitæ meæ videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus*. En quo nomine appellet ea, quæ imperitum vulgus Bona, commoda, fortunas, delicias, voluptates, felicitatem nominat, & ſuſpenſo ſupercilio miratur in Salomone: Salomon ipſe rerum ſuarum ſapientiſſimus, ac fideliſſimus teſtis vniuerſa nuncupat mala, & cuncta vanitatem, & afflictionem ſpiritus vſque ad extremum vitæ tædium, ac mortis cupiditatem. Quiſquis igitur ſingulis ijs bonis ſe plenum ac beatum fore adhuc confidit, quibus vniuerſis vacuum, ac miſerum Salomonem, eo ipſo teſte cognouit; quàm certò credit Salomonem fuiſſe ſapientem, tam certò credere debet, ſe eſſe ſtultum, vt qui & Salomoni contraria ſentiat, & videat ſe a Salomone ipſo inter ſtultos connumerari: ita enim ille ſuæ ſapientiæ, ac doctrinæ contemptores ſub initium prouerbiorum

Eccl. 2. 10.

Ib. n. 11.

Ibid. n. 17.

Nequeunt ſigula beatum efficere, que vniuerſa miſerum reddunt.

Prou. 1. 7. appellat: *Sapientiam* inquit, *atque doctrinam ſtulti*
deſpiciunt: ac deinde idem eodem in libro
Ib. 15. 5. inculcans, *ſtultus* inquit, *irridet diſcipli-*
nam Patris ſui; Eam nimirum, de
Ib. 1. 9. quâ ipſe dixerat; *Audi fili*
mi diſciplinam Patris tui,
mei ſcilicet, quē
vitæ potioris,
ac beatæ patrem agnoſces, ubi ad
meæ doctrinæ formulam, cui
elaborandæ ſuam mihi
Deus accomoda-
uit Sapientiam,
viuere in-
cipies.

✠

LI-

LIBER SECVNDVS DE VITA IN TERRIS BEATA

CAPVT PRIMVM.

Ad Beatam vitam in terris obtinendam edomitis opus eſse cupiditatibus.

VNiuerſas a verà felicitate aberrantium vias libro ſuperiore, præcluſimus: eoſque qui in præceps ibant, ſuam felicitatē in ſui exitio quæſituri, iniectà tergo manu pro viribus ſuſtinuimus. Iam retro agendi ſunt, atque ad erroris initium reducendi: tantum enim illis ſubeundum, quantum deuenere, vt veri itineris, quod totum in arduo eſt, ad exordiũ redeant. Et quia pronæ ſemper ad ima cupiditates aſcenſum tardant; antequam de virtute, quæ

nos ad felicitatem perducat, ſermo inſtituatur; de cupiditatibus imminuendis, atque ad virtutis vſum edomandis præcepta aliqua in hoc libro præmittemus. Nec tamen interea, Adoleſcens tibi verba dari, ac promiſſa differri exiſtimes, quantum enim de immodicà cupiditate detraxeris, tantundem continuò adieceris voluptati. Vis

Ex Sen. ep. 21.

inquit Epicurus, ſecretâ, & compendariâ viâ locupletem facere? *Non pecuniæ adijciendum, ſed cupiditatibus detrahendum*. Non enim qui multum pecuniarum habet diues eſt, ſed qui ſatis: ſatis autem habet, qui amplius non cupit. Vis pariter, inquit Seneca, qui Epicuri ſententiam quòcunque

Via ad perpetuam voluptatē facilis.

translatam idem poſſe affirmat, aliquem in perpetuâ eſſe voluptate? *Non voluptatibus adijciendum, ſed cupiditatibus detrahendum*. Tum enim demum voluptatis plenus diſcedes, cum plus capere cupiditati tuæ non vacabit: quare hàc imminutà maior fiet ſine nouâ acceſſione voluptas. Itaque quæcunque in prẹſens de frangendis cupiditatibus præcipiemus, eadem de animi tranquillitatẹ, ac felicitate ſubitò comparandâ prẹce-

Ipſa cupiditatum cōpreſſio iucunda.

pta erunt. Ac tu pariter quidquid ad comprimendam inteſtinam cupiditatum ſeditionem effeceris, id totum in animi tui, vbi concurritur, pugnaturque tranquillitatem cedet: quemadmodum qui Remp. adminiſtrant, eâdem operâ eius felicitatem obtinent, quâ ſeditioſos coercent, vt, quibus ſublatis, dirempta per eos ſocietas iterum

coa-

coaleſcit, & priuata commoda in communem publicat felicitatem. Quid autem boni cupiditates in officium redactæ animo importent, ſatis oſtendunt damna, quę priore libro docuimus ab ijs ſine frȩno furentibus exoriri: Vtique ſaltem ea- cuncta mala cohibitæ ſubmouent, quę effrænes important. Quis enim dubitet, quin plurimum iucunditatis inuenturus ſit, vbi exuatur auaritię vepribus, careat ambitionis ſollicitudine, famę duriſſimum mancipatum effugiat, cœno turpis voluptatis emergat, cunctis denique affectę mentis incommodis ſe ipſum incolumem educat, & reuocatis viribus ſeſe de tortorum manibus extorqueat? Contra verò quis benè habere animum- dixerit, quem mille morbi vndique circunſtent, torqueant, dilanientque? Si verò dubites, an in Cupdita- tes modum egreſſę ani- morũ mor- bi.
morbis numerandę ſint ſuum egreſſę modum cupiditates, occurret, confirmabitque dubitantem- omnium Philoſophorum auctoritas, quibus ille- πάθη, ſeu (vt Latinorum quidam apud Tullium interpretantur) paſſiones dicuntur. Ratio autem- poſtulat, vt non gaudere, ſed pati exiſtimentur, qui inter paſſiones verſantur: ęquè ſaltem ac is, qui febri, aut podagrâ, ceteriſque morbis corporeis laboret: nisi, fortè putes, animum plùs alienis ęgrotare morbis, quàm ſuis: plùs dolere, ſi ſui corporis articulum fregerit, aut luxauerit, quàm ſi mentem perdiderit, aut prauis detorſerit opinionibus. Eædem affectus, & affectiones, (quo

mo-

modo corporis languores appellamus) præterea ægritudines, ac perturbationes a Philoſophis nuncupantur. Perturbari autem a ſuis perturbationibus animum, item a ſuis ægritudinibus, atque affectibus languere, nemo ignorare queat, niſi cui morbus mentem ipſam ita peruaſerit, vt licet cum maximè afficiatur, minimè tamen ſentiat, propterea quòd ſenſum ipſum vitiauit affectus.

Diſcat id a Cœleſti Magiſtro, qui adhuc dubius pendeat: diſcat & a vulgari experientiâ, cui inſpiciendæ non erigenda in ſublime fides eſt, ſed potiùs oculi per triuia, & compita demittendi.

Is. 48. 22.

Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Vbi vides, conſulto Prophetam ſuâ diffiſum auctoritate Diuinam contra proteruos interpoſuiſſe ijs additis verbis, *Dicit Dominus*: Is nimirum dicit, cuius acies in noſtri pectoris intima, nobis ipſis clauſa, deſcendit: Is cui probè nota, exploratáque ſunt cuncta impiorum conuiuia, ſaltationes, cachinni, luſus, oblectamenta: Is eſt, qui dicit, *Non eſt pax*; ſiue, vt hæc verba e ſuo codice recitat Auguſtinus, *Non eſt gaudere impijs.* Itaque tametſi vniuerſi circunſtrepant impij eſſe ſibi pacem, gaudiũque iactantes, non magis adhibenda fides, quàm ſi non eſſe Numen teſtentur: eòdẽ quippe vtrunque teſtimonium reuoluitur, ſiquidem negat Numen eſſe, qui mentiri illud affirmet: cum tam procul à Deo, qui veritas ipſa eſt, mendacium abeſſe debeat, quàm ab ipsâ veritate. Quod ſi-

Impijs pax tribui nequit, niſi Deo mendacium tribuatur.

tu.

tu quoque præmiſſam Diuini teſtimonij faciem ſecutus, impiæ mentis ſecretiora peruaſeris, eam profectò (ſi modò in ſuâ ſede repereris) minimè pacatam inuenies. Cum quo enim pacem habeat cui Dominus exercituum bellum indixerit? An cũ rebus ſuis, cum diuitijs, cum delicijs, cum voluptatibus? quas nouit ad Domini nutum defecturas? An ſecum ipſo, & ſuâ cum conſcientiâ, quæ ſæpe ceteris dilapſis bonis ſuperſtes, vna pro cunctis conſolandi munus exequitur? At illa æquè Diuinæ beneuolentiæ, atque iracundiæ interpres, vt Pios ſupernis pollicitationibus ſolatur, ita Improbos acerbis minis abſterret; denunciatque, pro leui voluptate non leui eos ſupplicio defuncturos. Num clamantem improbi, & comminantem conſcientiam non ſentient? at morſibus illa vtitur, iiſque acutiſſimis ad comminandum. Agit enim cum impijs Deus, vt nos cum belluis, quas flagello alloquimur, verberibuſque vtimur minis ad peiora, ni pareant, denuncianda. Inde eſt, quòd non modò pacem, & gaudium ineſſe impijs negat, qui *Deus pacis, & totius conſolationis* in Sacris Litteris dicitur, a quo ſcilicet quidquid pacis, & conſolationis hic eſt, profluere debet; verum eos æſtuantis inſtar oceani perpetuò iactari, ac fluctuare confirmat. *Impij autem*, inquit per Eſaiam, *quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt*. An non vides, vt ventus vnus, aut alter pontum vniuerſum ex imis ſedibus citet, nec ſine

Ad Rom. 15. 33. 2. ad Cor. 1. 3.

Eſ. 57. 20.

eius

eius reclamãtis fremitu ſuſque deque permiſceat? Quid in impiæ mentis inconſtantiam cunctis vndique incumbentibus cupiditatum flatibus non licebit? Quænam quies in eâ mente ſedeat, in quam ius omne perturbationibus datum? Quam nempe gaudium quodcunque ſtatim attollat, triſtitia deijciat, quam prouehat ira, reuocet metus, inflent ſecunda, frangant aduerſa, tanta denique ſemper inconſtantia teneat, nihil vt illi niſi irrequieta perpetuò leuitas, atque agitatio conſtet. Deſine mirari, quid ita Supremus ſcelerum Vindex non alias de ethnicis Philoſophis ſui Numinis contemptoribus pœnas ſumpſerit, niſi quòd
Ad Rom. 1. 21. & 24. & 26. *Tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, & in paſſiones ignominię.* Ita Apoſtolus, qui ſatis grande in hoc Æuo de noxijs ſupplicium ſumi credidit, ſi ſuis veſanis, efferatiſque cupiditatibus, quaſi ad beſtias damnati, traderentur.

Edomitę cupiditates nobis per vtiles.

Contra verò cum belluæ iſtæ iugum ſubiere, omne nobis ſeruitij genus, ſuis viribus, noſtro conſilio inſtructæ, vltra omnem humanæ ſeruitutis facultatem exhibent. Cuncta per hanc peregrinationem onera noſtra ad arduam virtutis viã moliuntur: & fidæ comites in noſtram ſalutem depugnant: neque enim impetus ſuos, edomitæ dimiſere, ſed in mitigatâ feritate condunt, ad imperium, nutumque dominì diſtricturæ. Nihil igitur indomitis cupiditatibus ad beatam vitam euntibus infeſtius, nihil edomitis opportunius: Vtræque tamen

men, ſi benè vti noueris, vtiles: illæ ſuis morſibus te ad ſe domandas excitabunt: iſtæ ſui domitorem vtili, atque honeſtà ſeruitute ad vſque beatam vitam commodè iuxta, ac celeriter comportabunt. Inde videas, Chriſtum omnis probitatis exemplar humanis non caruiſſe cupiditatibus, ſed ita illas humanitatem edocuiſſe, vt non niſi ad rationis imperiũ euocatæ præſto eſſent. Nunquam ab illis perturbatus dicitur, tametſi cum opus ei foret, earum quâlibet vteretur, non quidem vt duce, verùm vt milite, qui nequaquam ducit, aut imperat, ſed ſequitur imperium, exequiturque. *Turbauit ſe ipſum*, inquit Ioannes, vbi Lazarum deflere voluit, non turbatus eſt. Egit nimirum turbidum illum motum, non paſſus eſt, nec lachrymas iniuſſas tulit, ſed pro imperio iuſſit adeſſe, ijsque pium pro amico officium indixit. At verò qui ſe ab ſuis cupiditatibus turbari ſinũt, qui abripi, qui abduci quò nollent, quò non decet; hi languentes ſunt, & vires ſuas perdidere, quamuis ex morbi viribus ſe fortes putent. Ita planè res habet: non tu fortis es cum ſupra modum iraſceris, ſed fortis te ira agit in furorem, atque impotentem reluctari. Tu ipſe putas, ad ſummam te in becillitatem redactum, vbi tibi videas manum aut pedem præter imperium concitari, vt agites quidquid agis, curras dum incedere deſtinaſti: quâ igitur in becillitate langucbis, vbi nihil tui continere poſſis, & omnia præter imperium

Chriſtus cupiditatibus nō caruit, ſed benè domitas habuit.

Io. 11. 33.

Cupiditatibꝰ incitati quo fortiores ex nobis viribꝰ apparent, cò ex ſuis debiliores ſũt.

R rium

rium, & imperium ipſum præter rationem agatur in præceps?

Iam audi magiſtram experientiam doctiſſimi eius diſcipuli Auguſtini verbis loquentem. *Iuſſiſti Domine, & ſic eſt, vt ſua ſit ſibi pœna inordinatus animus.* Experto crede, inquit Auguſtinus, clamatque a ſuis laſſus, ac redux erroribus; ne tu, quem eoſdem cupidè ingreſſum videt, ijs te perdendum committas. Hoc illi ſtudium, hæc vna cogitatio, & curarum ſumma ab ineunte ætate per triginta ferè annos fuit, ſuas vti aleret, & ſaginaret cupiditates: a quibus in diuerſa incitatis propè diſcerptus id vnum edidicit, ſtultè expectari a malis, vt benè habeas, atque a perturbationibus, vt quieſcas, ſed quo magis illas exaturaueris, hoc maiores futuras tuæ quietis perturbatrices. Audi iterum paternam erga ſe Diuinæ prouidentiæ curam cum gratiarum actione commemorantem, admirantemque, quòd iniquos ſuis quoque offendi voluit voluptatibus, quibus Numen offenderent, ne alia, quàm quæ Deo cõmunia eſſent, ſolatia quæritarent. *Nam tu,* inquit, *ſemper aderas* (mihi ſcilicet per deuia voluptates quærenti) *miſericorditer ſæuiens, & amariſſimis aſpergens offenſionibus omnes illicitas iucunditates meas, vt ita quærerem ſine offenſione iucundari.* Idemque alibi his iterum amantiſſimis verbis ſuas e cupiditatibus narrat offenſiones, deque illis Numini tanquam medico a phrenitide ſanus gratias agit.

L. 1 cõfeſſ. c. 12.

Auguſtini de cupiditatum perturbationibus teſtimonium.

L. 2. conf. c. 2.

Inhia-

Inhiabam, inquit, *honoribus*, *lucris*, *coniugio*, *& tu irridebas*: *Patiebar in eis cupiditatibus amariſſimas difficultates*, *Te propitio tanto magis*, *quanto minùs ſinebas mihi dulceſcere*, *quod non eras Tu*. Quantam deinde ex dimiſſâ carnis voluptate, voluptatem hauſerit, his denuò verbis teſtatur. *Quàm ſuaue*, inquit, *mihi ſubitò factum eſt*, *carere ſuauitatibus nugarum*, *& quas amittere metus fuerat*, *iam dimitere gaudium erat*. *Eÿciebas enim eas a me*, *vera Tu*, *& ſumma ſuauitas*, *& intrabas pro eis omni voluptate dulcior*. Quid hoc teſtimonio præclarius? ijs ſaltem, quos epicurea non dum voluptas penitus dementauit. Quòd ſi tu quoque vnà cum vulgo Epicurei dogmatis guſtato cortice mentem perdidiſti, nucleum exime, Epicuri mentem aſſequere, & in eâ tuam recuperaſti. Clamat Epicurus, teſte Tullio, non poſſe quenquam iucundè viuere, niſi idem iuſtè, ſapienter, atque honeſtè viuat: nec ſapienter, honeſtè, iuſtè, niſi iucundè. Quę verba cum idem Tullius in libris de finibus retuliſſet, ſuâ tum auctoritate, tum eloquentiâ mirificè commendauit, confirmauitque. Tullium autem cum audis, *illud ingenium* intellige, *quod ſolum populus Romanus par imperio ſuo habuit*, vt ait Seneca, aptum ſcilicet tanto regendo corpori caput. Igitur teſtibus tam luculentis, non popina, non fornices, non ganeæ, ſed tẽpla, ſed ſacraria, ſed quæcunque virtutem, atque honeſtatem, eadem veram ſinceramque dabunt iucunditatem. At non tem-

L. 6. conf. c. 6.

L. 9. conf. c. 1.

Eiuſdẽ teſtimonium de pietatis ſuauitate.

Teſte etiã Epicuro ſola cum honeſtate iũgitur delectatio.

In pręf. lib. 1. cõtrou.

Obiectū ex piorum lachrymis.

pla, vbi ſola ſuſpiria, & gemitus, ſed ganeæ popinæque cachinnos tollunt, & luſus, & cantus, & choreas agitant: arduum eſt autem credere, eos gaudere, qui lugent, lugere ac lachrymari, qui gaudent.

Diluitur.

Putas ne, qui ad magnos dignitatis gradus ſubitò euecti ſunt, eos in ſinu ſuo gaudere? Quid ni putem, inquies. Vidiſti illos ad nouum nuncium collachrymaſſe? Ego verò vidi, & vidiſſe æquè voluptati fuit, atque admirationi. Putas ne rurſus, triſtes, ac melancholicos interdum cachinnos tollere, & voluptatibus indulgere? Puto equidem, nec miror tamen, vbi ab Ariſtotele dictum accepi, eiuſmodi homines mœrore oppreſſos riſu, ac cęteris voluptatibus medicinam quærere atræ bili, quæ illorum viſcera perpetuo morſu depaſcitur. (7. eth. c. 14.)

Non sēper lachrymæ argumēta doloris, nec riſus gaudij.

Non ſemper igitur lachrymæ ſunt indicia doloris, nec riſus gaudij, ſed illæ interdum ſuperfluentis lætitiæ, hic opprimentis mœroris. Quare ſi Deo teſtanti credidiſti, non eſſe pacem impijs, nec deeſſe pijs; vbi impios externam agitare lætitiam videris, dic illos eâ agitatione, ne mergantur, eniti: vbi pios lugere, dic, redundantem pectoris, liquidamque lætitiam per oculos ſuperfluere. Hæc ſi dixeris, mihi crede, non errabis: Deum ſequeris præeuntem, eiuſque infinitam ſapientiam in tuę fidei ſecuritatem oppoſitam habes.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

De Philautia, ſiue amore ſui, omnis inquietudinis fonte, compeſcendo.

PRinceps omnium cupiditatum Amor eſt, cuius cęteræ, ita nutus obſeruant, atque ingenium induunt, vt commune cupiditatis cognomen, quaſi de parentis nomine, qui & cupido dicitur, traxerint. Quin & apud nonnullos, eo fortè cognomento deceptos, Amoris quoque nomen, & opinionem obtinuere: ſic, vt varia cupiditatum nomina Amor idem, prout alia, atque alia munera exerceat, induat: atque adeo ira ipſa, quâ nihil amori diſſimiliùs, nihil aliud ſit, niſi Amor in ſuos hoſtes, quaſi Cupido pharetratus, inſurgens. Hæc exigui momenti controuerſia eſt, & ex illis, quas vtiliùs negligas, ne tempus vtilioribus auferant, quàm definias. Illud ad rem maximè pertinet; reliquis affectibus in amore medicinam fieri: hoc perſanato, reliquos conualeſcere: vel id inde ſit quòd amor cæterarum munera cupiditatum varia exerceat; vel

Amor omnium cupiditatũ princeps.

In eo, unâ quâ, in capite, remedium ceteris adhibetur.

quòd

quòd cordis inſtar, vbi ſedem obtinet, cęteris tanquam membris vitam, & calorem impertiat. Itaque cohibendo, cogendoque intra ſuos fines amori danda opera eſt ad beatam vitam nitentibus, ne ſuo pondere aliò diuertat, aut remoretur.

φιλαυτία amor ſui.

Præcipuum amoris vitium Philautiam Græci dixere, nempe amorem illum, quo ſe quiſque complectitur, ac fouet: qui quidem innoxius eſt, quandiu munus ſibi a Naturâ commiſſum obit, nimirum noſtri tutelam: noxius verò vbi enormiter de noſtro creuit, & ex tutore, vt ſæpè fit, in dominum tranſijt. Eò enim aliquando procedit, vt ſint, qui nihil præter ſe, niſi propter ſe, ament, ſeque vnos in rebus cęteris ſpectent: haud abſimiles Antipheronti illi Oretano, quem narrat in problematis Ariſtoteles eo morbo laboraſſe, vt ſe extra ſe perpetuò cerneret: fortè relabente in oculos ob memoriæ infirmitatem, & incontinentiam hâc vnâ ſui imagine, quam vehemens philautia ſemper in mente excitatam geſſit. Huiuſmodi ſunt omnes ſui amatores: ſe ſemper in oculis ferunt, ſe in omnibus ſpectant, nihil cogitare, quod ad ſe non referant, poſſunt. Id autem quid aliud eſſe putem, niſi peſſimæ valetudinis argumentum, cunctorumque animi morborum ſignum prænuncium. Siquidem ex hoc Philautiæ morbo, tanquam e caudice cuncta noſtri animi vitia, ac languores erumpunt: inde infinita gloriæ cupiditas, immen-

Amor ſui bonus, ſi tutor; malus ſi dominus.

Quæ cauſa ſui extra ſe perpetuò cernendi.

E Philautia omnes animi morbi.

immenſum cogendi auri ſtudium, inſatiabilis voluptatis fames. Inde ira, iurgia, contentiones, ſacrilegia, ſortilegia, cædes, vltima denique malorum, peſſimaque, quæ amantis, & complectentis in ſpeciem opprimunt, ſuffocantque; præcipuè tamen metus, ac triſtitia vitæ beatæ peſtes, ex eo morbo manant. Qui enim ſeſe diligit, alia innumera ſibi diligere cogitur, ſine quibus eſſe non poteſt, niſi miſer. Deum duntaxat cœcus ac demens ille non diligit, imò hoſtem habet, in cuius poteſtate ſunt, quæcunque vitam ſuſtentant: quare cum ea infinitis propemodum adminiculis incumbat; hæc autem omnia præpotentis hoſtis in manu ſint, atque etiam ſpontè ſuâſubinde labantur; de quolibet cadente mœror animum ſubeat, neceſſe eſt, de cunctis malè ſtantibus timor. *Amor ſui cuncta diligit præter Deũ a quo vno cuncta pendent.*

Fuit patrum noſtrorum memoriâ inſanus quidam, quem vel timor vſque adeo a mente depulerat, vel amentia timore compleuerat, vt ſe e vitro pertenui inſtar ampullæ conflatum crederet: quamobrem nunquam publico ſeſe credere auſus, ne in quæ frangeretur, incurreret, ab omni ſe mortalium commercio ſecreuerat: quia ſemper occluſas feneſtras, foreſque malebat, ne quo auræ vel tenui deijceretur afflatu. Si quando moueri, ac ſuos intra parietes ingredi cogeretur; tam attentè, leniterque pedes humi ponebat, quàm qui vitrei calicis pedem in ſolo deponeret. Accedentibus verò, manu ſtatim intentâ, vti procul *Exemplum inſani ſe vitreũ exiſtimantis.*

eſſent,

eſſent, denunciabat. Similiter & nimis altè loquentes tam ſollicitè, enixèque vocem vti demitterent, rogabat, quàm ſi vltimum exitium deprecaretur: quippe inaudierat, vitrum etiam voce nimium ſublatâ aliquando diſſiluiſſe. Denique corpori ſuo ſparteum amictum, quò minùs periculoſè tractaretur, inſtar œnophori, obtexuerat: Itaque ſtramento ſub illo conditus, atque obuolutus domi perpetuò ſedebat, ſibi, ſuæque pigritiæ incubans, mortuus propemodum ne moreretur. Rides video, hominis inſaniam, & iure quidem, meritòque, at riſiſti imprudens te ipſe, quicunque tuum e carne corpuſculum plus nimio diligis: plura tibi timenda occurrent, quàm ſi e tenuiſſimo vitro conſtares: tunc enim a ſolâ vi extrinſecùs ingruente, non verò a temporis edacitate cauendum foret. At hæc noſtri corporis caro temporis dentes, quos vitrum obtundit, auertitque, ita proritat, vt ab ijs diù ſeruari minimè poſſit, quocunque protexeris munimento: nullâ vi extrinſecùs corrumpente, ſuo putreſcit ingenio, mortemque tam vitare nequit, quàm ſuæ compagem mortalitatis. Quò igitur tanti timoris, ac ſollicitudinis cauſa tollatur, Amor ſummouendus eſt, qui aſſiduè nobis noſtram ingerit fragilitatem, noſque ſollicitos facit plus quàm vitrei vaſis cuſtodes.

Ridendus, ſeu miſerãdus magis, qui ſe amat plus æquo.

Vt autem id facilè præſtes, perpende, quàm multa te animã tui corporis amore diuellant. Primùm nihil eo ignobilius, quod terræ filium veriſſimè

Quæ nos a noſtri corporis amore abducãt.

ſimè dixeris, vnde tibi pudenda cum belluis cognatio, & conſaguinitas exiſtit. Vas præterea, ſi intus inſpexeris, ſtercoris plenum, atque vndique, ni bene occluſeris, fœtorem exhalans, inuenies. Denique vbi animus illud deſtituat, tantà ſcatet putredine, ac peſtilentiâ, vt niſi humo ſollicitè mandaretur, eius breui in totam viciniam contagio manaret. Reuiſe illud poſt biduum, triduumue, quàm terræ commiſeris, ſi iuſtam eius æſtimationem habere deſideras. Finge, animum tuum defuncti, ac iam defluentis cadaueris ſui tumulũ reſerare, idque velamentis nudatum in apertum proferre, atque vndique diligenter inſpicere; Quid putas dicturum, vbi vermibus ex omni parte coopertum, ac circumueſtitum, vbi oculis effoſſis, ſemesâ facie, nudatis, ac ringentibus malis, cunctis denique artubus ſanie, taboque fluentibus mirabundus inſpexerit? Hæccine, inquiet, caro illa eſt, cui conficiendæ tantum in omni vitâ laborum exhauſimus? cuius oblectamentis, & præſentis æui fortunas, & futuri felicitatem inſumpſimus? cui demerendæ diuina nobis amicitia poſthabita, æternumque cum Deo regni conſortium reiectũ? Hanc ego labem gemmis, & purpurâ excepi? in thronos euexi? cunctis ſpectandam, adorandamque circumtuli? Et fieri potuit, vt de hâc ego belluâ, nec famulante, ſed dominante ſuperbirem, & gratulationes exciperem, libenſque mihi ipſi gratularer, quod ei curandæ, paſcendæ,

perfricandæ, oblectandæ, eius denique ſtercori e ſumptuoſis, & peregrinis cibis elaborando curas omnes, & cogitationes impenderim? Ego, ego nempe, cui cœleſtis origo naturæ vniuerſæ imperium donat, cui media inter ſuperos auro ſtat ſedes, ac ſempiternum regnum paratur? O me ſtultiſſimum pariter, atque infeliciſſimum, qui meos omnes amores in hanc cloacam demerſi, ac tam turpiter fœdaui, quos in ſempiternæ vitæ pretium poſcenti, atque adeò flagitanti Deo dare potueram!

Quę nos ad noſtri corporis odiũ incitant.

Hâc reuelati tui corporis contemplatione admonitus non modò perditum in eam peſtem amorem corripies, ac reuocabis; verùm & odium immittes, nuſquam æquiùs, nuſquam vtiliùs collocandum. Et quidem vt huius odij æquitatem agnoſcas, tale reputa corpus tuum, qualis ſi tibi ſeruus aliquis domeſticus ſit, qui te tam pertinacibus odijs perſequatur, vt manus tibi afferre decreuerit, tametſi certiſſimè norit, ſe crudeliſſimam mortem, te ſublato, non euaſurum: Obuio pectore, lętiſque pręcordijs ferrum excipere, haud renuat, ſimul tuo ſanguine imbutum, fumanſque conſpexerit. Id ipſum corpus tibi tuum molitur, hoc nomine tibi maximè infenſum, quòd vni ſibi maximè amicum: non poteſt auerſam abs te non gerere voluntatem, quàm ad ſe perpetuò conuerſam gerit. Benè tuus hic verna, te ſuggerente nouit, mortem ſibi imminere ſempiternam, ſi tibi

Eius odij æquitas.

bi illam intulerit: libens tamen, volenſque in commune feretur exitium, modò ſuæ alicui effrenatæ libidini ſatisfecerit. Quid hâc ſtolidâ barbarie truculentius, quid tetrius, quid odio, eoque ſummo, dignius? Vt autem etiam odij eiuſdem vtilitatem intelligas, cogita, pleraſque tui animi offenſiones, quibus diu, noctuque conficeris, e tui corporis beneuolentiâ proficiſci. Quidquid caro doleat, indulgens, atque vxorius animus condoleſcit: quando autem carni dolere aliquid non contingat, cum vndique offenſionibus pateat inermis, vndique offenſiones intentantia circumſtent? Aut æſtuet corpus, aut algeat, aut eſuriat, aut ſitiat, aut laboret, aut in durius aliquid, ac moleſtius incurrat; illico animus eius vicem veluti ſuam conqueritur, atque ad iniuriam propulſandam, vel vlciſcendam ſollicitus exurgit. At verò ſi corpori tuo odium indixeris; continuò maximam ærumnarum partem ex animo ſuſtuliſti: quin & mœroris locum gaudium occupabit, vbi, cui inimicitias denunciaſti, malè omnia cedere conſpexeris.

Eiuſdē vtilitas.

Eiuſdē iucunditas.

Caſtigato corporis amore, cohibenda eſt etiā nimia animi in partem ſui inferiorem, & cupiditatum familiam indulgentia. Partem animi inferiorem voco animum ipſum, prout corpori vacat, & inferiora hæc bona ſenſu duce perſequitur. Amor qui in hanc partem demittitur, fręno maximè indiget; vt qui rebellantium plebeculæ cu

Cohibēdus prætereà nimius animi in ſe ipſū amor.

piditatum inquietum caput eſt, ac mentis tranquillitati ſummoperè infeſtum. Dum enim vniuerſis illis gratificari ſtudet, atque omnes explere, deſideria multiplicat, & paupertatem, vnde torqueatur, adauget. Contra verò diues eſt, vbi helluonum gregi nutriendo temperauit. Paucis enim contenta paruo dimittitur temperantia: at intemperantia, vas pertuſum, nullà affuſione completur. Frenum igitur huic indomitæ cupiditati, inijciendum eſt: vt in eà tanquam in capite, ceteris cupiditatibus inijciatur: tametſi nec ibi reſiſtendum; ſed cauendum præterea, ne à corpore, atque humilibus voluptatibus abſtractum amorem, totum ad ſe tanquam de victorià gratulatũ animus accerſat. Sunt ſcilicet, quos contemptus ſui ad ſui admirationem attollit: & quaſi multùm præſtiterint; quod ſe deſpexerint, tantundem ſeſe efferunt, reſultantque, quantum demiſere, æquè
Amor ſui ex virtute periculoſior. ſui æſtimatores, & contemptores. Hi periculoſiùs præ cæteris laborant, vt quibus ſuperbia e virtute conflata, firmiùs, quaſi meliùs materiata, cohæreat, & proinde fortius, ac diutiùs animum torqueat. Itaque maiore cum diligentià querenda medicina eſt. Adhibe, quam Lucas medicus
Luc. 9. 23. de Chriſti ſententià profert; *Si quis vult poſt me venire, abneget ſe met ipſum &c.* Quid eſt, inquies, *Abneget ſe met ipſum?* Dic, te non eſſe; & ſic abnegaſti te ipſum: oculos verò refragantes ne au-
Mat. 15. 14. dias: *ſine illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Centies

ties in ſingulos dies offendes, ſi illos audieris, teque illis, tanquam catulo cæcum, ducendum commiſeris. Quid potius de te aures Diuinis ſermonibus eruditæ ſentiant, attende: *Si quis exiſtimat*, ad Gal. 6. 3.
inquit Paulus, *ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*. Ne te abs te ſeducas, ſi te noſſe velis: eſto tecum, teque penitùs inſpice: nihil in te bonum comperies, quod tuum ſit, nihil tuum quod bonum. *Quid enim habes*, clamat qui iure 1 ad Cor. 4. 7.
depoſiti tibi cuncta commiſit, *quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Redde cuſtos, quod tuum non eſt, & cuſtodem ipſum, ne dum cuſtodita, reſtitues. Tute ipſe tuus non es: nihil de tuo habes, nihil de tuo es, niſi fur, ſiquid de tuo, te habere, vel eſſe dixeris. Hoc peracto, admittas licet amorem tui in te iam vacuum, & cum nihil iſtic gerendum amor inueniat, ſponte ſuâ, nullo pellente, recedet: nempe nequaquam te amabis, ſi nihil te eſſe duxeris. Vbi verò tui amor abs te receſſerit, vbi eo recedente detumueris, atque in arctum, immò nihilum coactus te quærenti inuidiæ abnegaueris, cunctas illico temporum iniurias eluſiſti, cunctiſque perfunctus periculis, ac timoribus ad ſummam animi tranquillitatem, veluti e malorum conſpirantium turbâ dilapſus, euaſiſti.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De impuro aduerſus alios amore coercendo.

PVlſus e noſtro pectore noſtri amor ſedulò comitandus eſt, nec vnquam a latere diſcedendum, quouſque recto ſe tramite in Deum recipiat, vbi in infiniti boni caritatem, ac de eius contactu, & comprehenſione gaudium vertatur. Haud enim exigua illum in itinere manent pericula: quotquot per viam e venuſtiorum numero occurrunt, quibus occulta Diuinitatis imago nitido e vultu quaſi pellucet, totidem ſibi detinendo inſidias locatas habet: ſtatim ſe abripi ſentiet, atque ad Diuinos Dei ſimulacro honores habendos inuitari. Quod ſi faciat, ratus, iam ſe felicitate vnà cum Diuinitate potitum; breui ſe deluſum, item plures quàm antea in ærumnas indutum agnoſcet. Qui enim ſe ipſe amat, vt mala complura, commoda tamen nonnulla, ac ſolatia quærit: at qui ſe in alienum amorem totus effudit, tormentum parauit; nullo niſi inſaniæ ſolatio relaxandum. Amantis animum in alie-

Digitized by Google

alieno corpore viuere magni Catonis, ſententia fuit, facta iam vſurpatione communis. Quid eſt autem in alieno corpore viuere, niſi e ſuo diſceſſiſſe, ac viuere deſijſſe? Simile quid Ariſtoteli placuit, qui magis, vbi amat animum habitare ſenſit, quàm vbi animat: idque eo ductus credo, argumento, quod is, qui amat, perpetuò in dilecti corporis contemplatione, ac deſiderio verſetur: quidquid molitur, loquitur, agitat, eò refert, ſic planè, vt ſui, ac cæterarum rerum cogitatione dimiſſâ, vnus menti obuerſetur amicus, vnus feratur in oculis, nihil vt prouideri poſſit præterea.

Hinc diſcas licet, quàm grauis, & moleſtus ſit is, qui ad externa amor egreditur. Conſtat enim geminam apud Philoſophos amori formam attribui; alteram, quæ bono præſenti, & poſſeſſo incubat; alteram quæ abſenti, atque alieno imminet: gaudio illi, huic deſiderio nomen fecere: cùm igitur rerum externarum amor in bonum abſens porrigatur, in deſiderio, non in gaudio connumerandus eſt: patet autem, nos tandiu torqueri, quandiu abſentium deſiderio, conuellimur, idque adeo perſpicuè, vt apud Latinos idem ſit, *aliquem deſiderare, ac de eius abſentiâ mœrere*. Quare alienæ pulcritudinis amor non tam benè cum mœrore coniunctus dicitur, quàm mœror, ſiue, quòd eòdem recidit, deſiderium: proinde æquè ſtultè quis dixerit, eum gaudere, qui deſideret, Imputi amoris moleſtia, atque angor.

ac-

atque eum, qui mœreat. Quantæ autem dementiæ ſit, etiam beatum illum putare, cuius cor his deſideriorum conuulſionibus (quas ſpaſmos Itali cum Græcis dicimus) trahitur, vulgo notiſſimum eſt, cui deperire dicuntur, quicunque nimis cupidè amant. Nec vocem illam ab ignorantiâ vulgi, verum a rei perſpicuitate inditam eſſe, oſtendit ea, quam cernimus in amantibus a reliquis rebus euocatio, tantaque ſui corporis incuria, ac negligentia, vt illud ferro aperire, in prçceps, in rogum dare, perinde vt vacuum cadauer ad amicæ nutum paratiſſimi ſint.

Σπασμὸς conuulſio, ſeu contractio neruorum.

Vixit ſuperiore Patrum ætate Galeatius quidã patriâ Mantuanus, qui cum in vrbe Ticinenſi, mulierculam neſcio quam diu deperiſſet, eſſetque ſollicitus, num ſuum illi amorem ſatis probaſſet; eâ petente, vt in amoris argumentum ita, vt Equo inſidebat, ſeſe in Ticinum e ponte daret; nullâ morâ ſubditis equo calcaribus ſeſe in profluentem egit, lætus, quòd tam illuſtre ſui amoris illi documentum præberet, oblitus tamen, quòd & furoris, qui mutuę beneuolentiæ vices tam ſtolidè quæreret, vt quærendo perditum iret. Memini prçterea ipſe, cum ante aliquot annos eſſem Neapoli a pluribus, vt rem totâ eâ Vrbe teſtatiſſimam, itemque recentem audire, Virum equeſtris ordinis ob prçreptam ſibi, quam perditè amabat, puellam mœrore, ac deſperatione eò adactum, vt laqueo de ſuo conclaui pependerit, tametſi morte

Eiuſdē dementia, ac furor.

te ab accurrentibus ſamulis exemptus vitam reliquam perpetuò profugus, ac ſolitarius miſerè duxerit: quippe publicam lucem reformidabat, veluti duplex ſibi dedecus acti, agentiſque in ſuſpendium exprôbraturam. Vides hìc, incaute Adoleſcens, laqueos amoris ſuâ prędâ retectos, quos nimirum inſidioſi tibi Poetarum flores bellè occuluerant. Facilis ingenij notam, ac vitæ ſocialis nexus, Fortunæ blandientis monilia, Iuuenilis ætatis ornamenta, canebant illi, & fabulabantur; quæ tamen vſus declarat, in quid tibi quoque parentur, niſi procul abſis, aut ſi deceptus, captuſue ſis, omni conatu eos abrumpere, atque euaſiſſe feſtines.

Flores poetarum mortiferos laqueos coelant.

Paucis, inquies, res iſta tam malè ceſſit. Crede mihi, nulli non deteriùs, ſi rem benè penitus, nec in ſolâ fronte, perſpexeris. Ex vno ſpecimen accipe, vt æquam de cæteris ſententiam feras. Fuiſſe Baſilij Magnī temporibus, ſcriptum in eius vitâ legimus, ſeruum quendam prænobilis viri, qui captus amore herilis filiæ incredibili ardore eius nuptias appetebat: nec conditionis imparilitas illius obtinendæ ſpem ademerat: nam quem aditum fortuna præcluſerat, ſcelere aperiri poſſe non deſperabat: Itaque ſecum ſtatuit, magum conſulere, eoque internuncio mali ſibi Dæmonis artes, ac præſidia comparare. Accerſitus magus dæmonem adeſſe iubet, qui ſponſam eâ demum lege ſeruulo ſe daturum paciſcitur: vt

Vide Sur. in Vita Baſilij

Horrendū nefas impuri amoris inſtinctu.

is ſui arbitrij, ac poteſtatis in perpetuum fiat. Miſer ille cupiditate obcæcatus diram, horrendamque conditionem, etiam libens, admiſit: atque vt ſe ad eam præſtandam paratum oſtenderet; protinus Chriſto, ac ſanctiſſimæ Triadi conceptis verbis, præeunte Diabolo, maledixit: tum fidem ſuam, vt ratam faceret præſectâ venâ ſanguinem miſit, eoque Syngrapham fidei pignus conſcripſit, ac malo Dæmoni tradidit, quoquo tempore ad eius arbitrium repræſentandam. Eâ Diabolus acceptâ poculum amatorium, quod fœminæ propinaret, famulo præbuit: quo illa, doli inſcia, ſimpliciter hauſto, in tantam impuri amoris rabiem exarſit, vt Parentis genibus aduoluta, obſtinatiſſimis precibus, lachrymis, ac ſuſpirijs illum ſibi in matrimonium dari poſtulauerit. Miratus parens ingemuit primò ad amorem in ſuâ ſobole tam degenerem: deinde videns, negare ſe non poſſe puellæ, quòd tam cupidè flagitaret, niſi ſuas ſibi delicias, eam abalienando, negaret; eius infirmitati pariter ac ſuæ indulſit, quod petebatur: habuitque ſeruus iniqui facinoris pretium ſui corporis cum fœminâ, animæ cum Diabolo coniugium. En quo tandem perducunt, quos per viam non præfocarunt, vincula amoris; quid autem excogitari atrocius, quid execrabilius, poſſit? Prępotentem rerum Dominum contumelijs, ac maledictis inceſſere, hoſtis tartarei ſe in fidem, & clientelam conferre, cœleſtis regni iura ab-

dica-

dicare, ſempiterni ſupplicij conditionem volenti animo accipere, vt lutei tandem figmenti paucis, ijſque etiam incertis, diebus, non ius, aut poteſtas, ſed ſimplex vſus, ad arbitrium Domini dimittendus, obtineatur. Quis tantum dementiæ, ac furoris verbis, aut cogitatione conſequi valeat?

At hic iterum clamas, rarò ea exempla contigere, atque vt proferantur, nonniſi e repoſitâ vetuſtate reuocanda; Primùm paſſim apud omnis ætatis Scriptores ſimilia occurrunt: ſed ſeligenda fuerant, quæ vetuſtate, & maiorũ fide conualuere. Deinde nihil crebrius audire eſt, quàm propinata ſuggerente Diabolo, vel quopiam eius interprete, amatoria. Hæc autem nonniſi vel apertâ, vel tacitâ ſempiternę penę conuentione nemo a beſtiâ illâ efferatâ coemit. Poſtremò quiſquis eò cęcę cupiditatis inſtinctu perductus eſt, vt mulierculę ſine cerebro caput Diuini Numinis beneuolentię pręoptet (quo nihil inter mortales frequentius) iam cœlo repudiato, hoſti tartareo manus dedit ac ſempiternis ſeſe ſine ſingraphâ pęnis obſtrinxit. Interim autem quę illi voluptas obuenire poteſt, niſi fortè, quę inter manus carnificis ad ſupplicium eunti, inſcio quâ horâ, quo loco perficiendum. Huiuſmodi ſunt impuri amatores: tantum viæ ad ſupplicium, quantum vitę decurrunt: nec Rei Syngraphâ opus habent Lictores ad eum ducendum, quando ſupremi Iudicis

Impuri amatores cunct Diabolo addicti.

ſcripta ſententia extat. Vt igitur tartareum hunc flagitioſę libidinis ardorem, quo animus infernis ignibus paratur, maturè extinguas, hęc tibi maximè obſeruanda propone.

Impurus amor otioſorũ negotium. Ex Laert. in Vita Diog. l. 6.

Primùm omnium, quia amor otioſorum negotium eſt, vt bene olim Dyogenes ait, otium tibi vitandum puta: quæ enim mens otio, ac deſidiâ marcet, in impuri amoris libidinem facilè ſuppurat. Quieſcentem a vomere humum, nec creandis frugibus occupatam, rubi, vrticæ, ac ſentes ferarum cubilia, occupant. Impuri Dęmonis cubile deſidioſa mens eſt prauos in frutices malè luxurians: ſimul huic falcem admoueris, atque otioſa deliramẽta ſuſtuleris, feram illam fugaſti: quippe cui nunquam vacat, ei vtique laſciuire non vacat.

Primũ impuri amoris remedium labor aſſiduus.

Fac tamen, vt occupatio te vniuerſum obtineat, ne vitio locus vel minimus relinquatur: exigua ſemina exiguum locum deſiderant, parem incremento factura. Frangatur proinde corpus, ſiue ſuo, ſiue mentis, quæ eius ſibi vires inſumat, labore. Laboranti enim corpori, lapſantique animus aliò dimiſſus accurret, ne domus incuſtodita procumbat, ac Dominus ſine tecto migrare cogatur.

Alterũ fuga pericul.

Fuge deinde pericula: nec modò illa, quæ in præcipiti ſunt, & caſui proxima: hæc enim aptiùs, quàm pericula, caſus dixeris inchoatos: Labi nimirum iam cœpit, qui in decliuem, & lubricum locum ſeſe immiſit: Verùm & quæ remota dicuntur

tur

tur, nec perniciem quidem inferunt, ſed moliuntur. Hæc pariter, vt illa, eodemque, & fortè maiori ſtudio cauenda ſunt: quippe ad exitium ducunt, quod non vt illa, commonſtrant, niſi fortè vbi impetus captus ſuſtineri non poteſt, ſed inchoatum per plana curſum continuari cogit in præceps: ductam nempe per parua delicta vitam in magna deuoluit. Agant oculi mentis excubias: nihil admittant, nec propiùs accedere patiantur, quod amorem, per ſe ſatis leuem, ad rebellandum ſollicitet. Fęminarum, & puerorum aſpectus non ſecus, atque hoſtis tartarei, eorum ſub perſonâ ad inſidias latentis, te in metum, & fugam vertant. Sic enim habeto; in hoc cum libidine certamine non congreſſu, ſed fugâ, & curſu rem peragi, ac victoriam reportari. Hinc familiaria cum illis colloquia, ſolis præſertim in locis, tam procul habe, quàm de tui deditione ſermones: eam ſcilicet ſpectat, qui ſe ab hoſte ad ſecreta huiuſmodi colloquia elici patitur. Nec de tuę conſtantiæ vſu, atque experimento animum capias: etenim quicunque cecidit primò, antea ceciderat nunquam; ſemel inchoandũ eſt, nec niſi poſt multos primæuę integritatis annos, ac diuturnum caſtitatis experimentum. Ætas omnis in hæc vitia impellitur, at fortiſſimè omnium adoleſcentia, quæ vltra communem voluptatis libidinem, tunc maximè æſtuantem, habet præterea, vt Auguſtinus loquitur, *libidinem curioſitatis,* cuius

Fiducia ſui potiſſimùm vitanda.

lib. 6. cõf. c. 12.

cuius impulſu amicum Alipium in primo ætatis feruore miſerè cecidiſſe deplorat. Audi peritiſſimum ſenem Hieronimum Nepotiano iuniori pręcepta dantē; *Ne ſub eodem*, inquit, *tecto* (cum puellis, tametſi Chriſto dicatis) *manſites: nec in pręteritâ caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauid, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quòd Paradiſi Colonum de poſſeſſione ſuâ mulier eiecerit*. Idem aliquando Ruſticum monuit, vt cautè, vel cum Matre ipsâ verſaretur, ob ancillas ſaltem, quæ in illius obſequio eſſent, *quarū*, inquit, *quantò vilior conditio, tantò ruina facilior*. Sæpè nempe plùs militem ad vrbis expugnationem inuitat, arcis infirmitas, quàm nobilitas, ac pulcritudo, quæ plerumque præſidijs abundat. Nec putes tibi non obuenturum, quod Salomoni accidit, aut Samſoni, aut Dauidi: hæc enim fiducia de intollerabili arrogantiâ eſt, quę nunc te ſupra culmina humani generis effert, mox in tantam altitudinem deijciet, in quantam extulit. Crebriùs enim, ac faciliùs cecidere, qui ſuis viribus prędidentes cliuorum ſupercilia deambulauere ſecuri: iuſto ſcilicet Prouidentiæ conſilio, vt e lapſu ſuam pariter, & ſuperbiam, & infirmitatem metirentur, atque hanc illi parem, vt morbo ſolet eſſe imbecillitas, agnoſcerent. Contra, nihil eſt, quod ęquè a caſu prohibeat, quàm cadendi metus: is enim & vitat diſcrimina, & quæ vitare non poteſt, nonniſi euocatis auxilio Superis ingreditur. Nec

Ep. 2. ad Nep.

Ep. 5. ad Ruſt.

Nihil a caſu rēmotius quā cadēdi metus.

Nec præterea te ludi patiaris rectæ voluntatis conſcientiâ. Noui, inquis, quæ mihi mens ſit in hâc probatiſſimę fæminæ beneuolentiâ: nihil in eâ, niſi probitas, prudentia, verecundia, comitas, ipſe denique pudor, ac pudicitia præ ceteris arridet: quæ certè duo poſtrema minimè omnium probarentur, ſi mihi pudicus amor non eſſet. At, amabo te, quare hęc in vetulis longè ſanctioribus, prudentioribus, maiore etiam verecundiâ, magiſque probatâ pudicitiâ minime arrident? Mihi crede; placent tibi puellaris animi dotes, quatenus eius formæ cohoneſtandę, & quaſi ancillulæ concinnando capiti famulantur. Explicat enim probitas frontem, & malę conſcientię rugas explanat; genas tingit verecundia purpuriſſo: palpebras pudicitia componit; indecoros tollit prudentia motus; aperit comitas modico riſu venuſtatis florem. Virtus denique omnis ſuum bonæ menti vultum reſtituit. Fac virtutes ad anilem, quoque duratum vultum ampliùs non accurrere; illę tibi ex animo protinus excidere. Igitur non virtus placuit, que nunc cum maximè matura eſt, ſed vultus virtutis operâ cōmendatus. Caſtus, inquis, ac pudicus mihi amor eſt, nihilque illi obuerſatur impurum. Credo equidem, ſed caue, ne creſcat; recens enim natus nondum vitium perdidicit, tenerum elide, vt ne adultum experiare procacem. Do tibi, cum nihil turpe hactenus ſpectaſſe; vereor tamen, ne

Impuri amoris velamen amouetur.

iam

iam ſpectare incipiat, ſuoque etiam lapſu verum demonſtret Ariſtotelis Cyrenaici reſponſum, qui ab amico rogatus, num amor fœdæ voluptatis gratiâ eſſet: *Neque eius gratiâ*, inquit, *nec ſine eâ*. Non dubito, quin tuus iſte amor purus in lutum defluxerit, minùs tamen dubito, quin lutulentus ſit emerſurus. Iactas, illum tibi e Platonicâ ſcholâ benè moratum prodijſſe, doctumque intacto amici corpore in eius animum penetrare: At Platonicus Auguſtinus ſuæ doctrinæ vanitatem expertus, limoſum eſſe confeſſus eſt limitem amicitiæ, non ita purum, vt a Magiſtro didicerat: verendum proinde caſto licèt amori, ne dum in animum tranſit, hæreat, vt incautis pleriſque contingit, viſcatus in corpore.

Stob. ſerm. 61.

Lib. 2. cōf. c. 2.

Tertiũ cōtra impurũ amorẽ remediũ fuſę ad Superos preces.

Tertiam tibi remedij loco adhibendam ſtatue precationem, præſertim, vbi impura cupiditas altas in pectore egit radices. Nullus corporis affectus æquè contumax aduerſùs medicamenta fuit, atque hæc animi peſtis: nullis planè cedit remedijs, niſi fortè diuinitus allatis: atque his etiam, quàm poteſt, contumaciſſimè reſiſtit, & ne tandem cedere compellatur, properè amouere curat: nam non modò preces pro ſe ipſi non fundunt, qui nimis cupidè amant, verùm ab alijs fuſas non ſecus oderunt, atque eos, a quibus excitantur, qui læta ſomnia vident. Eſt, qui putet, in amore maleficium aliquod interuenire; nec niſi mali Dæmonis arte poſſe tam obſtinatè eam in animo

per-

perniciem coaleſcere. Verum id ſit, an ſecus, minimè moror: certum duntaxat mihi eſt, ſi maleficium interueniret, nec niſi incantato carmine ſuis amantes obſtringerentur amaſijs, pertinaciùs, quam adhæreant, non adhæſuros. Diuinitus igitur accerſenda remedia ſunt, quando alia nulla proceſſiſſe conſpicimus. Orandum ſedulò, eoque impéſiùs, quo magis impuri amoris, ſibi timentis, ſuaſu, mentem ſeduci ab orando intelligimus: tandiu etiam precibus immorandum, tandiu pulſandum, ac fatigandum ſupplicijs, votiſque Numen, quouſque languor abſcedat. Iungantur, ſi res exigat noctibus ad precandum dies, vt ſe iunxiſſe aliquando, nec ſine ſucceſſu, teſtatur Hieronymus ſimili morbo tentatus. Tui pretium ab hoſte diſce, qui te diu, noctuque plures iam fortè annos, vt in poteſtatem redigat, circumſidet, pudeatque firmius illi in te perdendo, quàm tibi in aſſerendo, adeſſe propoſitum. Nec recedendũ a Deo exiſtimes, ſi ſtatim tibi non videaris exauditus: differt enim vt te apud ſe diutiùs habeat, multumque confert de eo, quod differt: nunquã certè victus es, quandiu cum ipſo ſupplex fuiſti: quare tuarum cardinem precum vtique exaudiuit, qui, ne ab ipſo offenſione aliquâ recederes, potiſſimùm poſtulabas. Illud tamen, ſi quando durum inuenias, cogita, an tu durior cum ipſo ſis, qui toties ab eo aliquid rogatus, nunquam dediſti. Facilem nanque illum habebis, ſi te facilem illi Ep. 22. ad Euſtoch.

præbueris : e contrario difficilem, ſi te difficilem, vt ipſemet inter prouerbia Salomonis teſtatur: *Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*. Aduoca Virginum Parentem, quæ virginitati periclitanti, tanquam liliјs ſuâ manu conſitis, præſto erit. Illi tuum dono offer amorem, ſi e cœno, vbi iacet, porrectâ eum dexterâ erexerit. Sequere Bernardini Sanctiſſimi adoleſcentis documenta, quę adhuc retinet, redditque poſteris marmor apud Senenſes ſub Imagine Virginis in hęc verba exaratum. *Hanc mihi exquiſiui amicam ab adoleſcentiâ meâ*. Sita eſt autem ea imago, atque inſcriptio eo loco, quò olim Bernardinus ad Virginem ſalutandam, nunc verò nonnulli eius ciues ad reliquas fęminas officioſis ſalutationibus demerendas conueniunt. Quare quoties illàc tranſibam, videbar mihi parietes ipſos ita contra illos clamantes audire : O viles animæ, atque a maioribus veſtris degeneres, quibus cum liceat, Cœli, terrarumque Reginæ vobis amicitiam,& ad amicitiæ leges regni conſortium parare; de ſordidæ mulierculæ gratiâ nihil profuturâ, plurimùm nociturâ, regni ipſius cœleſtis impendio comparandâ, cura vnica, & ſollicitudo eſt. Quid has voces exprobraturo marmori vel inaraſtis, vel inarata hactenus tolleraſtis? aut eas tollite veſtræ dementiæ teſtes, aut earum admonitu reſipiſcite. Cape tu quoque, mi Adoleſcens, ex hâc reprehenſione quidquid in

Prou. 29. 9.

Pręcipuè ad Virginis patrocinium confugiendum.

Camuliam portā nunc vocant.

in te cadere putas, & libens velli te ſinas, vt excíteris, abiectiſque cęci amoris inſomnijs, vigil, atque oculatus in poſterum ama.

Quartũ remediũ corporis afflictationes.

Poſtremò adde precibus e vexato corpore clamores. Iniunge iumento tuo Niniuitarum exemplo cibi abſtinentiam: Indue illud cilicio, flagris contunde, vt quod irritando Numini pars magna fuit, propitiando adlaboret. Vis autem non modica ad curandam amoris impuritatem in extenuando corpore ſita eſt. Nam pręterquam quod audit Deus, veluti noſtra, noſtrorum iumentorum lamenta, vbi illa dolor noſter effecit; ſpontè ſuâ amor impurus e corpore abſcedit, quando illi impuritatis materiam e ſuperuacuo nutrimento congeſtam abſumit inedia.

Denique ſi cuncta hęc morbo tuo adhibueris, facilè conualeſces: fructumque maximum exacti peſſimi hoſtis (qui ſub amoris nomine tibi inſidias molitur) habebis, placidiſſimam animi tranquillitatem, hoc eſt ſedem illam venturo Domino, venturæque cum eo felicitati vacuam, paratamque, de quâ Regius Vates pronunciauit; *Factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion*: Pſ. 75. 3. hoc eſt, in arce illâ fortiſſimâ, quæ nulli, niſi Cœlo apertâ, nullos niſi cœleſtis Amoris ictus, atque ignita iacula admittit.

CAPVT QVARTVM.

De ira temperanda; atque in officium cogenda.

QVod M. Cato opinatus eſt, Iram eſſe breuem inſaniam, non eius tantummodò leui nititur auctoritate: idem enim ſanxerat multò ante Diuino Spiritu afflatus Sapientiſſimus Eccleſiaſtes vbi ait; *Ira in ſinu ſtulti requieſcit*. Nihil huic affectui ad diuturnam inſaniam deeſt, niſi diuturnitatis acceſſio: extende iram, & inſaniæ coæquaſti: niſi fortè hoc inter inſaniam, & iram intereſſe putes, quod inter inſaniam, & furorem: huic enim ira, quam illi propior videtur: & ſi quid a furore diſtat; inde fortaſſe eſt, quòd vltra furioſam amentiam ira tranſilijt. At non æquè iratus, ac furioſus mente deficitur: imò propterea tranſilijt, quia quidquid iratus prę furibundo retinet mentis, ad ictus, & clades certiùs inferendas ſeducit. Quò fit, vt plures exitio datos ab irato vno ſæpè videre contingat, quàm a furioſis quamplurimis: quin ferè nullus à furioſo perijt, niſi qui in eius ferrum ſe imprudens in-

Eccle. 7. 10.

Ira furori, quàm inſaniæ ſimilior.

due-

Digitized by Google

duerit. Eo enim, tanquam ferâ e caueâ, dilapſo, ſtatim vndique accurritur, & conclamatur, terroreque coercitus facili negotio alienæ cedit potentiæ qui ſui potens non erat. At quem irarum furiæ ſollicitant, nulli doli, vis nulla cohibet, quin in obuios quoſque, non homines modò ſingulos, verùm, ſi potentia adſit (quæ victrice ſub iracundiâ impotentia dicitur) etiam in populos deſæuiat. Quoties immanis ira Tyranni cruenta flumina ad mare, nec conſueto alueo, aggeſtu cadauerum auerſa ire coegit? Quoties mare ipſum colore immutato ſanguineum æſtuare compulit, & nouâ horroris acceſſione procellis interritos deterrere? Quid memorem eculeos, & ferreas, aculeiſque rigentes virgas, & cruces, & actos per media corpora palos; & ſepulcra viuentibus defoſſa, & miſeros feris obiectos, & in fruſta conciſos; & cute vniuersâ exutos, eoſdemque ſale, atque aceto perfuſos, ac deinde per teſtarum fragmenta raptatos; & adhuc ſpirantes eliquato plumbo in ſolatium ſitis impletos? Quid viuentium corpora lento igne paulatim aduſta, ſiue ardentibus ex ære tauris incluſa, ſiue galeis, loriciſque, inſuper, & calceis candentibus induta, ſiue ex editis turribus, vel ſupinè cylindro reuincta ex abruptis montibus data, ſiue media inter duos aſſeres diſſecta, aut ſexcentis alijs humanitati pudendis ſupplicijs diſcruciata? Hęc enim leuiſſima ſunt, propterea quod

Potentium ira quàm furioſa.

in ſingulos prodita, præ ijs, quæ latiùs in populos patuere. Sæpè nonniſi ſuccenſis cum incluſâ ciuium multitudine vrbibus, aut vaſtatis longè latèque regionibus, aut deletis populis, inducto inſuper in regias vrbes aratro, vnius ira Potentis placari voluit. Quâ feritate quid magis ſtupidum, attonitumque? quaſi magnificum quid ſit, dignumque Rege ſolatium, peſtilentiæ vim, atque opinionem in vulgus æquaſſe: ſitque grandis potentiæ argumentum res in nihilum, quod a nullâ potentiâ habuerant, reſtituiſſe.

Iræ quàm ſtupida.

Nec minor Priuatorum, quàm Regum, ac Dynaſtarum bilis: ſepè etiam hoc maior, quò egeſta minùs. Principis iram, doloremque, vt quę in quamplurimos exoneratur totidem leuant, quot ferunt, ſentiuntque: at Priuatos æqua rabies, ſed ſolos plerumque corripit, vritque, vt qui eam exhalare, atque in alios effundere non poſſunt. Subijce animo, quencunque irarum furijs aliquando ex toto permiſſum noſti. Eius imaginem diligenter obſerua, teque ita compone, vt nemo, tuos in illa vultus agnoſcat. Vide, vt ad illatum conuicium ſubitò expalluit, ſanguine cordis auxilia euocatum abeunte: Vide, vt inde copijs adiunctis totum ſe cruor in ſummâ facie ad æmuli terrorem explicuit: Eodemque tempore vt flaua oculos bilis fędauit, atra vultus reſiduum: cui etiam rugæ, & venarum tumor vmbras adiunxere ſuas: Vt paulatim aucto calore totus intumuit,

Irati hominis hypotipoſis.

muit, & dum rupto nimbo edere dolorem parat, ſpumam pro verbis, & ſuſpiria, & gemitus, & ſubitos, inconditosque clamores ferarum in morem profert. Dentium attritu, conflictuque Apros de induſtriâ refert, vt plus quàm humanam ſævitiam ſe meditari ſignificet. Iam & veſtes, & crines lacerat, & pectus pulſat, & modò caput allidit, modò membra mordet, dein dentes ad ſuperos vertit, & quos dentibus ſe non poſſe videt, doletque, linguâ proſcindit: quò palàm denunciet, nemini ſperandum a ſuâ rabie tutum fore, a quâ nec propria membra, nec Superos eximat. Denique totius corporis tremor, tumorque, atque infecta nigrore cutis, & angor, & æſtus ſatis oſtendunt, eum compoſita alijs venena præbibiſſe, & quam illis perniciem comminabatur, ſuo vſu probaſſe.

Ex hâc tam dirâ imagine ſatis, ſuperque intelligis, puto, quem tanta rabies exagitet, nullâ eum poſſe beatæ vitæ tranquillitate gaudere. Simul illud liquidò conſtat, haud in tranſactâ tempeſtate, æſtuque compoſito ſpem pacis locari poſſe: quidquid enim ſpatij diſcuſſis nubibus ſuperat, quidquid ſereni micat, vix agnoſcendis complorandiſque editis ſtragibus ſufficit. Dies vnus iræ permiſſus plures in annos materiam lachrymis, ac pænitentiæ ſuggerit. Illico ſubeunt partæ per iracundiam inimicitiæ, reſciſſæ veteres neceſſitudines, violata propinquitatis iura, offenſi grauiter Iracundo nec æſtuanti, nec ſedato pax eſt.

Su-

Superi, quidquid gratiæ, bonęque opinionis in omni ætate collectum, momento temporis diſſipatum. Itaque iracundum, aut ira a beatâ huius temporis vitâ prohibet, aut iræ reliquiæ: quocirca hoc de viâ ſubmouendum impedimentum eſt, vt quò profecti ſumus, expeditè venire poſſimus.

Iræ remedia, quorum primũ diſſimulatio.

Primò igitur ad illatam iniuriam per quam diligenter obſerua, vt vultus, vt manus conſtet, vt lingua loqui pergat, ſi cæpit, ne ſilentio teſtetur doloris vim vocem inhibentis, omneſque ad ſe animi, corporiſque vires euocantis. Nihil in fronte, nihil in oculis, totoque corporis habitu immutatum appareat: etenim difficilè ira reſiſtit, quando iam prodijt, & imminens leuitatis nota eam ad vlteriora obligatam trahit. Sępè ſcilicet pergimus, quia cæpimus, retinetque in malè cæptis pænitentiæ pudor: imò interdum iræ iram adiungimus, ne leui ratione videamur abducti; quaſi maior inſania maioris rationis, ac melioris conſilij argumentum ſit. Interim quò exterior eadẽ perſeueret corporis facies; auoca pro viribus ab iniuriâ mentem, atque in intimos tuæ memoriæ receſſus ſecedens, relege ibi tuæ anteactæ vitæ hiſtoriam: quoties talia peccaſti, vnde ſempiternam ignominiam, & malorum reliqua promeritus es. Haud fieri tibi poſſe iniuriam intelliges, quando iure optimo cuncta tibi mala deberi exiſtimabis. Puta

Secundum ſuæ cõſciẽtiæ, & anteactæ vitæ recognitio.

eum,

tum, quem aduerſarium cenſes, Legatum ad te Diuinitus miſſum, vt tecum tranſigat de magnis nominibus paruo ære diſſoluendis, de ſempiterno ſupplicio exigui patientiâ dedecoris redimendo. Cogita eundem Chriſti verbis ſic tecum agere. En ſyngrapha tua, quæ in fronte abs te Domino tuo decem millia talenta, a tergo tibi a Conſeruo centum denarios deberi teſtatur: vtrumvis elige: aut Syngrapha conijciatur in ignem; aut ſi nomina diſſolui mauis, para te ad ignem loco Syngraphæ ſubeundum. Hæc audiens, ſi ſanus es, gratiam referes, cui referre iniuriam volueras. Quod ſi contingat, vti non raró aſſolet, vt ille de tuâ manſuetudine inſoleſcat; non idcirco iſtam abijcias, quæ te vel nolentem pro merito vindicabit: illatam enim tibi infamabit iniuriam, meritamque apud omnes inuidiam æmulo tuo conflabit. Audi, & ſequere Philippi Macedonum Regis exemplum. Hic cum Legatis Athenienſium pacem rogantibus benignè annuiſſet, quęſiſſetque præterea, quid vltra Athenienſibus facere poſſet, quod illis foret acceptum, hoc a ſuperbo Demochare, ex Legatis vno, reſponſum tulit; *Nihil*, inquit, *ciuibus noſtris acceptius erit, o Rex, quàm ſi te ipſe ſuſpendas*. Quo audito Philippus, non ſe, ſed maiore æquitate iram ſuam, eâ dignam animaduerſione, ſuſpendit, præfocauitque: ac dimiſſo Demochare incolumi, non aliam de illo vindictam ſumendam duxit, niſi quam inultæ poten-

Optimum vindictę genus, indignitatem iniurię modeſtiâ oſtẽdere.

tiæ modeſtia poſſet exigere, æternam ſcilicet ob tantam procacitatem infamiam.

Tertiũ remediũ dilatio.

Sin autem iracundia, antequam ratio illam pręcluderet, mentem occupauit: exactoque conſilio, atque omni ſibi aduersà ratione ſubitam vltionem indixit; promitte illi, te vltorem, ſed ſine tuo periculo futurum. Dic autem tibi periculum maximum imminere, ne ſi iniuſtas ab æmulo repetas pœnas, iuſtas communi Domino daturus ſis longè grauiores: Itaque inſtituendum antea iudicium, audiendum Reum, dandam illi aduocationem eſſe, vt ſi deinde crimen non diluat, digno ſupplicio plectatur. Interea differatur vltio, dum rabioſa cupiditas deſpumet, & mens in ſuam reſtituta ſedem, ac libertatem aduocato iterum conſilio, actionem iniuriarum apud rationem contra æmulum inſtituat, Illa ſedeat pro tribunali, non ira, quà aliquando vt miniſtrà, ac ſatellite, nunquam vt iudice vtendum, imò quandiu iudicium fit, ſummouenda, ne ſuis rumoribus illud perturbet. Nullum autem irę præcipiti remedium pręſentius dilatione eſt, quæ eius fluctus vbi cohibuit, fregit, compoſuitque, durare, ni progrediantur, inualidos. Sæpè etiam ſola ipſa dilatio iniuriam, iræ cauſam, diſiecit: nam ſemotà iracundiâ, quæ offenſam ſuâ criminatione auxerat, palàm fit, nullam nobis iniuriam, ab æmulo, ſed illi potiùs a nobis interpretatione malignà factã. Interdum ambiguè, ſed bonâ mente dicta in de-

terio-

teriorem partem, aut aliò deſtinata ad te traxiſti. Interdum pupugit quidem alius, ſed vt te prouocaret ad ludum: quid iniquius, quàm maleuolentiam interpretari, quod nonniſi cum amiciſſimis fieri ſolet? Etiamſi ſeriò momordiſſet amicus, flectere in luſum, iocumque debueras, & conſequentium interpretationem ex antecedentibus petere: quanto magis ſi iocari voluit, vt conſueuerat. Ariſtotelem ferunt, cum ſe a quodam maledictis laceſſitum audiſſet, facetè dixiſſe; *Abſentem etiam verberet licet, modò pręſenti parcat.* Socratem pariter acceptâ alapâ iocando conqueſtum, in ea ſe tempora veniſſe, vbi ignoraretur, quando cum galeâ eſſet e domo prodeundum: Illud præterea iræ ſignum darè conſueuiſſe, quòd vocem ſummitteret, & parciùs loqueretur; ſignum nempe lenitatis, & manſuetudinis, vt eius admonitu ira erubeſceret, recederetque. Haud arduum puta quod ægri iſti infirmæ, ac debilis naturæ viribus ſuperare potuerunt: ideo nanque eos in exemplum libentiùs propono, qui non inuitent modò, verùm etiam pungant, ſtimulentque non ſequentium ignauiam. Tibi vltra vires naturæ diuina quoque, ni renuas, præſto erunt auxilia. Fortè ſeriò quidem contumeliam aliquis dixerit, ſed iratus, hoc eſt per id tempus inſanus: Nunquid æquum eſt, ab inſano ſupplicium exigere? Tute illum ſtultè locutum dicis, & belluam, & mulæ ſimilem, prætereuntes temerè ferienti, com-

Quartum remedium benigna interpretatio.

Laert. in eius vita.

Irato vt inſano parcendum.

X 2 plu-

Digitized by Google

pluries appellaſti. Dic igitur, quare non, vt ſtulto, non vt belluæ, cui par cum illo vt rationis, itâ culpæ vacuitas eſt, ignoſcendum putas? Excuſatiùs certè vindicares, ſi mente illum ſanâ locutum diceres: nunc verò ſatis tibi non conſtas, qui verbo ſtultum dicis, re, atque vltione prudentem: hæc enim nonniſi ſcienti, prudenterque contumelioſo rependitur. Quòd ſi eum punias, quòd iraſci non debuit, nec in inſaniam spontè proruere; habes tecum, quem vtiliùs ob iracundiam, & cognatam inſaniam punias. Tu enim quoque iraſceris iraſcenti, & quidem minùs iuſtè: ſiquidem ille aduerſùs ſanum iratus eſt, tu aduerſùs inſanum. In te igitur priùs exemplum ſtatue, quid irato debeatur, & quas de te pœnas cæpiſti, exige ab alijs. Sat puto leuibus pænis contentus eris, & fortè iſthæc omnis tempeſtas, quæ fulmina crepitabat, in amicæ reprehenſionis auram detumeſcet.

At mendacium, ſeu facinus tale mihi exprobrauit, vt eam notam haud vnquam niſi exprobrantis ſanguine poſſim eluere. Quid, obſecro, dolet? morbus tuus, an indicium ab alio factum? ſi indicium, per quod tui opinionem apud alios imminutam putas; quare non magis morbus, qui non tuam imaginem, ſed te ipſum rodit? quique ipſum indicium ſuis ſordibus inquinat, ſuumque veluti odorem corrumpit? Si autem morbus; hic non alieno ſanguine, ſed tuo curandus eſt:

mitte

mitte illum flagri adiumento; aut aliâ corporis afflictatione: atque vbi conualueris, grates medico tuo refer, qui morbum tibi tuum aperuit, atque ad remedium incitauit. At contumeliam dixit, non amicè monuit, vt debuit: illa eſt, quæ vrit, non ſimplex, atque vtile indicium. ſi vales; euentui crede, te vrendum fuiſſe, non amicè palpandum, aut molli aliquâ viâ curandum, vt conualeſceres. Nemo te tibi amicior: compluries te peccantem vidiſti, & nunquam non amiciſſimè commonuiſti; nec tamen peccata receſſere: igitur igne, & ferro vlcus reſecandum fuerat, non blandâ manu confouendum, & fomentis, blanditijſque in ſuâ pernicie confirmandum. Negligimus enim vt leuem morbum illum, cui lene cernimus, & blandum adhiberi medicamentum.

Quare differ te, quàm diutiſſimè potes, iratum: conijce furioſam mentem in vincula, donec reſipiſcat, & hæc, quæ diximus, atque horum ſimilia per otium contempletur. Corporis iniurias patiendi conſuetudo debilitat; iniurias animi, etiam conſuetudo meditandi: quę ſcilicet illas animo repręſentans cum eo ſępè committit, efficitque, vt iniuriarum nulla animum quaſi tyronem nouitate deterreat, deijciatque. Magni Theodoſij legem, Ambroſio latam auctore, tibi poſitam puta, quâ nempe cauit, ne quis Cęſaris iuſſu capitis damnatus mortem ſubiret, niſi poſt trigeſimum a promulgatâ ſententiâ diem. Malo enim

Theodoſij prudẽs cõtra iræ impetum lex.

ſuo

ſuo didicerat optimus Princeps, quàm iniquum ſit reo appellationis copiam negare a Principe irato ad ſedatum, qui & potentiâ, & dignitatis gradu, & iudicandi munere pręcellit. Egregium etiam Architę factum, dictumque ſanctiſſimę apud te legis inſtar obtineat. Non enim a ſanguinarijs, ſuis Dijs, ſed a noſtri clementiâ Numinis, naturâ interprete, hauſit. Is cum peregrè in patriam reuerſus prędia ſua Villici incuriâ labefactata conſpexiſſet, ſubitâ irâ correptus, aſtanti villico, *Quàm malè*, inquit, *te acciperem, niſi iratus eſſem.* Sapientiſſimè quidem iracundiam excuſauit, vt non puniret, ratus humanitatem eo morbo infirmam, atque impotentem ad iuſtè puniendum manum regere non poſſe.

Ex apoph. Ald. Man.

Vltio non minuit, ſed auget iniuriam.

His accedat ea cogitatio, non tolli vltione, nec minui iniuriam, ſed augeri, & altiùs excipi, dum contra itur. Si enim ſimul ac tangeris arrectis villis, exertiſque dentibus, os ad remordendum conuertis, quaſi caninâ rabie contemptum redempturus, longè à propoſito aberras: Deſpectior eris, quàm antea, ſi qui vir putabaris, iam canis, & is quidem rabidus, appareas. Nec te fortem puta, propterea quòd quemque accedentem, tangentemque ſine diſcrimine morſu petis. Nam id proprium eſt leuiſſimæ cuiuſque beſtiolæ, cui, quia tangi, opprimi eſt, contactus quilibet odium euocat capitale. Inter homines quoque eos eſſe iræ paratioris vi-

Ira infirmitatis argumentum.

de-

demus, qui imbecilliores ſunt, pueros nempe, ſenes, mulieres, ægrotos: quibus etiam id moris eſſe, vt cum præ imbecillitate congredi nequeant, feruentiùs iraſcantur, atque inhorreſcant, vt maximè terreant, arceantque, quos maximè pertimeſcunt. Quare quo fortiùs loquuntur, & acriùs comminantur, eo infirmiores ſunt, toto ſpiritu in verba, minaſque conflato. Verum firmitatis, & roboris argumentum eſt, ſe ipſum validè tractum continere poſſe, nec dolori ferendum permittere, imò nec ab eo, pluſquàm rupes à fluctibus, concitari; Valde autẽ concitatũ ſe prodit, qui dolorẽ inferenti repoſuit, quæſiuitque malignũ ex conſortio pęnæ leuamen. Denique illum verè fortem exiſtima, qui iniurijs, & contumelijs ita animum obfirmauit ſuum, vt iam ne ſentiat quidẽ, ſtatimque, perinde ac ſi non agnouiſſet, ignoſcat.

CAPVT QVINTVM.

Potiſſimum Iræ medicamentum Præpotentis Dei Patientia.

VBi ad hæc leuiora, quæ hactenus memorauimus, remedia morbum tuum adhuc contumacem perſpexeris; de Chriſto, noſtræ ſalutis auctore, potiora tibi

tibi quærenda medicamenta ſunt. Omnium tamen potiſſimum in ipſâ Medici contemplatione medicamentum ſtatue. Sume præ manibus Chriſti e cruce pendentis imaginem. Serpens hic æneus (eam de ſe ipſe ſculpſit effigiem, quo ſe
Num.21.9. anguis inſtar peſtiferi commune odium, ac de cæſo, ſuſpenſoque commune gaudium ſuſtinuiſſe ſignificaret) ſerpens, inquam, hic ęneus ſolo aſ-ſpectu virus, quo te reptantes tecum ſupra terram Ferę morſibus tuis implerunt, exhauriet: bilem videlicet ex alienis iniurijs collectam. Aſpice ad æneam illam iniuriarum tollerantiam, & confer tuum cum innumeris eius opprobrijs, quæ illum vſque adeo deformarunt, vt in ea verba compu-
Pſ.21.6. lerint. *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis*. Vide ſingulas Chriſti iniurias infinitis partibus tuam iſtam tenuiſſimam excedentes: quid enim niſi infinitum eſſe queat, quod infinitam valeat potentiam offendere? Quid niſi tenuiſſimum, quod tuæ bene congruat paruitati? Expoſtula deinde, ſi potes de iniuriâ illatâ, ferrum cape, anhela, meditare vindictam; quando rerum Dominum à ſuis figmentis tantę vulnera atrocitatis ſilentio ferre tuâ cauſâ vides.

Finge animo illum ſic tecum loqui, vt eius
Chriſti e cruce pendens allocutio. ęquitatem intelligentiâ, magiſque imitatione percipias. Volo te, quas habes, querelas, contra ęmulum tuum omnes proferre: modò, quas

ego

ego pro te ſine querelâ iniurias tuli prior, auſcultes. Ego ſi fortè non noſti, antequam carnem hanc cum vermiculis communem inducrem, integrâ vixi æternitate beatus: mox vniuerſa, quæ vides, & plura, quæ oculos tuos fugiunt, eo grandiora, quo meliora, ſolo nutu, atque imperio cõdidi, eodemque alios, atque alios rerum orbes excitare quotcunque, ſi velim, poſſum: quando nec rerum affluentia mihi deeſſe poſſit, nec potentia, nec ſapientia, cum hæc omnia ego ipſe ſim, qui mihi deeſſe non poſſum. Eâ verò opulentiâ diues, meque ipſo plenè contentus haud opus habeo rebus procreatis ad plenum gaudiũ, æquè rerum omnium Dominus, ſiue illa extra me dimiſero, ſiue mecum retinuero. E tantâ nihilominus amplitudine, ac ſublimitate in huius me corpuſculi anguſtias conieci, vt illud tibi in exẽplum componerem patientiæ, ac tuis querelis ſilentio meo ſilentium facerem: Quod vt pro viribus æſtimare valeas, illud in acerbiſſimis meæ necis cruciatibus tibi contemplandum propone. De ijs autem ſic primùm in vniuerſum habeto, tot, tantiſque fuiſſe me cruciatibus traditum, vt ſola illorum recordatio timere, tremere, ſudore ſanguineo manare, ad extremum mortis agonem venire hominem diuinitate ſuffultum coegerit. Quàm grauis res ipſa venerit, cui tam feralis imago contigit, facili negotio conijcies, ſi rem attentiùs inſpexeris. Nefario parricidio fundamenta iecit is,

quem de puluere, ac ſtercore pauperem erexeram, vt inter ſupremos populi mei principes collocarem. Ab eo enim venij hoſtibus ad lanienam empturis: nec ſecus, ac ſoleant viliſſimæ quæque merces, pretio nimirum ad emptoris arbitrium ſtatuendo: *Quid vultis*, inquit, *mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Quo pacto nequiſſimus proditor ne ſui quidem iumenti caput vendidiſſet: cum contra eo ipſo tempore, infinito mei ſanguinis pretio de illo a tartareis hoſtibus redimendo tranſigerem. Comprehenſus deinde, ac funibus circumligatus, non ſecus ac de inſigni fieret graſſatore, cuius interitus publicæ, priuatæque rei conduceret, inter ſibilos, inſanoſque plaudentis populi clamores ad iudicum ſubſellia perducor. Iudices ſedebant ſeruuli mei, apud quos graui me ſupercilio, & minacibus oculis intuentes reus agor, quòd regnum affectauerim alienum, quòd contumelioſus in Deum fuerim, quòd flagitijs omnibus coopertam vitam traduxerim: Is videlicet, cui nihil vſquam in Orbe meo eſſe potuit alienum, quod raperem: cui tam arduum fuerat eſſe in Deum contumelioſo, quàm in me ipſum: cui denique non alia fuere flagitia, quàm quæ vos per ſummam nequitiam, ego per ſummam bonitatem admiſi, vbi vos flagitijs omnibus coopertos mihi membra coagmentaui: tunc enim, *Iniquitates veſtras ipſe tuli, & dolores veſtros ipſe portaui.*

Matt. 26. 15.

Iſ. 53. 4.

Agno-

Agnouit Iudex innocentiam meam, palamq. pronunciauit, non tamen, vt inuiolatam dimitteret, ſed vt eo acerbiùs, quo iniquiùs damnaret. Ad crucem enim, ſuppliciorum extremum, conſuetâ, imò præter omnem conſuetudinem, immani verberatione præmiſſâ, condemnantis iudicio inſons condemnor. Ea autem fuit verberum carnificina, vt nudata oſſa, regius quemadmo- Pſ. 21. 18.
dum prædixerat Vates, ſeſe proderent dinumerantibus. Huic verò tam crudeli verberationi a nefariâ turbâ Satellitum, probare ſe populo cupientium, e pugnis, colaphis, calcibus, sputis in os meũ egeſtis, ſpineoque ſerto capiti impoſito, altèque defixo tam ingens pænarũ cumulus acceſſit; vt qui vultus latentem antea diuinitatem inſinuaret, iam ipſam vix proderet humanitatẽ. Poſtremò funibus collo iniectis ad verticẽ Caluariæ montis in modũ belluæ raptatus infami ligno ſuffigor: atque ibi tandem morte turpiſſimâ, eâdemque omnium, quotquot vlli mortalium antea contigerant, acerbiſſimâ, latronum medius, tanquam eius ordinis caput, in regiâ, ac florentiſſimâ vrbe, excelſo, & maximè conſpicuo in loco, feſto die præ ceteris celeberrimo, in luce ipſâ meridianâ, ſpectante, ac plaudente populo innumerabili, veſtibus omnibus per ſummam ignominiam, quin & cute ipſâ perſummam immanitatem denudatus, totâ exhorreſcente, mecumque auctore ſuo propè commoriente naturâ, morior

a filijs interfectus, pro interfectoribus filijs, morior omnipotens, morior immortalis. O rem grãdem, fortè inquies, nec niſi Deo teſtanti, nec niſi de Deo perpetrante credibilem. Ita planè res eſt: credere non deberes, niſi ipſe teſtis, niſi actor eſſem. At quid ad tantam & vix credibilem atrocitatem me dixiſſe putas? Toto tẽpore, quod ea tenuit, vocem protuli nullam, ſaltem, quæ me commotum ſignificaret, nonnullam quidem, quæ me pacatum: vſque adeo ſilui, *vt*
Matt.27.14. *mirarctur Præſes vehementer*, & cum primùm erectâ cruce populum mihi vni intentum vidi, hæc vna vox longum ſilentium rupit; *Pater ignoſce illis,*
Luc.23.34. *non enim ſciunt, quod faciunt*. Idque tam ſeriò dixi, tam impensè rogaui, vt quos tunc in terris habui percuſſores, iam in Cœlo regni conſortes meę precationis merito nunc adhibeam.

Has igitur tot, tantaſque, ac tam atroces iniurias ſine querelâ ſuſtinui tuæ ſalutis fructu ſatis abundè recreatus: eius nempe, qui meæ necis fuiſti tuis criminibus auctor, & cui romani Pręſidis miniſtri, tanquam abs te conducti ſicarij manum ſuam in opus ſibi penitùs ignotum, locarunt. Hæc meas lachrymas cogitatio terſit, hæc ſilentium querelis indixit; fore aliquando vt te e ſempiternis ſupplicijs ereptum ſempiterni mei regni conſortem huius tolerantiæ merito cernerem. Iam peto abs te tanti amoris, tantorumque meritorum gratiam. Profectò ſi vt pro me vitam, di-

Chriſti patientis ſolatium ſuorũ vtilitas percuſſorum.

gnitatem,

gnitatem, diuitias profunderes, exigerem; tametſi orbis terrarum penès te eſſet imperium, dare deberes; tum quia hæc omnia redderes, non donares, tum quia eadem hæc, ſed infinitâ cum accesſione, tibi ipſe donaui, non reddidi. Nunc verò cum non in meam, ſed in tuam duntaxat vtilitatem, petam, vt leuiſſimam illam, quam accepiſti iniuriam, non hoſti tuo, ſed mihi, cuius ille membrum eſt, condones, quanto id libentiùs præſtandum, ius atque æquitas omnis ſuadeat? Retines, puto, memoriâ, quid aliàs dixerim; *Quandiu vni ex his fratribus meis minimis feciſtis, mihi feciſtis*. Ego me clipeum æmulo tuo oppoſui protegendo: Per me tranſibit, meq. feriet priorem, quidquid in illum iactaueris: ne verbo quidem contumelioſo parcam, quin ſempiternis pœnis vlciſcar, prout ſatis diſertè ſignificaui, vbi dixi; *Si quis dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*. Si igitur æquum adhuc non putas mihi tam bene de te merito ignoſcere; tibi ſaltem ipſi vltionem tanti futuram, æterno ſupplicio luendam condona.

Christo condonantur hostium iniuriæ.

Matt. 25. 40.

Matt. 5. 22.

Nobis condonamus, quod hoſti.

Hæc ſi tecum humani generis conditor, & reſtitutor Chriſtus loquatur, haud cenſeo, te adeo ſine pudore, ac ſenſu futurum, quin continuò eius genibus aduolutus iram hactenus æmulo reſeruatam, aduerſus te ipſum tuæ vltricem contumaciæ adhibere incipias. Quare ſi Chriſti Domini verba, irâ pauliſper ſemotâ, per otium reputaueris

ris, ijſque ſub omnibus vnum illud Verbum diuinum intellexeris, quod vim ceteris infinitam adiungit, ſuauiſſimum iuxta, ac maximè ſalutare morbo tuo remedium comparaſti. Compeſce igitur querelas omnes, eaſque amātiſſimo Domino, ac Parenti, qui ſuas tuæ ſaluti donauit, gratus repende. Cuilibet, qui aliquid in te peccauit, ſi attentè quæreres, ſua nunquam deeſſet iuſta, & probabilis excuſatio. Puerum aut fœminam, vtcunque ætate prouectam, par imprudentia apud cordatū quemque excuſaret: Senem, atque ægrū debilis, & iam malis æquata patientia impunitum dimitteret: Inferiores humilitas irę, ſuperiores periculum, pares ęquitas, quam ipſi nobis optamus, abſolueret: nemo non peculiari aliquo patrocinio, apud ęquum Iudicem gauderet: Vnū tamen apud te ſit velim commune omnibus patrocinium, communis ſcilicet omnium Parens, qui cunctis ſuis liberis abs te pacem petit, quique ab omnibus tibi: paratus perdere quoſcunque mortalium, atque ęternis ignibus punire, qui in te contumeliam iactauerint: imò qui te non vt ſe ipſi dilexerint, tibi eſurienti, ſitienti, ęgrotanti, & reliqua id generis incommoda patienti præſto non fuerint. A regio infante vel irato quiſquis, Rege inſpectante, & nati manum iuuante, vapulat, ſuis plaudit verberibus, & verberanti arridens gratias pro opportunâ agit correctione. Nouit enim, nec puerum iniurię faciendę intelligentem

Nulli, ſi quęratur, excuſatio deeſt.

gentem eſſe, nec Patrem fore, vel propulſatæ tolerantem. Quotquot Deo parente mortales naſcimur, regios pueros dignitatis gradu, non rationis vſu dum iraſcimur, ſuperamus. Quare quiſquis ab homine vapulat, a pluſquam regio ſe infante cædi, nec niſi Patre inſpectante, & nati manum regente, putet: proinde ſua verbera, non iniuriâ, ſed meritæ obiurgationis iure inflicta, gratus, ſi ſapiat, non iratus, ac mærens accipiet: aſpera enim licèt bono vſu miteſcent, & in beneficia tranſibunt.

Iniuriæ hoſtib'. vt Dei filijs coram parēte cōdonādę.

At non meum, inquies, vulnus, ſed Dei, quem ſe mihi clipeum contra ferientes oppoſitum noui, irà perſequor: proinde non Dei filijs, ſed hoſtibus, a quibus id vulnus infligitur, ſuccenſeo. Primùm rerum omnium Parenti nullus hoſtis, niſi filius, qui poteſt quidem filij erga Patrem, at non Patris erga filium voluntatem, ac beneuolentiam exuere. Deinde ſi filio hoſtiliter in Deum contumaci iraſcendum putas, ſume ab ipſo Deo, cuius partes ſuſcipis, iraſcentis formam. Hæc eadem interdum, quæ medici erga ægrotum, interdum, quæ iudicis erga maleficum eſt. Ille a corpore vnius hominis, iſte totius generis humani membrum putridum ſecat, vt reliqua non computreſcant. Vterque ſedato animo curam ſuam exequitur. Nec ſi medicus languidi maledictis impetitur, aut nauſeātis vomitione aſpergitur, in odium, niſi languoris, qui iniuriam fecit, exurgit:

Honeſtè iraſcēdi ſpecimē a Deo irato ſumēdum.

git: aduerſus languorem autem non iram, ſed irę inſtrumenta duntaxat pacatus exercet. Neque iudex latroni iraſcitur, ſed in eum, vt venator inſurgit, lictores canes immittit, circumuenit, captumque voce, ac vultu ſui muneris increpat, ac tandem læto animo publicæ tranquillitati donū ſuſpendit. Si enim pro ſcelerum grauitate, ac multitudine ira illi exercenda eſſet, a mente diſcedēdum foret, hoc eſt iudicium deſerendum, vt iudicis munere fungeretur: hoc autem pacto ſæuire quidem ferarum ritu in miſeros poſſet; at certè animaduertere, vt hominem in hominem decet, non poſſet. Deum igitur, ſi tua illi militat iracundia, contra eius hoſtes ducem ſequatur. In illos non ſe, ſed ſua arma effundat, ac ſtans in veſtigio tela contorqueat. Scilicet hæc diuinæ naturæ conditio eſt, vt cuncta ſeueritatis inſtrumenta, quibus noſtra indigent mala, nullâ irâ cōmotus adhibeat, ſed iræ munera rationi rectiùs exequenda committat. Nonne vides vt ſudo, ac ridente Cœlo terra concutitur, ſubſidit, dehiſcit? ſuos quoque interdum cum oppidis habitatores exorbet? Hoc iræ Diuinæ ſpecimen eſt: haud aliter Deus iraſcitur, nempe ſerenus, ac ridens natos pulſat, vel vt ſuperſtites ſuam vitam corrigant, vel vt extincti alienam. Id autem eſt, quod tibi ſequendum proponimus: Iræ telum rationi ſeruandum committe, nunquam niſi eâ reddente, adhibendum.

Iræ munus ratio meliùs exequitur.

Ergo

Ergo, inquies, iraſcar nunquam, ſi iræ munus rationi cædendum? Ergo improuidè natura hoc me gladio inſtruxerit, qui ſtringentem feriat, nec ſatis fidæ tutelæ, nec ornamento ſit? Hoc minimè dicam: ſequendum quidem nobis mortalibus Deum quàm proximè licet, præmonui, at non aſſequendum. Illum habere iram non decet; nos decet, quandiu ſine ipſâ poſſumus, non adhibere. Non iram, ſed iræ intemperantiam damnamus, diuino docti oraculo; *Iraſcimini, & nolite peccare*. Crebrò id nobis vſu venit, vt corporis miniſterio ad iuſtæ vltionis vſum animus indigeat: quare cum corpus ratione duci nequeat, opus habuit bile ſuccendi, atque iracundiæ facibus ſollicitari, quò pro rei arduitate incaleſceret, & ad communem perniciem propulſandam cum animo conſpiraret: proinde ad honeſtos vſus euocata ira vtilis eſt, nec vtenti indecora: modò nec antea, nec vltra progrediatur, quàm ratio præſcripſerit, & ſigno receptui dato ſtatim reſiſtat, neque vel infectâ recedere glorioſius habeat, quàm inuitâ, & reclamante ratione perficere. Pſ. 4. 5.

✠

Digitized by Google

CAPVT SEXTVM.

De temperando metu, vbi præſertim de morte contemnenda.

QVemadmodum imminentium malorum terrores malis ipſis quodammodo velitantur, & aduerſus nos primi depugnant; ita in parte noſtrâ eorum metus iræ præcurrit: nempe priùs metuimus, quàm iraſcamur. Mala proinde cum irâ in extremo, vt ita dicam, certamine, terrores verò cum metu in primâ acie congrediuntur. Quare cum iram aduerſus mala præſentia hactenus inſtruxerimus; proximum eſt, vt etiam metum aduerſus eadem appropinquantia, & exitium minitantia inſtruamus. Spes autem eius, quam petimus, victoriæ (cuius pretium felicitas) plurimùm in hoc primo congreſſu ſita eſt. Ridet enim præſentia mala, qui venientium terrores meditando fregit, prędomuitque. Vbi verò mala edomita non ampliùs terrent, oblectare incipiunt, quaſi mitigatæ feræ magiſtrum, qui ſe lambi gaudet, familiariterque tractari à terroribus

Digitized by Google

ribus populorum. Et quia cuncta, quibus petimur mala mortales, telo vno, nempe mortis formidine depugnant; prima nobis hæc erit huius teli cura frãgendi: eo enim exuta malorum vim; nomenque deperdunt, & in moleſtam quidem, ſed minimè formidandam incommodorum turbam diſcedunt. Itaque antea de morte, poſtea de reliquis incommodis contemnendis documenta dabimus.

Philoſophia nequit mõtis contemptum perſuadere.

Multa de mortis contemptu vetus philoſophia naturæ præceptis imbuta diſſeruit; nunquã tamen obtinuit, vt quenquam ex alumnis ſuis in mortem ſecurum immitteret. Haud enim valet natura ſupra ſe ipſam per ſuæ mortis, hoc eſt, per ſui ipſius contemptum aſſurgere. Si qui autem fuiſſe narrantur, qui mortem ſuperbo pede calcarint; hos deſtitutos potiùs quàm inſtitutos naturæ documentis dixerim, vt qui ſtultiſſimè ſe ipſi deuorandos neci tradiderint, ſuum vti nomen ab eius morſibus vindicarent. Nulla verò nos Chriſtianâ ſapientiâ imbutos præterit dies, quin ſacris anniuerſarijs publica Numini gratulatio fiat ob innumeros vtriuſque ſexus mortales, quos diuinarum vis litterarum pro cœleſti patriâ deuouit, & in occurſum vel teterrimæ mortis lætos, nedum ſecuros immiſit. Totidem contemptæ necis, quot ſuæ doctrinæ martyres, ſeu teſtes Chriſtus enumerat: qui omnes vitam hanc breuem Chriſti Euangelio dedere, vnde nouerant ſibi, non

Sola Chriſtiana ſapiẽtia id præſtat.

ſuo tantum nomini, reſtituendam æternam. Quare ex hâc vnâ, non e veteri philoſophiâ huiuſmodi documenta petenda ſunt.

Sap. 8. 1. Deus igitur, cuius ſapientiam nihil fugere poteſt, vt potè attingentem *a fine vſque ad finem*, quique propterea meliùs quàm mortales ipſi, quid ſit mors, intelligit, ſæpè id ſacris litteris inculcat, animi e corpore exceſſum, non morti tribuendum eſſe, ſed ſomno: proinde vt aliquem ex hâc vitâ migraſſe ſignificet, eum dormiſſe, ſæpè ait, cum patribus ſuis: & licet vulgare quoque mortis vocabulum, vt a vulgo percipiatur, adhibeat, quod omnes facere cogimur; quando

Mors corporis ſomnus. tamen doctoris partes aſſumit, ſomnum pro morte, vno vocabulo grande claudens documentum,

Io. 11. 11. vſurpat. *Lazarus* inquit Chriſtus, *amicus noſter dormit: ſed vado, vt a ſomno excitem eum*: quem nimirum quatriduo ante Sorores extulerant, humauerantque. Quin vbi puellam principis Synagogæ filiam vitæ reſtituendam adijt, non contẽtus, ſe eam dormire dixiſſe, inſuper & explanatiùs

Matt. 9. 29. mortuam negauit. *Recedite*, inquit, *Non eſt enim mortua puella, ſed dormit*. Id pariter Teſſalonicenſes edocuit Paulus Chriſti diſcipulus, monens, ne eorum ignorantiâ tenerentur, quibus cum nulla eſſet reuiuiſcendi fiducia; vitâ functi in mortuorum numero habebantur, cum reuerâ inter dormientes ad nouiſſimæ tubæ cantum euigilaturos

1. Ad Teſſal. 4. 12. connumerari deberent. *Nolumus*, inquit, *vos ignorare*,

rare, Fratres, de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut, & ceteri, qui ſpem non habent. Atque hic loquendi modus vſque adeo apud veteres Chriſtianos increbuit, vt quæ ſepulcra ethnicis dicebantur, poſtmodùm cœmeteria, hoc eſt dormientium cubicula, mitigato euangelicâ ſpe vocabulo, dicerentur.

κοιμητήριον dormitoriū

Vera mors hominis culpa mortifera.

Contra verò quibus animus nequitiâ perijt, Chriſtus mortuos nuncupandos, vel cum maximè viuere putarentur, edocuit. *Noui*, inquit, *opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* Ita de eo ſacrorum Antiſtite, qui ſuis honoribus ad viuendi licentiam abutebatur, pronunciat viuorum Iudex, & mortuorum. Nec huiuſmodi mortuis plus, puto, confert ad vitam corporea viuentis ſpecies, ac reliquis defunctis marmorea tumulo inſculpta: vtraque enim belluis, ac mente deſtitutis imponit, neutra diuinæ ſapientiæ oculis interiora perluſtrantibus: quorum e iudicio illa extitit aduerſùs hypocritas Phariſæos ſentẽtia; *ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quę a foris parent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitiâ.* Huius autem rei potiſſima ratio ex animi nobilitate deſcendit, qui cum diuinâ e ſtirpe oriundus, haud alio, quàm diuino Spiritu animetur, ac viuat; abrupto caritatis vinculo, quo cum Deo iungebatur, non ſecus perit, ac pereat corpus, animo, vnde viuebat, amiſſo. Extinctus autem animus, vt vt adhuc in corpore iaceat,

Apoc.3.1.

Matt.23.27.

ceat, vitâ illud, quâ ipſe caret, donare non poteſt, ſed mortui duntaxat feretrum, aut monumentum efficere. Quòd ſi propriâ amiſſâ vitâ adhuc communem cum reliquis animantibus retinet; ex eâ nihil ampliùs habet, niſi vt ex homine in ſordidum animal, quaſi verminans cadauer, defecerit.

Itaque cum e diuini oraculi reſponſis nobis certiſſimè conſtet, corporis interitu nos dormire, non mori; ſolâque animi a Deo, vnde viuit, defectione hominem interire, illud efficitur; iuſtos,
Iuſti verè nũquã moriuntur. ac Deo caros viros veram mortem nunquam oppetere, ſolamque illis relinqui, quæ mortis ſpecie ſoporem membris, ac requietem immittit. Quòd ſi perfractè adhuc in tuâ ſententiâ perſtas, mori, atque e viuis exterminari eos, quorum animi ad vitam tranſeunt immortalem; inſipientiæ damnaberis ab ipsâmet infinitâ Dei ſapientiâ. *Iu-*
cap. 3. 3. *ſtorum animæ*, inquit, *in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientium mori, & æſtimata eſt afflictio exitus illorum, & quod a nobis eſt iter, exterminium: illi autem ſunt in pace.* Obſerua pulcherrima verba: Non *afflictio, ſed exitus* ex afflictione eſt ea, quam tu mortem dicis, nec *exterminium*, ſed iter, & reditus ab exilio ad patriam: illam nempe Hieruſalem, cuius nomen pacem promittit, non ampliùs credendam, ſed videndam. Viſio enim pacis nobis dicitur, quæ Hieruſalem Hebræis. Vita iſta mor-

talis

Digitized by Google

talis tota continuatis decedentium temporum mortibus compacta eſt, idque a nobis viuere dicitur, quod eſt lentè mori. Quare qui huic æuo finem cum iure ad immortalitatem imponit, is demum mortem, non vitam finire, imò hanc inchoare, cenſendus eſt. Quod prȩclarè docemur e Chriſtianæ Eccleſiæ ritu, quæ in ſuis faſtis ſanctorum virorum, natales appellat dies, quibus ij vulgo mortui dicuntur, & vt in natalibus ferias, ac lȩtitiam indicit. Accidit illis, quod Soli, quidum nobis videtur occidere, gentibus oritur nobis ignotis: Ita eorum, qui nobis occaſus creditur, ortus eſt mundo alteri nobis ignoto: vbi ſcilicet, *Iuſti fulgebunt, ſicut ſol in Regno Patris eorum*. O quantus erit ille fulgor, qui non vt ſiderum lumen in conſpectu ſolis euaneſcet, ſed ſicut ſol in conſpectu infiniti luminis ſtabit.

Mors iuſtorum natalis dies.

Matt. 13. 43.

Nec eſt, cur contrarium aliquid ſuſpicemur, quando ſanctos Chriſti martyres hinc dirâ laceratione conſciſſos migrare conſpicimus: nam quis luctu dignum exiſtimet, cui humilis ſaccus in pœnam datus dilaceretur, vt læto, regioque amictu Cœlitum more induatur? Hilari certè carmine id ſibi præſagiens gratulabatur regius Vates, vbi ait; *Conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lȩtitiâ, vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*: hoc eſt, vt exutus corporis ſacco non ampliùs eius, quaſi cilicij, ſetis excrucier. Id nobis perſȩpè vſu venit, quod olim Iſraelitica-

Corpus animi indumentum: eius laceratio non curanda.

Pſ. 29. 12

Gen. 37. 32.

carum Tribuum Parenti, qui cum prę manibus haberet Ioſephi, amatiſſimi filij, tunicam fędè diſcerptam, & recenti adhuc ſanguine madidam, illico in vberrimos fletus erupit, quòd a belluâ dilaniatum, vt ceteri fratres ſimulauerant, crederet: quando reuerà ille in Ægiptum diuino conſilio ducebatur, vniuerſi vt eius regni adminiſtrationi præficeretur. Haud aliter nos ad Martyrũ dilacerata corpora, quandoque ingemiſcimus, dum illis interim obtigit, vt Cœlitum ſedes conſcenderint, æternùm cum Deo regnaturi, noſtraſque lachrymas, veluti e luſcioſis oculis lapſas irriſuri. O ſi daretur, gaudijs illorum intereſſe, quos hic lugemus vt miſeros; puto nos non lacrhymas dimiſſuros, ſed ex alienâ ad noſtram miſeriam, & cæcitatem deplorandam cõuerſuros. Ibi enim eos ipſos, quos hìc maximè malignorum lingua proſcidit, carmen illud feſtiuum concinentes audiremus, quod Deus ipſe in eorum
Ps. 63. 2. vſum, Eccleſiâ teſte, conſcripſit; *Protexiſti me Deus*, inquient, *a conuentu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem*. Ita Chriſti Eccleſia ſponſi ſui arcanorum conſcia in Sacro, quod ad eorum memoriam inſtituit, loquentes illos inducit: quem ad modum, & quorum corpora leonibus, aut igni tradita nouimus, illa Eccleſiaſtici
Eccl. 51. 4. verba proferentes facit; *Liberaſti me ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ a rugientibus præparatis ad eſcam: a preſſurâ flammæ, quę circumdedit me,*

&

Digitized by Google

& in medio ignis non ſum æſtuatus: quæ poſtrema præſertim verba Beati Laurentij feſto die recitamus, cuius nimirum corpus haud dubiè igni traditum conflagraſſe conſtat: Etenim Chriſti Martyres corpora ſua non ſe ipſos putabant, ſed vile animi indumentum, quod quietis tempore depoſuiſſe, aut trahenti dimiſiſſe, in promiſcuo illis erat: nec magis horrori, corpus in ſepulcrum vermibus, aut extra illud beſtijs ſeu igni deuorandum abijcere, quàm attritum, atque inutile veſtimentum.

Porrò duo ſunt, quæ lætam mortem, & ſomno parem efficiunt; ſummum ſui corporis odium, ſummum Cœleſtis patriæ, diuinique complexus deſiderium. Duo lætam mortẽ efficiunt, corporis odiũ, ac Dei viſẽdi ſtudiũ. Vtrumque ad migrandum ſollicitat, illud pellendo, hoc inuitando. Odium corporis, vbi præſertim longâ cum eo ſimultate conualuit, id morienti præſtat, vt mens ſui corporis miſeratione minimè tangatur, nec proinde miſeriam participet, ſed vt de hoſtis (cuius vinculis tenebatur) vltimâ patientis calamitate, perinde ac de ſuâ libertate lætetur. Summa verò Dei caritas, quæ Ioanne teſte *foras mittit timorem*, ſpem 1. Io: 4. 18.
diuini conſpectus, æquè firmã, ac metu vacuam, inducit. Spes verò cum rei expectatę guſtum exhibeat, incredibile dictu eſt, quantâ migraturos voluptate perfundat: quęuis nempe infinitæ voluptatis libatio omnem aduocat, occupatque mentem, nullum vt in eâ ærumnarum recordatio-

Digitized by Google

Vide optabilem piorum exitū. ni locum relinquat. Quis enim corpori laboranti vacet, vbi mentis obtutu, vel etiam corporis oculis, vt viris ſanctis contingit, ſibi mox diſceſſuro patefactum Cœlum aſpiciat? Inde autem beatiſſimis cœleſtis patriæ ciuibus ſole ipſo fulgentioribus oppletum cernat cubiculum: quorum alij lectulo ſuperfuſi ſuâ immensâ lætitiâ parem ægro mox futuram promittant: alij frontis ſudorem ſuis manibus tergant, & blanda verba depromant: alij in tartareos hoſtes vndique propellendos incumbant. Hinc Deiparam Virginem pronis expectare manibus videat, dum prodeuntem a corpore animum, ſuæ fructum culturæ, Filio munus exhibeat: ipſum verò Chriſtum Ieſum e ſuperiore loco imminētem mille cœlitum ſtipatum agminibus, infinitâ luce præfulgidum, qui regiam coronam, auro, gemmiſque diſtinctam tenens, ſtrenuo militi, ſempiterni pignus imperij, exporrigat: nec illum vt reum ad Tribunal Iudex expectet; ſed benigniſſimus Parens ad regni consortium vt filium inuitet. Quid hoc ſpectaculo beatius? quę mens a tantæ felicitatis conſpectu aciem ad ſui aſelli languores inſpectandos demittat? Quis mortem tam florentis fortunæ miniſtram non expectet ſecurus: quin etiam non, quâ licet, votis omnibus accerſat, vt relictis illi mortalitatis exuuijs, liber ad cœleſtem patriam cum tam honeſto comitatu remigrare feſtinet? Verùm ne iſta magnificè potiùs, quàm verè dicta putentur,

non-

nonnulla eorum exempla ſubijciemus, qui ob eximiam pietatem, quaſi in conſpectu æternæ felicitatis, cuius certiſſimam ſpem, veluti clauem manu tenerent, læti obiere.

CAPVT SEPTIMVM.

Ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, exhibentur exemplis.

ROBertus cognomento de Nobili- Ex eius vita.
bus, quem Iulius Patruus Pon-
tifex Maximus ſacrâ purpurâ Vide Ciac. in Iul. 3.
adhuc impuberẽ donauit, quique patruo gratiam de communi acclamantis populi gratiâ ſtatim perſoluit: tametſi enim non ſine aliquâ aduersùs Pontificem inuidiâ ad tantum faſtigium tam tener euectus initio fuerit; tamen ſubitâ maturitate, prudentiâque non ab annis emendicatâ, ſed propriâ, innatâque, & quaſi ingenio Soli productâ, ſuam protinus populo cooptationem, & cooptantis iudicium approbauit: Hic, inquam, purpuratus Adoleſcentulus, vbi quatuor ipſos annos, quibus ab initio magiſtratu ſuperfuit, facem virtuti prætuliſſet, ignauiæ etiam ſubdidiſſet, in ſupremum incidit

Digitized by Google

morbum, in quo Chriſtianæ virtutis odorem, vt poma fugientia ſolent, ſuauiſſimè exhalauit. Cum enim diuturnâ tabe alterum latus exulceratum, alteri eum incubare octoginta ferè dies, noctesque coegiſſet; ne ſuſpirio quidem indicauit, ſe ſui corporis doloribus condolere: verùm ad extrema redactus inter laudes diuinas paulatim decedens lætam hanc vocem concordi vultu prodidit; *Nunquam putaſſem fore ſic dulce mori* Ita nempe ex hâc vitâ diſceſſit, cui *viuere Chriſtus erat, & mori lucrum*, hoc eſt, vitæ ipſius, quam mors rapiebat, augmentum: tunc enim maximè cum Chriſto vitâ ſuâ æternâ, ac beatiſſimâ iungebatur.

Mors iuſtorū dulcis. Ex ep. ad Philip. 1. 21.

Ex eius vita a Ioſeſſo Maffeio deſcripta.

Idem, eodemque innocentiæ iure expertus legitur, atque eadem verba pronunciaſſe Franciſcus Suarez e Societate Ieſu, cui, & ſumma doctrina fuit, & ſanctitas per ſuæ doctrinæ deſpectionem ſuperior. Illud vir præſtantiſſimus dixiſſe aliquando fertur; (hinc ſanctitatem metire) malle ſe vniuerſas ſuas lucubrationes, in quas vitam omnem inſumpſerat, perdidiſſe, quàm vnius horæ quadrante cum ſuperis inter preces traducto fraudari. Non eſt igitur, quòd mireris dulciſſimam illi contigiſſe mortem, vnde obtineret, vt ſempiterno Numinis complexu, non inter preces ſupplex, ſed amicus inter colloquia, ac blandimenta frueretur. *Nunquam putaßem*, is quoque ait, *fore ſic dulce mori*: quia nunquam ſingularis modeſtia

ſtia reputare illi permiſerat, mori ſibi mori non fore, nec vitam cum morte, ſed hanc cum vitâ, eâque beatiſſimâ commutare.

De beatiſſimo Adoleſcente Aloyſio Gonzagâ ſat fusè in eius vitâ narrauimus, quantâ ſe hilaritate mortis, tanquam obſtetricis, amplexibus, excipi ad vitam potiorem aſpexerit. Maximas primùm gratias egit, eam adeſſe denuncianti: deinde maiores Numini, cuius imperio aderat: mox ad ſe venientes, declarato exitus die (quem certum arcano Numinis affatu didicerat) inuitabat, vti ſecum grates coniungerent, quas tanto muneri pares vnus ipſe agere non poſſet. Sæpè illud Apoſtoli vſurpabat; *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto:* modò carmen Dauidicum. *Lętatus ſum in his, quę dicta ſunt mibi; in Domum Domini ibimus*: modò aliud; *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*: Huiuſmodi autem deſiderium vt linguâ quale eſſet, ita vultus ardore quantum, & quàm incenſum, ſignificabat. Simul ac verò cœleſtis Patriæ ſpecies vnà cum beatorum Ciuium felicitate eius ſeſe oculis reſeruauit, in eam ita præ gaudio mente totus migrauit, vt, quanquam vigil noctem integram in ſummis corporis laboribus agitauerat, momento eam auolaſſe exiſtimaret. Denique, vt rem totam verbo complectar, eâ mortem lætitiâ ſubijt, quâ ianuam ad immortalitatem.

Ex ep. ad Philip. 1. 23. Pſ. 121. 1.

Pſ. 41. 1.

Mors iuſtis ianua ad immortalitatem.

The-

Thereſiam virginem perhibent, magnam illam rigidiorum Carmelitarum parentem, ſimul horas pulſari audiret gaudere ſolitã, quòd horâ minùs expectanda mors eſſet: Eius quoq; carmen, nec inelegans (amore ingenium excitante) circumfertur, cui verſus in hanc ſententiam ſæpiùs intercalatur; Hei mihi morior, quòd non morior: vnde ſatis ſignificauit, ſe victuram, ſi moreretur. Grauis iam illam incuruauerat ætas, quàmplurimis onerata laboribus, doloribuſque, pia tamen fęmina, vnde ceteris dolores aſperari ſolent, à mortis ſiue exitus recordatione, lenimentum captabat. Vbi verò mors adfuit, tantâ lætitiâ ad eius conſpectum exilijt, vt cepiſſe eam diceres reuiuiſcere, propterea quòd ſuæ mortalitatis finem inſtare iam intelligeret.

Mors etiam cruenta ſõno ſimilis iuſtis.

Stephanus ſaxis cõfractus obdormiuit.

Nec placida ſolùm, & quæ cubanti in lectulo obrepſit, ſomni ſimilis viſa mors eſt: nam Stephanus etiam inter ſaxa, ſui capitis ictu crepitantia, *obdormiuit in Domino*. Quàmplurimi ſanctiſſimi Chriſti Martyres, ijque vel ſenes in vltimâ ætate, vel pueri, puellæque in primâ, vtrique corpore inualidi, mortem igni, ferroque inſtructam contempſere, vel potiùs tanquam immiſſam ad perrumpendam cuſtodiam, atque aſſerendum in libertatem animum, dilexere: nihil ſcilicet intereſſe rati per oſtium ille, an per ruinam, modò e carcere ad ſolium, egrederetur. Andream Apoſtolum accepimus, vbi eminus Crucem, in

quam

quam agendus mox erat, conſpexit, tantâ amoris ſignificatione eam ſalutaſſe, vt non audito crucis vocabulo, thalamum nuptialem a ſponſo ſalutatum exiſtimares. *O bona Crux*, inquit, *quæ decorem e membris Domini ſuſcepiſti, diù deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata. Accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Cum verò populus eam conſtantiam magnę innocentię (quam nihil niſi culpa terret) characterem interpretatus, illum è Carnificum manibus vindicare moliretur; tantâ vi, ac ſollicitudine ſanctiſſimus ſenex ſupplicij remiſſionem deprecatus eſt, quantâ ceteri ſupplicium deprecarentur.

Andreas crucem ſalutat, vt thalamũ.

Ignatius Antiochenę Eccleſię Antiſtes cum damnatus ad beſtias illarum non iram, ſed obſequium, ac lenitatem ceteris Martyribus exhibitam vereretur, vt quę potiſſimam probandi amoris opportunitatẽ eriperent; hęc ad Romanos in ſuâ ad illos epiſtolâ ſcripſit. *Vtinam fruar beſtijs, quæ mihi ſunt præparatę, quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me: ne, ſicut & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quòd ſi venire noluerint; ego vim faciam, ego me vrgebo, vt deuorer.* Veniam deinde poſcit ob tam generoſum ſuæ fortitudinis metum: additque alia plena fortiſſimi pariter, ac ſuauiſſimi amoris. *Ignoſcite*, inquit, *mihi*

Ignatius ferarũ nõ irã, ſed manſuetudinem timet.

Ex Hier. de ſcript. eccl.

Xpi diſcipulorum character, nihil apparentiũ cupere.

Pićta in mēte martyria facilè obeuntur.

Laurentius in flammis contra tyrannum argutatur.

Idē etiā iocando pręſtat Eulalia.

mihi filioli: quid mihi proſit, ego ſcio. Nunc incipio Chriſti eſſe diſcipulus, nihil de his, quę videntur, deſiderans, vt Ieſum Chriſtum inueniam. Ignis, Crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorumque diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant: tantùm vt Chriſto fruar. Vides hic expoſitum, quod fortè ſupra minùs dilucidè dixerat, quaſi de blandis ludicriſque beſtiolis loqueretur; *Vtinam fruar beſtijs*; fructum enim dant beſtiæ, immanes licèt, amantibus iucundiſſimum, quibus Chriſtum in omnem æternitatem fruendum donant. An putas hæc ab eo dicta propterea quòd nondum niſi ſolà pictas in mente belluas conſpexerat, quibus quàm iucundum, tam facile, ac pronum illi erat, ſe victorem appingere? Imò verò vſque adeo re ipsâ venientes luſit, vt eleganter etiam, ac figuratè, in otioſæ mentis argumentum, loqui potuerit. Simul enim Leones contra ſe immiſſos aſpexit, ac rugientes audijt, *Frumentum*, inquit, *Chriſti ſum: dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Quid quòd etiam argutari in medijs flammis aduersùs Tyrannum Laurentius potuit, eamque rabiem incendere, cuius incendio torqueretur. *Aſſatum eſt*, inquit, *iam verſa, & manduca.* Quin Eulalia virgo, tredecim vix annos nata, etiam iocando ſuggeſſiſſe fertur, quâ ratione magis ſæuire poſſet Tyrannus: dum enim toto corpore proſciſſa vndique ſanguine difflueret, Tyrannum rogauit, vt ſale ſuas carnes

nes inſpergeret, quò voranti iucundiùs ſaperent. Cantare etiam Theodoro Martyri licuit, quem Eccleſiaſtica refert hiſtoria, ferreis vngulis excarnificatum, dum coſtæ nudarentur lætum ceciniſſe dauidicum carmen. *Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo*: cumque in ardentem rogum eſſet iniectus, ibique totus e diuinæ caritatis ardore flagraret, non aliter ſpiritum, quàm in Dei laudes effuſum dimiſit. Marcum quoque, & Marcellianum fratres ad ſtipitem clauis confixos, iudici vt reſipiſcerent ſtultè monenti ſereno vultu dixiſſe ferunt; *Nunquam tam iucundè epulati ſumus, quàm hæc libenter Ieſu Chriſti causâ perferimus*: ac deinde diem, noctemque ad mortem vſque nunquam ceſſaſſe, alterno cantu pſalmos, hymnoſque ſuauiſſimè modulari.

Cantat nudatis coſtis Theodorus.

Pſ. 33. 1.

Idemque præſtãt ad ſtipitẽ cõfixi Marcus, & Marcellianus.

At quid ego ſingulos perſequor, cum familias, ac gentes integras eâ lætitiâ celebraſſe conſtet, ac feſtos habuiſſe ſui martyrij dies, quâ nos eorũ anniuerſarios agere conſueuimus. Eſt apud Iapones chriſtianos id poſitum in more, vt cum ad mortem Chriſti causâ obeundam ſe damnatos audiant, quidquid veſtis, atque ornamentorum in arcâ pretioſiſſimum lateat, feſtis, lætiſque diebus aſſeruatum, producant, ijſque induti ſeſe lictori ducendos tradant: quò nimirum gaudium, & in gaudio clauſum futuræ mortis amorem ſignificent. Mira id generis, de Iaponum fortitudine in ſe, ſuiſque fortunis pro Religione de-

Iaponũ in martyrio lętitia.

Digitized by Google

uouendis narrant eius, hiſtoriæ ſcriptores. Libet in ſequenti capite nonnulla ſubijcere eo conſilio, vt exempla recentia fortiùs nos propinquos ad ſequendum moueant, cernentes non effætam noſtris eſſe temporibus naturam, nec exhauſtas in priora ſecula diuinæ munificentiæ opes; ne tempora calumniemur, & noſtram illis ſocordiam tribuamus.

CAPVT OCTAVVM.

Recentiora alia pretioſæ mortis exempla.

SVb huius ſeculi initium in Inſulà Iaponià terrarum ad orientem extremâ, complures chriſtianæ religionis cultores, a barbaro Xongunſamà, ceteriſque eius regni Tyrannis lento, igni traditi periere. Omnes tam hilari vultu, atque eleganti amictu in theatrum, infinitâ ſpectatorum multitudine oppletum, prodibant, vt ſi fictam ſe acturos tragædiam crederent, verum præmium pro bene actâ personâ mox relaturi. Supplicij locus planities erat, quam perpetua lignorum ſtrues medijs palis circumdata claudebat:

Horrēdum lenti ignis ſupplicium.

debat: aberant autem ab igne pali, iiſque alligati Martyres, quantum igni ad omnem ſuam immanitatem, ac ſæuitiam proferendam opus erat. Primùm enim illos ardenti calore torquebat, atque in ſudorẽ penitùs eliquabat: mox eo exhauſto, exiccatoque perſtricta cutis in aridam cogebatur membranam, deinde infuſcabatur, adurebatur, incendebatur. Denique poſt alteram, & ſæpè tertiam, aut quartam ab inito ſupplicio horam interiora ignis perrumpens ſenſu cuncta torrebat acerrimo, donec ſenſus ipſe, doloris vi retuſus, hebeſceret, ac tandem animo auolante deficeret. Illi tamen interea, dum tam horrendo cruciatu corpus flagraret, maiori, quàm in Babilonicis illis Pueris, prodigio, eoſdem hymnos pari lætitià non tamen pari ab igne immunitate cantabant. Grande prodigium fuit, inter flammas verſari, & minimè torqueri: at longè maius, & humano ingenio prorſus impenetrabile; torqueri ſimul, & gaudere. Alacritas in perferendo.

In vrbe Meacenſi, emporio eiuſdem inſulæ celeberrimo, duo ſupra quinquaginta, imperante Xongunſamâ, coronâ iſtâ donati huius prodigij ad infinitam multitudinem teſtes fuere. Cuncti enim ſereno ore, oculiſque in Cœlum ſublatis, ac cœleſti rore de eius deſiderio perfuſis, rogum longi poſt itineris curſum ſubiere. In his quinque matres cum ſuis paruulis e collo pendentibus circumſpectantis populi oculos, atque ora euoca- Martyrũ ſalento igne flagrãtium mira cõſtãtia.

Teclæ nobilis fæminæ generoſitas.

rant. Tecla præſertim lectiſſima fœmina, ſummo inter Iapones loco nata, quę quatuor tenerrimæ ætatis liberis ad latera coronabatur, quintum adhuc lactentem in ſinu, ſextum in vtero æternæ vitæ mox paritura geſtabat. Nulla generoſæ matri ſollicitudo, niſi de filijs ad virtutem adhortandis fuit: & licèt in cunctis vna torqueretur, perinde ac dolore vacua, cunctorum tolerantiam ſuâ fortitudine roborabat. Puellæ inter aſtantes natu minimæ dolenti, ſe ardoris vi oculos perdidiſſe; Ne doleas, inquit, filia, nam protinus infinitæ illos pulchritudini reſerabis. Dignus etiam, qui præ ceteris memoretur, eius Vir fuit, Ioannes nomine, vnde tanquam e capite tanta virtus in familiæ corpus defluxerat. Is enim apparitori, qui tyranni iuſſu crudele ſupplicium denunciauerat, & lætus gratias egit, & quam putauit homini peropportunam, retulit: nam machæram, quam pro gentis more, ac generis nobilitate curioſè ornatam gerebat, dono illi dedit, plura ſi ad manus forent, ac meliora daturus. Quâ verò mortis prodromos, eâdem deinde ſecuritate mortem ipſam vnâ cum familiâ, ac ſocijs reliquis excepit. Nam cunctis ſuo palo aſtrictis, vt flammâ ſublatâ æſtus inualuit, non clamor, aut gemitus æſtuantium auditus, ſed cantus, & hymni, & voces, quibus vel grates de tam felici exitu agerent, vel chriſtianæ Religionis neceſſitudinem ethnicis commendarent, vel denique Ieſu, ac

Eiuſque viri Ioannis.

Ma-

Mariæ nomina inuocarent; fidemque ſuppliciter obteſtarentur: paruuli præſertim, qui vix aliud proferre nouerant: & qui ne id quidem propter infantiam nouerant, identidem e matrum præſcripto Crucis ſigno ſeſe communire, non ſine incredibili ſpectantium admiratione, viſebantur.

Chriſtianæ fortitudinis exempla in Ozacēzi familia.

Pretioſæ huiuſmodi iuſtorum mortis prænobilis altera familia in Ozacenſi vrbe illuſtre teſtimonium dedit. Coniuges Paulus, & Maria quatuor liberorum parentes vnâ cum filijs lento igne deflagrarunt. Cuncta ibi fuere admiratione digniſſima: ſed hęc, quæ curſim perſtringemus, in primis. Ignatius e filijs natu maximus duodennis erat, nouem annorum Xauerius, quinque Magdalena, trium non ampliùs Vrſula: hos omnes vterque parens, quo pacto ſeſe ad grande ſacrificium compararent, inſtruxerant: & pater quidem ſua documenta exemplo firmarat: nam vt ſuum nomen delatum nouit, ſeque à tyranni miniſtris quæritari, vltro in iudicium venit: illis autem per viam occurentibus, atque in ius vocantibus cuncta primùm ſua arma pro lęto nuncio diſtribuit: deinde manus, ſeque totum catenis conſtringendum obtulit: quod cum illi ob hominis claritatem facere recuſarent, precibus, conſilio, auctoritate interpoſitis tandem obtinuit. Poſtulatus in quęſtionem de ſuâ, ſuęque familiæ religione, acerbiſſimos cruciatus, tam ęquo animo, vultuque tulit, quàm ſi tuliſſet nullos: denique

Pauli parētis conſtantia.

ad extremum ſupplicium ductus, perinde omnes benignè ſalutauit, ethnicoſque obuios ad Chriſti cultum adhortatus eſt, vt multi non alio, niſi tam intrepidę coram tam atroci ſupplicio adhortationis miraculo, chriſtianæ ſeſe religioni adiungerent. Paruula Magdalena antequam duceretur, totam obiuit viciniam cognatis, notiſque mirâ tranquillitate, tanquam in Cœlum profectura, valedicens. In hanc autem vnâ cum Vrſulâ natu minimâ prima deſæuijt barbarorum crudelitas: qui vbi ceteros, ſuo quemque ſtipiti, alligauerant, raptas e complexu matris puellulas ante ora parentum, non ſine circumſtantis populi horrore, ac fremitu iugularunt. Cogi tamen debuit ipſa barbaries, atque incuſſo metu irritari, quo tantum facinus auderet: nam diù Præfectis id imperantibus a carnificum turbâ repugnatum eſt, nec, niſi ijs denunciatâ morte, obtemperatum. Quod tamen ferreos carnifices emollire valuit, maternum pectus non emolliuit: cunctis enim Chriſtiani nominis hoſtibus tantam ſæuitiem deplorantibus generoſa mater ſiccos oculos Cœlo inhærentes, quò beatas illas animulas præmiſiſſe gaudebat, toto & ſui, & natorum ſupplicij tempore nunquam deflexit. De Ignatio quoque paria narrantur, atque alia præterea miræ fortitudinis documenta. Cum enim antequam pyra ſuccenderetur, nobilis quidam, ac prędiues ethnicorum Antiſtes auctor illi vehementer foret, vt Chriſto ma-

Magdalenæ quinquennis ſecuritas.

Matris generoſitas.

Ignatij duodennis fortitudo.

Digitized by Google

maledicens ſuas in partes tranſiret, adiunctâ pollicitatione, nati, atque heredis loco apud ſe illum futurum, ſi conſilio acquieſceret; Puer ſenis inſaniam ſtomachatus, expuiſſe primùm dicitur ad hereditatis mentionem, quaſi ad auaritiæ ſordes; mox digito in pyram intento, Mons iſte, inquit, immenſas mihi opes, eaſque ſempiternas iam parturit. Denique ſene, quàm puerili, tam forti ad pudorem reprehenſione dimiſſo, atque incendio excitato, oculos, ac manus in Cœlum ſuſtulit: & licèt vento agitante, flammis vndique appeteretur, immotus vſque permanſit, niſi ſi quando comæ oculis affuſæ Cœli conſpectum, vnde illi omne robur, adimerent: tunc enim cæſarie manibus in ſuum locum reſtitutâ, iterum eodem ſe habitu componebat: donec aliquando peruſto carcere animus, quò diù ſpectauerat, euolauit.

O quàm multa, quàm præclara ex ijsdem Iaponum monumentis ſuppetunt huius imbecillæ ætatis exempla, de ipsâ imbecillitate ad grandiores incitandos fortiora! Libens proferrem, niſi inſtituti breuitas ab ijs fuſiùs perſequendis reuocaret. Haud lachrymas tenuimus, vbi apud Danielem Bartolum (paucula ſtrictim attingam) In Iapon. l. 4.
ſcriptum legimus Thomam tredecim annorum Thomas puer ſimulat pubertatẽ vt martiryũ obtineat,
puerum, cum audiſſet Regis edicto impuberes ab ignis ſupplicio excludi, ſimularâ pubertate (quam tamen ipſa tam fortis ſimulatio reuerà exceſſerat) nomen ſuum, vt in albo damnatorum,

inſcri-

inſcriberetur, obtinuiſſe: itaque mortis miniſtros luſiſſe, & in ijs mortem ipſam, ceteroqui tam crudelem, ludum, iocumque habuiſſe. Item alium ſeptennem, cum a patre moneretur, ſuæ vt fortitudinis inter futuras flammas ſpecimen daret, ſuppoſitâ prunæ, quam forcipe porrigebat, dexterâ; illico, vt ſe ad omnem patientiam paratum oſtenderet, ſupinâ manu prunam exceptam tandiu intrepidum tenuiſſe, nullâ exhibitâ doloris ſignificatione, dum pater tam grandem in tam puſillo animum demiratus, gaudio, lachrymiſque perfuſus, dimittere iuberet, quod tamen iuſſum lentè ſatis ille perfecit, prunâ minus promptè dimiſſâ, quàm acceptâ. Petrum inſuper vt alios mittam complures, quinque vix annos natum, dum ſibi decumbenti capitis ſupplicium cum vniuerſâ familiâ denunciatum audijt, ſtatim veſtimenta celebritatibus dicata ſibi dari poſtulaſſe: tum brachijs carnificis ad ſupplicium non modò non reluctantem, verùm etiam volentem, gaudentemque delatum, eodem vultu mortem vidiſſe, quo audierat. Locum enim primùm ſibi delegit, quem parens eandem ob cauſam recenti ſanguine perfuderat: ibi genibus nixus, vbi paululum orauit, humeris ſuâ ſponte nudatis, ceruices ferro pręcidendas dedit: idque tantâ alacritate, vt ethnicos omnes ad lachrymas damnatę innocentię teſtes compulerit: ac tres carnifices, qui ſtricto gladio ad opus deinceps acceſ-

Alius puer ſeptennis intrepidus prunam ardentē manu tenet.

Petri quinquennis inaudita cōſtantia.

ſe-

ſerant, ab immani cæde ſolâ ſubeundi cupiditate deterruerit: nec antea quartus rem perficere eſt auſus, quàm ab ipſo puero, moræ iam longioris pertæſo inuitatus, increpituſque.

Denique Leonardum cognomento Chimuram e noſtrâ Societate (vt agmen claudat eorum aliquis, qui inſtruxerant) Iaponicæ Eccleſiæ monumenta ferunt, mirè lætum fuiſſe, vbi accepit, ſe quoque in eorum cenſu poſitum, qui ignis ſupplicio Ieſu Chriſti causâ eſſent addicti: deinde tandiu animo deiectum, quòd rem in dubium vocari ſenſerit, donec tandem certior factus, ſe ſuæ ſpei compotem fore, explicatâ fronte, atque ore ridenti ſocios arctè complexus de communi proſperitate gratularetur. Simul canticũ Simeonis, quaſi pari voto potitus, vſurpauit. *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace*. Quaſi enim Chriſtum ſe in complexu habere putabat, quando tanti pignus amoris, & mox futuri in Cœlo complexus, obtinuerat. Cumque pſalmos, hymnoſque alios gratijs agendis vnâ cum ſocijs recitaſſet, lachrymarum vi, e caritatis ardore fluentium, illos abrumpere coactus eſt. Stipiti verò religatus non antea diuinas laudes altâ, & lætâ voce concinere, ſeu aſtantibus Ethnicis celebrare deſijt, quàm viuere. Flammas interim circumlambentes, tanquam ſenſum afferre inualidas irridebat, easque obuijs manibus in ſpeciem amplexantis capiti per iocum admouere conabatur,

Leonardi chimuræ gaudiũ de ſpe futuri ſupplicij.

Eiuſdem inter flãmas luſus.

Denique ad exitum vſque non ſecus decertauit, ac qui in ipſo certamine triumphum non petere, ac promereri, ſed agere videretur.

Si igitur (vt modum ſermoni, quem materiæ vbertas nullum habet, ipſi faciamus) Apoſtoli
Eph. 6. 14. monitis obſequentes, *accipiamus armaturam Dei, vt poſſimus reſiſtere in die mala; induamur loricâ iuſtitiæ, quam non tangit, nedum penetrat tormentum mor-*
Sap. 3. 1. *tis; ſcutum præterea fidei ſumamus, in quo poſſimus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*; itaque armati morti occurramus; mutatam illam e terribili in amabilem, e metuendâ in exoptabilem inueniemus: proinde non modò beatam in terris vitam ſui metu non minuet, verùm etiam ſui ſpe, atque expectatione cumulabit.

CAPVT NONVM.

De ceteris vitæ incommodis contemnendis.

QVemadmodum vulnus mortiferum capiti inflictum, reliquum quoque corpus interimit; ita morte, quæ caput eſt reliquorum malorum, acriter vulneratâ, & peremptâ, reliqua quo-

que

Digitized by Google

que mala intercidant, neceſſe eſt. Sunt tamen & ipſa ſuis ferienda vulneribus, vt ſi quam vim nocendi, aut terrendi ſaltem, veluti confectæ belluæ trepidantia membra, retineant, hanc etiam funditus perdant.

Primum e vitæ incommodis dolor eſt, qui & ceteris aculeus præfigitur. Hunc ope diuinâ poſſe a nobis vel hebetari, vel frangi, vel etiam infractum, rigentemque in voluptatis materiam conuerti, exemplo in ſuperioribus docuimus: vbi acerbiſſima ignis tormenta, non modò locum canticis, facetijſque, verùm & materiam quoque dediſſe oſtendimus: quare tametſi, quâ id ratione fieri poſſit, nos fugeret; fieri vtique poſſe factum ipſum perſpicuè manifeſtat. Nec illi abrogare fidem, niſi pariter chriſtianę religioni abrogetur, licet: nam hâc monente docemur, ſalutis noſtræ Auctorem inter atrociſſimos indutę mortalitatis cruciatus mentem humanam perpetuo ſuę diuinitatis intuitu beaſſe. Perardua quidem ad intelligendum iſta res eſt, & vel ſublimibus fortè altior ingenijs: at vbi ſemel noſtra mens eò peruenerit, vt id de Chriſto ſibi firmiter perſuadeat, pronum ad ſimilia de ſanctiſſimis Viris credenda iter inueniet. Quo autem pacto duo iſta cohæreant, & ſummum animi gaudium, & ſummus dolor, non vna omnium ſententia eſt: plerique animo bipartito, litem ſe felicitatem inter, & miſeriam dirempſiſſe putant, illam in ſuperiore

Leniendi doloris ratio.

animi portione, hanc in inferiore ſtatuentes. At cum animi nullæ ſint partes, niſi quas noſtræ mentis opificio confingimus; confiɛta quoque pax iſta videtur ad noſtræ ſolatium ignorantiæ. Meliùs proinde, ſinceriùsque hâc illam ratione conciliandam putauerim.

Quo pacto in fáɛtis viris gaudiũ cum dolore cohæreat.

Amorem rei vnius, certò conſtat, minimè cum rei alterius odio pugnare, ſed amiciſſimè in vnius hominis voluntate morari: vbi præſertim odium amoris hoſtibus aduerſetur, ſitque veluti eius armiger, ac Satelles. Hoc vnicuique de ſuo ſat notum eſt experimento: quiſque enim ſatis intelligit, eſſe in ſe amorem ſui vehementiſſimum, & parem aduerſùs ea, quæ ſibi aduerſantur, indignationem, atque odium. Gaudium autem, ac mœror, ſecundùm Philoſophorum placita, aliud nihil ſunt, quàm boni, maliue præſentis amor, aut odium. Quare quemadmodum potuerunt in humanâ Chriſti Domini voluntate ſine pugnâ morari ſummus erga diuinam bonitatē amor, & ſummum aduerſùs eius offenſas odium; quidni potuerint, & ſummum gaudium de eâdem bonitate coram ſpeɛtatâ, & ſummus dolor de hominum criminibus eam bonitatem lædentibus, & Chriſto præſentibus coherere? Porrò ſi gaudium de infinitâ Numinis pulchritudine perceptum, dolore de eiuſdem offenſionibus non eſt in Chriſti peɛtore imminutum; haud dubiè credendum, nec dolore alio de ſuæ humanitatis offenſionibus,

incom-

incommodiſque imminuendum fuiſſe : ſiquidem dolor hic ferè nullus præ illo fuit, & quidquid eſſet, æquè medicamentum erat prioris, ac leuamentum. Etenim diuinæ Perſonæ in aſſumptâ hominis naturâ offenſiones, eas, quas tulerat in diuinâ naturâ, ſuſtulere: propterea quòd quantum honoris Deo eripuerant hominum crimina, tantundem Chriſti cruciatus reddidere. Hæc puto, alicui ſubobſcura erunt: ſed ſi vitium in oculis non exiſtat, paulò diutiùs immoretur, iterum, ac ſepiùs reſpectet, & vt in locis ſubobſcuris aſſolet, inclareſcent.

Diſce hinc, autem, quid Sanctiſſimos Chriſti Martyres in ſuis, quin etiam & de ſuis cruciatibus lætos pręſtiterit: quid præterea te quoque, ſi eorũ veſtigia preſſeris, ſecuiũ inter ſupplicia, pręſtabit. Illis enim valde perſpicua, pro modo luminis, diuinæ bonitatis ſpecies gaudium mitigandis doloribus opportunum afferebat: idque ipſum gaudium augebat cum ſua, tum amati Numinis gloria ſui martyrij cruciatibus comparanda: vtriuſque autem gloriæ ſpes mirificè ſua illis tormenta commendabat. vt e quibus infinitæ nectar dulcedinis exprimeretur: cuius rei documentum capere licet ex ingratis pariter, ac ſalutaribus corporis medicamentis. Cogita tibi vermibus laboranti pręſcriptam a medicis abſyntij potionem, commendatâ priùs eius amaritudinis contra vermes efficacitate: Dic amabo te, non ne admirabili quodam

Tormenta ſolatio martyribus ſũt, vt amara ægris medicamenta.

eius

eius potionis hauriendæ ſtudio, ſtomachi doloribus dilaniatus, inardeſceres? nonne etiam ſorbendo, quaſi de ſalutis poculo, gauderes? ſi quis autem amaritiem illam, in quâ præcipuam ſalubritatis vim ineſſe putares, infuſo melle mitigaret, an non te maximè offenderet? Placet igitur animo amarities, eòque magis, quò palato plus diſplicet, vt cui conſtet, eandem vim, quæ palatum lędat, vermes perimere. Quid ergo mirum, ſi cruciatus, in quibus vis ęternę ſalutis ineſt, quo tempore ſanctorum Martyrum corpora offenderent, animos futura proſpicientes, ac ſpe prægustantes oblectarent.

Lenimentũ doloris ſpes breuitatis.

Accedit, mirum in modum ſpem inualeſcere, atque vnâ tolerantiam acerbitatum roborari, cogitatione breuitatis. Inde Epicurum, licèt malum omne dolore metiretur, eum ob hoc negligendum dixiſſe aiunt, quòd ſemper, ſi magnus foret, breuis futurus eſſet, ſi longus leuis. Quocirca cupienti ſeſe ad aſpera indurare frequenter illud in mente verſandum; mortalia eſſe cuncta mortalium damna, & nobiſcum breui commoritura: nec niſi ſtultè longùm timeri, quæ te vel citò deſerent, vel tu illa.

Vt curſus baiulis, ita alacritas iuſtis minuẽdo oneri cõfert.

Grauiſſima onera baiuli currendo ferunt, certi ſe minùs diù, citiùs perueniendo, adde, & minùs grauia prorſum impellendo, laturos; minùs enim deorſum, hoc eſt ſuper humeros grauant, quorum pondus in anteriora diſcedit. Baiulos tu quoque imitare, ſi gra-

grauiſſima quæque leuiter ferre deſideras. Alacer, ac rigidâ onus ceruice ſuſtenta: viribus enim ſæpè ignauia deficitur, ac timiditas ob id ſolùm, quia illas non aduocat, habitura, ſi iuberet adeſſe. Citò illud perfer, & ferendo in anteriora, quæ ſpectas, futura ſcilicet præmia, propelle: crede mihi currendo incaleſces, & à curſu pondus diminues, & a calore vires augebis.

Atque hæc quidem, quæ de leniendo dolore diximus, plus etiam aduerſùs leuiores moleſtias valent. Cunctæ ſiquidem Dei cauſâ toleratæ, noſtræ in Deum caritatis incendium, veluti ſpinæ conflagrantes, augent: eoque aucto illuſtriùs cum diuinæ pulchritudinis ſpecies, tum eius potiundæ ſpes animo affulget: atque inde is expectatæ felicitatis guſtus exiſtit, qui curis omnibus mente abigendis, vel torrente voluptatis demergendis ſufficiat. Quid igitur metuam paupertatē voluntariâ ſempiterni regni emptione factam? An quia multa mihi pariet incommoda, humilitatem, ignobilitatem, ſolitudinem, fortè etiam vincula, ſeruitutem, exilium, ceteraſque, quas paupertate miniſtrâ inferre fortuna ſolet, iniurias? Ego verò arborem diligo, & cum voluptate contemplor, quæ ſpinas protegendis a belluarum incurſu Domino ſuo pomis tulit, curamque faciendę ſæpis detraxit. Quò plures moleſtias inopia pariet, eò tutiùs mihi illius aſſeruari fructus gaudebo. An eam mihi exprobrari verebor? at exprobranti

Ceterarum moleſtiarū mitigatio.

Paupertatis ſolatia.

Chri-

Matt. 5. 3. Chriſti verba reponam; *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum Cælorum*. Quid enim mihi aliena maledicta noceant, quæ nihil poſſunt niſi malum dicenti facere, & rumpere, vnde eruperunt, auctorem? Verè beatum me tum demum putabo, cum beatus ab eo Verbo præpotenti dicar, a quo cuncta dicendo fiunt. Frãciſci Aſſiſiatis de paupertate reſponſum. Franciſcum memorant, eximium illum euangelicæ paupertatis cultorem, cum Romæ nudis pedibus hyberno tempore niues calcaret, germano fratri fortè occurrenti, rogantique per iocum, num ſibi ſtillam ſudoris, quolibet accepto pretio, diuendere vellet, hoc reſponſum dediſſe; ſi noſſes, inquit, quanti ſudores meos omnes Chriſto vendiderim, haud mirareris, ne ſtillam quidem mihi reſeruaſſe. O ſi mortales noſſent, atque in re ipſâ, non in ſolâ diuinarum ſcripturarum ſyngraphâ, legerent, quanto Deus ſudores noſtros, & quidquid eius obſequio impendimus, pretio mercetur; profectò non eos, qui ſua omnia diuinę beneuolentię cōparandę impenderent, ſed qui aliquid ſibi reſeruarent, riſu, vel potiùs lachrymis dementiam miſerati, proſequerentur.

Quid igitur? Vtrum reliquas aduerſę fortunæ iniurias extimeſcam? Abſurdum id quidem: nec inter fortuita, nec inter aduerſa connumerandum, quidquid contra noſtrę naturę corruptelam de amantiſſimi Parentis conſilio in medicamentum porrigitur. Quare non ęquo animo fe-

ram

ram pauciſſimorum dierum humilitatem, ignobili- tatemque, quibus certiſſimâ promiſſione decre- tam noui cœleſtis, ac ſempiterni regni coronam? Quid propinquorum, aut amicorum ſolitudinem verear, cum apud me vniuerſi orbis inſtar obti- neat, vniuerſi Conditor, & exemplar? Modò eius complexu ambiar, in frequentiſſimo me theatri conſeſſu, ac celebritate verſari arbitror. Quid amiſſa prædia pecoribus compaſcua, Quid exilium a patriâ metuam? qui non alienam, niſi Cœlum, quò vndique terrarum pari peruenitur itinere, patriam agnoſco? Vbi amantiſſimos Pa- rentes Deum, ac Deiparam, vbi fratres, Dei fi- lios, vbi arctiſſimâ propinquitate, ac neceſſitudi- ne coniunctos Cœlites omnes inueniam? Quid ſeruitutem, aut vincula pertimeſcam? Miſer pro- fectò forem, ſi in eam ſeruitutem abduci poſſem, ijſque vinculis aſtringi, quibus a Conditoris mei famulatu (cui ſeruire, regnare eſt) ſeducerer, diuellererque: at cum tum maximè illi ſeruiam, quando eius tuendæ dignitati iſta ſuſtineam, nihil mihi vinculis meis erit optatius. Arctiùs mihi il- la conſtringam, deoſculabor, fouebo, vt quibus æternam mihi felicitatem obligatam noui. In il- lis emori, cum illis tumulari cupiam; Babilam ſanctiſſimum Chriſti martyrem imitatus, qui poſt- quam plures annos, eoſque vitæ poſtremos in vinculis exegiſſet, moriturus mandauit, ne aliter, quàm ſuis vinctus catenis, tumularetur, haud

Humilitatis, ſolitudinis, exilij, & vinculorũ ſolatia.

S. Babilam martyr cũ ſuis catenis tumulari ſe mandat.

valeam; tametſi omni corporis vſu inſtar infantis vtero contenti caream, ipſe quoque vt Ioannes *exultabo infans in gaudio*, vt cui membra detineantur, dum ad ſempiternæ vitæ vſum conſolidentur. Firmari enim tunc mihi oculos credam ſuperno lumini contuendo, cœleſtibus parari canticis aures, iiſdem linguam concinendis inſtrui, caput coronæ, manus ſceptro componi, membra denique tota, ſuæ mortalitatis anguſtijs coarctata, æternitati durari. Stultiſſimus ſim, ſi publico immaturus egredi cupiam, leui quâlibet auræ perimendus iniuriâ. Ah quoties cæcum me fuiſſe, aut ſurdum, aut mancum, debilemque præoptauerim, ne eâ libertate ad horam vſus eſſem, quę me æternis vinculis manciparet. Pygmenium Iuliani Cæſaris olim amicum, cum ei per ætatem obcæcato Iulianus occuriſſet, atque impiè cauillatus dixiſſet; *Gratias ago dijs, o Pygmeni quòd te video*; ſubitò excepiſſe ferunt; *atque ego Deo O. M. quòd te non video*. Inſipienter ille prudentiſſimi Senis cæcitatem riſerat, quam hic ſibi meritò gratulabatur, vt cuius beneficio tam deteſtando monſtro, eiuſque ſceleribus contuendis oculos clauſerat. Quàm nunc mallet vices cum Pygmenio Iulianus mutaſſe, cum iam ex ſuis oculis nihil habeat, niſi vnde perpetuò lachrymetur ea, quæ in vitâ oculatus deliquerat. Iuuat huius nefarij Principis irritum, & vnâ cum ipſo periturum deſiderium cooptare, ac dicere;

Luc. 1. 44.

Pygmenius exprobratâ ſibi cæcitatem gratulatur.

Vtinam ad Numinis iniurias mihi obcæcari, aut quoquo modo debilitari contingat: Mihi parcerem, ſi illi, eò valentior, quò ad mea damna debilior. Tametſi cuncta in me tunc pericula incumberent, modò Deus adeſſet, nullus foret mihi caſus pertimeſcendus, vt cui ſe diuina clementia in caſus omnes, veluti puluinar inſterneret. Intrepidus, ac ſecurus in omnia vitæ pericula pendebo, quando benignam Numinis prouidentiam, quæ me caſurum excipiat, aperto ſinu expectantem aſpiciam.

CAPVT DECIMVM.

De Inuidiæ, & Maledicentiæ vitijs comprimendis.

INuidia, quæ alijs libentiùs inuidentia dicitur, princeps malorum omnium, & radix eſt: proinde æſtimare illam nemo ſatis poſſit, niſi antea, quos pepererit fructus, agnoſcat. Quidquid in orbe terrarum, quidquid in eius medio, atque inferno ſinu malorum clauditur, haud dubiè ex hâc vna radice
Sap. 2. 24. prodijſſe conſtat. *Inuidiâ Diaboli*, inquit Sapientiſſi-

Digitized by Google

tiſſimus Salomon, *mors introiuit in orbem terrarum*: quæ nimirum peſtis ipſum ex Angelo Diabolum effecerat, mortique tradiderat ſempiternæ. Lucifer enim cœleſtis militiæ princeps vnâ cum reliquis ſuarum partium perduellibus ægrè ferentes, vt grauiſſimi Theologi tradunt, ſe relictis hominem in Deum, communicatâ Diuinitate, cooptatum; liuore atrati ſeſe in teterrimos Demones generis humani corruptores, & carnifices deformarunt. Inſpice igitur tartaream illam cuſtodiam infinitos e cœlo, terrâque congeſtos populos immenſis ſupplicijs coercentem: mox contemplatus quidquid inde pœnarum in terram hanc, inferorum corticem, exudat, tecum ipſe diſquire; Quis tantum incendium, tot, tantaſque, ac tam horribiles calamitates mundo intulerit vniuerſo? Certè, ſi qua fides ſapientiſſimis Patribus, vnus liuor eſt de alienâ felicitate contractus. Hic Angelos corrupit, hic homines perdidit, hic inferos ſuo igne ſuccendit. Vtrum igitur tam demens fueris, vt putes, ſi tartaream hanc peſtem in præcordia demiſeris partem tibi vllam felicitatis obuenturam. Vis noſſe quid boni de liuore expectare poſſis, audi vulgatum prouerbium. *Vnum illud eſt in inuidentiâ bonum, quod maximum eſt inuidenti malum*. Torquet enim ſua quenque inuidum inuidia, roditque, vt caries, quæ ſe genuere præcordia: & vt cuncta ſcelera pœnas de ſuis ſumant auctoribus, nullum præ inuidiâ grauiores,

Affectata a malis Angelis diuinitas quænam fuerit.

Suar. tom. 1. diſp. 5. ſect. 4. & diſp. 42. ſect. 1.

Inuidia inferos, & orbem terrarum malis impleuit.

Vnicum inuidiæ bonū, quod inuidū torquet.

res, cetera enim ſui duntaxat mali, liuor & ſui mali, & alieni boni conſcientiâ vritur. *Nunquam erit felix*, inquit Seneca, *quem torquebit felicior*. Ecquis autem ſit, qui ſe non habeat, aut habere putet feliciorem? Cum igitur liuidus tortores habeat, quos putat feliciores, nunquam non in tormentis erit, & quidem ſine commiſerationis leuamine, quia nemo eam, quæ de ſuâ felicitate infelicitas conſtat, tollere, aut leuare deſiderat.

Lib. 3. de ira cap. 30.

Inuidus ſemper torquetur, ſed ſine commiſeratione.

Simul illud deterrimum in inuidiâ obſeruare eſt, quòd nec obſequio, nec beneficentiâ miteſcit: cunctis propterea feris mordacior, quæ officijs mordacitatem remittunt: imò illa efferatur magis, vt quæ alienâ offenditur æſtimatione, quam delata. Æmulis officia adaugent: quò te inuidiæ mitiorem, ac ſuauiorem exhibebis, eò te illa libentiùs, eò auidiùs vorabit. Quę nequitia tanta eſt, ac tam aperta, vt nullo gaudeat, ne apud inuidum quidem patrocinio. Vitiorum reliqua e virtutum viciniâ pallium aliquod mutuantur, quò turpitudinem ſuam aliquatenus tegant: vt a frugalitate tenacitas, à liberalitate profuſio, à prudentiâ metus: at ſola habitat inuidia procul ab omni virtutum confinio, palàm ſibi maligna, ſibique non ſecus, ac ceteris inimica: proinde vbi ceteros momordit, ſuos in ſeſe morſus conuertit: itaque ſe ipſa lacerat, vt Flacco dicere licuerit;

Inuidus ſe ipſe mordet.

In

Inuidiâ ſiculi non inuenere tiranni Hor l. prim. ep. ad Loll.
Tormentum maius.

Illi enim quo igne corpora miſerorum, eodem ſenſum doloris abſumebant: at inuidię flamma inuidentis animum inuiolato ſenſu perurit. Quocirca ſcitiſſimè Martialis, vt inuido peſſimè optet, ipſi eius liuori illum deuouet, ſic penitùs deuorandum, nihil vt alienæ mordendum inuidię relinquat. *Omnibus inuideas Liuide, nemo tibi.* Mart. l. pr. epigr.

Porrò ſi qua alia animi affectio mentem excęcat, maximè inuidia eſt, quæ obliquis oculis, vel malignè apertis ſemper aliena deſpectat: inde inuidia dicta, quòd non videat, quæ cetero-qui ſplendidiùs micant: haud enim oculi vident, quæ videre non ſuſtinent: cuiuſmodi eſt alienæ dignitatis fulgor, quem imbecilla inuidi acies tolerare non poteſt: propterea ſemper obſcura veſtigat, res omnes a deteriore parte contemplatur, & iudicat, alienis damnis, tanquam ſuis emolumentis recreata. Quâ in re muſcarum perſimiles inuidi ſunt, qui ſalubria præteruolantes, corruptis, & vlceroſis inſiſtunt: ibi fodicant, ibi epulantur, ibi tripudiant: itaque fit, vt ſanie, cruore, putredine paſti, nihil, niſi putridum, halare queant. Hęc enim potiſſima eorum maledicentię cauſa: nihil præter malum de alijs norunt, idque eructant, vomuntque quo pleni ſunt. Inde autem commune odium in illos exiſtit: non eo-

Inuidia maximè omnium animi morborum mētē excęcat.

Inuidi maledici, atq; inde cunctis odioſi.

eorum modò, quos ſuis morſibus petunt, verùm, & reliquorum, qui adſunt, & fortè comprobant, ne obloquendo in ſe periculum trahant. *Abominatio* hominum *detractor*, inquit ſapiens: quiſque enim ſuam rem agi putat, ædes vbi proximę comburantur. Eſt verò tam addictum inuidiæ publicum odium, vt hoc ſæpè inuidiæ vocabulo ſignificetur: iam enim inuidiâ premi, aut flagrare, non tam inuidum eſſe, quam publicè odioſum ſignificat. Quare cum graues omnium, & mortalium, & ſuperum, & ſui etiam ipſius inuidus offenſiones incurrat; nullam pacis, ac tranquillitatis ſpem reliquam habet, niſi maleuolentiam pariter, & maledicentiam compreſſerit.

Prou. 29 9.

Inuidiæ ſimul, & Maledicentiæ remedia.

Ergo vnâ operâ morbus vterque emendandus eſt, quando alter enaſcatur ab altero. Poteſt enim, & aliunde maledicentia oriri, pręſertim a ſuperbiâ, quæ de ſuo humilis, & puſilla extare non poteſt, niſi cuncta proſternat, ac proterat. Quę autem ab inuidiâ profluit, fonte exiccato, areſcat, neceſſe eſt. Tollitur autem inuidia triplici potiſſimùm ratione; Fraternâ in alios caritate; Rerum humanarum contemptu; Felicitatis æternæ deſiderio. Caritas id agit, vt homines primò animis, & voluntate, deinde rerum, & fortunarum communione ita inter ſe iungat, vt quiſque amicum, veluti ſe alterum ſui ipſius amore complectatur: proinde tam longè abſit ab alterius inuidendâ fortunâ, quàm a ſuâ, cum ſuam

Primum remediũ Caritas.

fecerit

Digitized by Google

fecerit alienam. Quemadmodum enim hoc magis hortulos noſtros diligimus, quo illos pomis, floribuſque, ac vario frugum genere magis refertos, & luxuriantes cernimus; ita tanto nobis amici cariores ſunt, quanto illos ingenio, gratiâ, opibus, auctoritate, ceteris item naturæ, ac fortunę muneribus florentes conſpicimus: ex ijs enim floribus fructus nobis prodeunt iucundiſſimi. Denique nos ipſos amare nobis videmur, dum noſtri amatores amamus, quemadmodum, & nos laudare, dum laudatores noſtros laudamus: etenim laus amor quidam eſt in verba prolatus. Contemptus quoque rerum humanarum, etiam quos caritate minimè dignos credimus, noſtræ inuidentiæ ſubducit: quis enim boui plena fœno præſepia, aut Sui quercum glande refertam inuideat? atqui ſapiens diuino illo Oraculo inſtructus; *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos fœni*, eodem loco habet belluæ cuiuſque ſaginam, & quidquid hominum fortunam implet, eodemque homines his fortunis ſaginatos, ac tumidos, quo belluam de ſuâ ſaginâ tripudiantem. *Inde vobis ira, & inſania eſt*, inquit Seneca, *quòd exigua magno æſtimatis*. Idem tu de Inuidiâ dicito, cuius inſaniam tunc demum ſanitati reddideris, cum exigua ſuæ exiguitati reſtitues. Denique amor æternæ felicitatis inuidiæ, ac liuoris reliquias, ſi quæ ſuperſint, extinguet. Qui enim opulentiſſimo inhiat ſupernæ hereditatis patrimonio, quod cohe-

Secūdum. Contēptus rerum humanarum.

Is. 40. 6.

Lib. 3. de ira cap. 34.

Tertium æternæ felicitatis deſiderium.

Ee re

redum numero non minuitur, ſed augetur (nam & ipſorum Conſortium ad patrimonium pertinet) haud vllam inuidiæ cauſam habet. Siquidem terrena hæc bona pro telluris anguſtiâ, & competitorum multitudine partita, quantum vacuitatis in cuiuſque pectore, tantum liuori locum relinquunt. Contra quo plures de vno illo infinito Bono gaudent, quod totum ſingulis datur, hoc plures in vnum coeunt, ſingulique ſuam in commune lætitiam afferentes, publicam augent, omni vt liuoris causâ, ita & liuore ipſo proſcripto.

Supplicium de inuido, diuinitus ſumptum.

Libet in maledicæ inuidiæ remedium ſupplicium de illâ diuinitus ſumptum adiungere, vt a pœnâ per æquiſſimum Iudicem conſtitutâ, tanquã ab vmbrâ æquali, ſceleris magnitudinem dimetiri liceat.

Ex Caſſ. coll. 18. cap. 15.

Fuit in celebri apud Ægiptios cænobio, cui Vir preſtantiſſimus Iſidorus præerat, Adoleſcens eximiâ virtute Paphnutius nomine. Is quãtum gratiæ apud ceteros erga ſuam integritatem formâ, atque ætatis flore vernantem, collegerat, tantundem apud Inuidum quendam, eiuſdem cænobij monacum, liuoris, & maleuolentiæ: qui etiam, vt Sancti Adoleſcentis nomen labe aliquâ aſpergeret, ne fortè ſua fœditas ſine exemplo, ac veluti ſine pari extaret; hanc illi calumniam ſceleratâ fraude compoſuit. Eius conclaue furtim ingreſſus inter palmarum texta, monaſticæ occupationis materiam, codicem ſuum eo artificio abdidit, vt furtiuum, atque alienum eſſe ex loco

ipſo,

Digitized by Google

ipſo tam alieno ſuſpicari poſſent, qui inuenirent. Deinde ad cœnobij Præfectum accurrens, acriter apud illum conqueritur, ſibi ab aliquo monacorum codicem e cubiculo ſublatum, petitque non tam ſuæ (aiebat) quàm communis ſecuritatis ſtudio vt in ſingulis eorum cubiculis, dum monachi in templo diuinas laudes perſoluerent, conquiratur. Præfectus, re maturè conſideratâ, tribus ſenioribus quærendi codicis negotium committit, qui adhibità diligentià compertum coram illo, cunctiſque ad id vocatis monaſterij Patribus protulere, reum clamantes Paphnutium. Mirari omnes rei nouitatem, & quiſque proximum dubius intueri, factum ne, an calumniam credere, atque execrari deberet. Procumbit continuò tametſi ſuæ conſcius innocentiæ Paphnutius, & veniam precatus in pœnas ſeſe offert, quaſcunque dare iuberetur. Præfectus præ ceteris vehementer obſtupuit, indoluitque in ſuo monaſterio, ſuam, vti putabat, ob negligentiam vel alienæ rei furem adeſſe, vel famæ. Et licèt Paphnutium adduci vix poſſet, vt reum exiſtimaret; fide tamen priuatâ publicæ poſthabitâ, acri illum obiurgatione acceptum hâc impoſitâ pœnâ dimiſit; Vt ad templi fores veniam ab introeuntibus in genua receptus poſtularet, dum dignum ſcelere ſupplicium ſtatueretur. Binas hebdomades id probrum ſuſtinuit integerrimus Adoleſcens, quibus elapſis, Deus, qui hactenus tantæ conſtantiæ ſpectator adfuerat, vt iam

exemplum ſtatueret malæ cædentis inuidiæ, voluit vt idem, qui ſceleris inuido auctor fuerat, eſſet buccinator, & vindex. Malus enim Dæmon e corruptore ſubitò carnifex, arreptum inuidum ita in ore omnium miſerabiliter diuexauit, vt ſuam illum teſtari culpam, toto ordine fraudis expoſito, veluti in quæſtione, ac tormentis compulerit. Tunc autem aſtantes vniuerſi in preces effuſi, miſero illi propitiare Numen, nonnulli etiam e grauioribus Patribus, ſacro carmine adhibito, Dæmonem pellere nitebantur: At is non antea diſceſſit; quàm Paphnutius ipſe, cuius illi virtus intolerabilis erat, accedens ſuâ preſentiâ, & contactu fugaret. Acceſſit enim Iſidori iuſſu mitiſſimus Adoleſcens, atque infelicem monachum arctè complexus mortiferum ſpiritum, tam feruidæ caritatis impatientem exhalare coegit.

Diaboli opus calumnia.

Duo hic animaduertere libet: Alterum eſt, Diaboli opus eſſe calumniam, a quâ (vt quiſque a ſuo opificio artifex) nomen deſumpſit: διαβολία enim calumnia, & διάβολος calumniator latinis dicitur: quare qui calumniam alteri intendit, vel Diabolus eſt, vel efficitur: Alterum, non eſſe inuido illi pœnam inflictam, ſed oſtenſam, & condonatam: proinde qui inuidiæ, & calumnioſæ maledicentiæ crimen, quantum ſit æſtimare voluerit, ipſam pœnam, quanta ſit, metiatur, oportet: quod quatenus fieri poterit, inſequens caput pro viribus edocebit.

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

Extremum cupiditatum remedium ſempiterni Supplicij recordatio.

QVæ (malùm) inquies, dementia iſta eſt, beatam vitam quærentibus inferorum ſupplicia referare? Nihil ſapientius, mihi crede: diuinæ mentis conſilium, cuius ego adſum interpres, fuit; Vt beatam mortalibus vitam tribueret, miſeram comminari. Hæc ad illam, fugando pellit, gratiſſimâ pulſis poſt euentum ſeueritate. Ita planè res eſt: tartareus ignis Cœleſte Regnum impleuit, eòque, quot ex Angelis ademit, totidem ferè ex hominibus reſtituit: qui Lot imitati ſeſe in montem recipiunt, terræ, quam incolunt, incendium euaſuri. *Initium Sapientiæ timor Domini:* Finis autem, & abſolutio caritas: Hanc timor in animum inducit, vt egreſſus relinquat: acui linum trahenti perſimilis, quę pungit, vt lino (quod nectentem cum Deo caritatem refert) locum aperiat, idque in egreſſu relinquat. Perfecta enim caritas animum

Tartara cœlũ replent.

Pſ.110,10.

genriſ-

ingreſſa pungentem metum, quo vſa eſt viatore, 1. Io. 4. 18. foras mittit, vt Ioannes inquit, atque intus ipſa manens animum cum ſuo amatore coniungit. Cogita, ob pericula huius ęui minora ſępè crinem timentibus, ſępiùs mentem incanuiſſe. Cogita, vt repentina domeſtici incendij conclamatio, aut vicini ſoli ſubſidentis labes, ſubitò rixantes diremit, & furem cohibuit, & prędam ex ipſo Leonum ore decuſſit. Iam in propinquo eſſe cogitandum eſt, terrę, quam incolimus, labem, eamque nobis incendium pandere ſempiternum. Si id non metuimus, ſi ad officium non reuocamur, intrepidi quidem ſumus, & fortes, ſtipitis tamen, non hominis fortitudine, quę vera eſſe non po-

Vera fortitudo ſine Dei metu non eſt.

teſt, niſi ex ipſo Dei metu deſcendat: per hunc enim ſolum in pericula agimur vniuerſa, vt prępotentis Numinis iram declinemus: quidquid autem Dei metus non firmat, infirmiſſimum eſt, & mollia ęquè ac dura flectere illud valent, ac frangere. Itaque haud ab re fuerit infernos ignes beatam vitam quęrentibus reſerare, vt ſi quo morbo, mitioribus remedijs contumaci adhuc teneantur, hàc veluti vſtione adhibitâ, conualeſcant. Ne tamen metus iſte vllum ſui timorem tibi incutiat, ſed clipeum exhibeat ad defendenda mala, quę metuis, ipſumque ſecurus exci-

Cum diuino timore, ac tremore effuſa conſtat lętitia. Pſ. 2. 11.

pias; hoc tibi diuinâ fretus auctoritate poſſum promittere, non interim talia metuenti gaudium defuturum, imò ne trementi quidem effuſam,

ſeu

Digitized by Google

ſeu geſtientem lętitiam. Accipe ad huius promiſſi firmitatem diuini chyrographi cautionem: *Seruite Domino*, inquit Regius vates, *in timore, & exultate ei cum tremore*. Vide tremorem cum exultatione in diuinâ hâc ſuaſione, & conſilio coniunctum, & puta ea duo ęquè poſſe inter ſe, re ipsâ coniungi, ac non poſſe Deum imprudentis conſilij eſſe auctorem. *Timor Domini*, inquit pręterea Eccleſiaſticus, *ſicut Paradiſus benedictionis*: & rurſus; *Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis*. Denique *Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium in longitudinem dierum*. Quibus verbis quid ad rem propoſitam luculentius, quid certius ad fidem dici queat? Non igitur timor Domini vitę pręſentis gaudia, ſed morbidas cupiditatum affectiones, gaudiorum, imò & vitę ipſius corruptrices, terret, fugatque. Eccl. 40. 28. Idem 1. 11. Id. 1. 12.

Vt ergo ad huius tam ſalubris pariter, ac iucundi metus cauſas aperiendas accedamus, tria nobis pęnarum genera, quas apud inferos ſceleſti pendunt, conſideranda ſunt. Primùm ea erit, quam Theologi noſtri *Pœnam ſenſus* appellant: deinde, quam *Pęnam damni*: poſtremò pœnę ęternitas vtriuſque. Quod attinet ad primum; ſuus quenque ſenſum, vt e ſacris litteris, vel Patrum auctoritate conſtat, dolor afficiet. Oculos torquebit malorum Dęmonum aſpectus vſque adeo triſtis, ac truculentus, vt nulla ei tolerando ſa- Tria pęnarum apud inferos genera. Pęna ſenſus.

tis

tis eſſe queat mortalis fortitudo. Catharina Se- nenſis illorum vnum aliquando intuita, malle ſe affirmauit, vti eius narrat hiſtoria, nudis pedibus ad nouiſſimum vſque diem ignitam laminam, vel ardentes prunas calcare, quàm iterum tam horrendo monſtro vel ad momentum percelli; tametſi re verà non Dæmonem, vt Chriſtus illam ſubinde monuit; ſed eius vmbram, ac ſpeciem humanæ accommodatam fragilitati conſpexerit; haud dubiè moritura, ſi monſtrum ipſum retecto vultu contemplaretur. Bone Deus, quale igitur id fuerit tormentum, quod vt vitaretur vel ad momentum, ignis, tormentorum maximum, diutiſſimè tolerandus prçoptabatur? Huiuſmodi immaniſſima, atque horrenda portenta, non vnum aut alterum, ſed planè innumera, nec ad momentum, nec in vmbrâ mortalibus oculis temperatâ, ſed in omne æuum, atque in re ipsâ ante oranocentium obuerſabuntur. Adijce innummeras nequiſſimorum hominum animas, quas non ſingula peccata fœdarunt, ſed pleraſque quàmplurima, eaque maximè nefaria, nunquam ad vltimam vſque, & longiſſimam ætatem intermiſſa. Si Dæmones ob vnum crimen tam turpes, quid homines, naturæ ceteroqui vilioris, ob infinita? Adijce vnicuique miſerorum ſui ipſius conſpectū, nunquam ex oculis receſſurum: cuius fœditas longè ſpectanti, quàm externa quælibet, triſtior: longè enim intolerantiùs ſuam quiſque faciem.

ciem vomicâ aliquâ, aut carcinomate dehoneſtatam cernit, quàm alienam.

Conſentanea oculis reliquorum erit ſenſuum perpeſſio. Aures ferient perpetui eiulatus, illis ſimiles, quos dum hìc audimus, ſimiles tartareis dicimus. Id tamen inter vtroſque intereſt, quod inter imaginem, & exemplar: atque illud præterea, quòd hìc raró, & breui, ibi innumeri, & ſemper ex vniuerſo illo immani antro reſonabunt, nec alio, quàm rabidarum mentium ſolatio interrupti, iactatis ſcilicet in ſuperos contumelijs, quę tamen nonniſi iactantes fatigent, dilanientque. Naribus qualis odor paretur, hinc diſcas licet; quòd Philippus Nerius, quorum ſacras confeſſiones exciperet, tantâ ſcelerum graueolentiâ offendi ſolitus fertur, vt grauius nihil in toto vniuerſo fore cenſeret: dum interim non deſint, quos e latrinâ ſubitò erumpens fœtor extinxerit: Cuius rei teſtem me ipſe profero, qui Romæ hominem vidi hoc lethi genere extinctum, dum domeſticam cloacam vacuaturus perrumperet. Quis autem æſtimare queat, quantum fœtoris futurum ſit in cloacâ illâ omnium maximâ, in quam totius vniuerſi colluuies defluit, totque peſtilentium animorum cadauera congeruntur? Linguam, & palatum vel fames, aut ſitis, ne guttâ quidem aquæ mitiganda, vt Epulo indicat euangelicus; Luc. 16 25. vel ſulphuris eliquati potiones, quas ſanctiſſimi Viri ſibi per viſum teſtantur oſtenſas, horrendum

in modum infeſtabunt. Denique ſenſum tactus toto corpore fuſum ignis eiuſmodi circumcludet, diuexabitque, cui noſter hic ignis collatus pictus nonnullis Patribus dicitur: nec immeritò, nam inter illos, ac Theologos conuenit, tam acrem futurum, vt vltra corpus, ſit in animum quoque diſcruciandum penetraturus. Iam perpende ſi apud inferos alia nulla pręter ea, quæ diximus, ſupplicia tuis eſſent parata libidinibus, eaque tamen coram ſpectares; an non continuò, tametſi flagrantiſſimæ illæ eſſent, reſtinguerentur, ac penitùs refrigeſcerent? At hæc puerorum terriculamenta ſunt, ſi cum ijs, quæ ſuggeram conferantur.

Pœna damni grauior, ſed explicatu difficilior.

Altera longè grauior apud inferos pœna erit, quæ ex infinito damno, ſeu ex infiniti boni iactura conſurget. Hęc vtique infinitè torquere valida eſſet, niſi laborantis animi modus, & anguſti fines infinitam doloris portionem excluderent, eâ tamen retentâ, quæ complere, & cumulare cuiuſque patientiam valeat. Tametſi autem hoc ita ſit, difficiliorē habet damni pœna, quàm ſenſus explicationem, pręſertim apud eos, qui rerum ęſtimationem omnem ſenſibus committunt, nihil vt ratum habeant, quod eorum teſtimonio non comprobetur: proinde æſtimare nequeunt, quid doloris ſit animo allatura diuini conſpectus ademptio, quę in vitâ ſenſibus grauis non eſt, vt qui per eam nihil ſibi ſentiant ademptum.

Non-

Nonnulli, vt oculis quoque tantum detrimentum, quoad eius fieri poſſit, ſubijciant, bonorum proſcriptionem in exemplum aſſumunt. Hæc enim quò plura, & maiora nobis adimit bona, hoc acerbior contingit: ſic vt quos ex amplâ, atque illuſtri fortunâ in obſcuri laris anguſtias redegit, quaſi coopertam flammam, latebras indignatam, extinxerit. Multa in eam rem ſuppetunt exempla, quorum delectus plus habet negotij, quàm inquiſitio. Vnum, aut alterum profero ex magis repoſitâ antiquitate, quibus par ætati acceſſit auctoritas. Sardanapalum poſtremum Aſſiriorum Regem, vbi ab Arbace regijs copijs præfecto, (qui eam monarchiam ad Medos traduxit) ſe victum, inque eius manus poſt paulò venturum ſenſit, tanto dolore oppreſſum ferunt, vt ſatius habuerit accenſę pyrę ſeſe cremandum tradere, quàm victoris famuli iugum ſubire, ac fortunam ferre. Saulem quoque ſacrę litterę memorant, re malè cum Philiſthęis geſtâ, cum nullam regnandi ſpem ſupereſſe cerneret, ſuo gladio incubuiſſe, vitamque recuſaſſe, quando viduatam imperio ducere cogeretur. Malè ſanus vterque quorum vitam inanis ſuſtentabat ambitio: at eorum inſania noſtrę in tutelam ſanitatis veniet, ſi vti illâ nouerimus. Confer Sardanapali, ac Saulis Regnum cum eo, quod amiſſum noxias animas apud inferos lancinat. Illud terrenum erat, ſiue ad terreni huius puncti anguſtias coarctatum; hoc in ampliſſima

Iuſtin. l. p.

Sardanapalus ob amiſſum regnũ ſe in ignem deijcit.

1. Reg. 31. 4.

Saul eâdem de cauſâ gladio incubit.

Cœli ſpatia procurrit: Illud ad paucos dies, eoſque incertos; hoc in omne ęuum diſtenditur, tamque finem, quàm finis metum ignorat: Illud infinitis curis, moleſtijs, angoribus premebatur; hoc infinitâ voluptate circumfluit: Rex denique in illo ſub Regni nomine durum populis, quorum Rempublicam adminiſtrabat, exhibebat miniſterium; in hoc regię habet potentiæ, ſine adminiſtratione, prouentus. Si igitur illius vanitatis iactura, nec ſine aliquâ recuperandi ſpe, fidiſſimâ vitæ comite, tantum habuit acerbitatis, vt ignis, ac ferrum lenimento fuerint: quantum habituram conſentaneum eſt credere cœleſtis huius, ac ſempiterni imperij iacturam, ſpe nullâ mitigandam, non ferro, aut igne delendam, verùm inchoandam, & ſuccendendam?

Si tãtus ex terreni regni iacturâ dolor, quãtus ex cœleſtis.

Pœna damni amaſiæ iacturâ explicatur.

Aptius huic damno, eiuſque pœnæ explicandæ exemplum eorum erit, quos puellæ alicuius amore captos ſubitus demortuæ, vel nuptæ riuali nuncius exanimauit, ſeu etiam (quod ſepiùs accidit) voluntariam in mortem egit. Vt tamen exempli huius collatione cœleſtium nuptiarum amiſſionem æſtimare pro dignitate poſſis, illud mihi primùm docendus es; Impias mentes, poſtquam corpora dimiſere, ab Auctore naturæ rerum omnium imaginibus, earum præſertim, quæ ſub ſenſus non cadunt, pleniſſimè inſtrui: inde autem in eam diuinitatis notitiam venire, quâ rebus omnibus optatiſſimis præoptandam illam agno-

agnoſcant: inque eius deſiderium tam vehementer exardeſcant, vt toto amoris impetu in Deum, tanquam in infinitę voluptatis materiam ferantur. Hoc enim amoris genere, & lapis centrũ, & ignis ſphæram, & ſuum quiſque bonum, naturâ deducente, proſequitur: quid enim dolerent apud inferos impij de Numinis abſentiâ, niſi illud aliquâ ſub notione diligerent? Acerbè tamen eodem tempore Deum vt tortorem oderunt, quemadmodum ſeruus, quo tempore Dominum, a quo vapulat, auerſatur, eodem amat, cupitque diù viuere, vt in cuius vitâ ſuam quoque verti, ſeque inde ſuſtentari cognoſcit. Si igitur lutei iactura figmenti (vt ad exemplum reuertamur) deſiderantes exanimat; quo dolore miſeras nocentium animas afficiet ſummi, infiniti, atque etiam vnici boni amiſſio, cuius pulcherrimam apud ſe imaginem perpetuò retinent, & contemplantur? Ægri quorum palatum non vitiauit infirmitas, eò auidiùs feruntur in epulas, quò magis reliquis voluptatibus excluduntur. Quod enim deſiderium in plures volùptates ſanus, validusque diſpertit; hoc ægrotus in ſolam edendi voluptatem, exors reliquarum, coniungit: quò fit, vt iracundiam illi, nonniſi magnâ virtute cohibendam, menſa vel negata, vel dilata, vel malè condita ſollicitet. Cum igitur miſeræ inferorum animæ cunctis voluptatibus, earumque facultate, atque appetentiâ careant, non habent, quò deſideria ſua partiantur.

Naturalis Dei amor cũ odio in damnatis cohæret.

tur: proinde in infiniti illius boni voluptatem, ſibi olim deſtinatam, omni deſideriorum agmine incumbunt, ſummâque vi, & conatu feruntur: non alio tamen euentu, quàm vt parem conatui ictum repulſæ ſentiant, ac ſuo ſeſe impetu non ſine immenſo dolore, feriant, rumpantque.

Cur in vitâ diuini conſpectus adẽptio non cruciet.

Hinc mirari non debes, quid ſit, quòd mortalium pleroſque, dum in viuis agunt, tanta diuini conſpectus incuria teneat, vt eo adempto (qui ſummus inferorum dolor eſt) nullo mœrore, aut curâ tangantur. Primùm enim ignorantia, vt ſenſum ad intelligentiam, ita & ad dolorem eripit, eique veluti ſtuporem inducit. Deinde ſi quid ſenſus ad vtrunque ſuperſit, multiplici rerum in vitâ amabilium varietate auocatur, quo minùs dolori vacet. At infelices illas improborum animas, nec ignorantiæ torpor, nec vlla voluptatum, aut rerum gerendarum auocatio lachrymis, ac dolori ſubducet. Quemadmodum enim cœleſte illud, quod *Lumen gloriæ* Theologi vocant, & Beatorum mentes in poſſeſſionem diuinitatis inducit, eò vberiùs affulgebit, quo quiſque ſuis rectè factis plus de diuinitatis fructu promeruit; ita tartareæ mentes tartareo quodam lumine, pro ſcelerum grauitate temperato, perfundentur, quo in amiſſæ poſſeſſionis æſtimationem, paremque dolorem deueniant. Quare cum ibi futura ſit ſumma ceterarum rerum immunitas, atque ab occupationibus otium, non alia illis, niſi luctus;

Tartareum lumen Lumini gloriæ ex aduerſo reſpondes.

&

& lachrymarum de infiniti boni iacturâ occupatio erit.

Poſtremum, idemque longè maximum inferorum ſupplicium Æternitas erit, tota per expectationem minimè dubiam anticipata, & quodammodo ad initium reuocata. Licèt enim ea in infinitam longitudinem diſtendatur, nec niſi momento vno ſemper miſeros feriat; ſe tamen totâ, quanta quanta eſt, æneî arietis inſtar in momentum illud incumbit, eoque miſerorum mentes quatit, ac deijcit. Perpende igitur, quam longa ſit, vt ſimul quàm ferire valida, intelligas. Adhibe eas comparationes, quas fortè tenes, ſed otioſas, in mente. Reputa vniuerſum ſupremi cœli ambitum rebus ceteris vacuum tenuiſſimâ arenâ ab imo ad ſummum impleri: deinde ſingulis annis granum ex illis vnum ab Angelo demi, certoque in loco vltra mundum ſeponi, quoad immenſa vis illa pulueris exhauſta alterum veluti orbem arenarum confecerit. Dic, rogo, quantum putas, tot annorum millibus de æternitate detractum? multum haud dubiè: ſed ſi, quantum ſuperſit, inſpicias, detractum nihil veriſſimè cenſebis, quòd illa, vt antea in ſuâ infinitate integra perſeueret. Extende annos illos in luſtra, in ſecula, in centurias, in myriadas ſeculorum, denique in numerum, quem potes maximum mẽte perſequi, & repleto iterum Cœli ſinu, iterumque detractis ad ſtata illa tempora arenulis, atque

Vtriuſque pœnæ æternitas. Quo pacto tota ſimul torqueat.

que exhauſto earum numero denuo cogita, num ſit aliquid de æternitate imminutum? Ablatum quidem longè plurimùm de æternitate, ſed imminutum planè nihil intelliges: ad eum ferè modum, quo ſi de fluuio perenni vacuum impleſſes oceani alueum, immenſam certè aquarum vim ex eo detraxeris; at fluuius nihil imminutus, perinde vt antea, plenus efflueret. Iterum cogita, iterum detrahe, iterum, atque iterum computa: ſemper magis, magiſque cognoſces æternitate computationem omnem in infinitum exuperari. O igitur æternitas, quæ vel ſola mortalium mentes torques, & opprimis, quid comitata, quid armata malis efficies? An non te comite leuiſſima cuiuſque moleſtiæ vellicatio in infinitæ vulnus acerbitatis euadat? Culcitra ipſa, vtcunque mollis, ſi æterna cubanti, nec dormituro ſedes futura ſit, intolerabile ſupplicium exhibebit: qualem pœnam exhibituros putem immenſos corporis, maiores animi cruciatus, ſi cum æternitate iungantur? Cogita quiſquis hæc legis, malorum, atque acerbitatum quantum plurimum vales: voca in auxilium figmenta, ea præſertim, quæ magnitudine fidem excedunt: necte hyperbolas, finge pœnarum monſtra: deinde confer cum veris; ſemper tuæ mentis cogitationem tam citra verum inuenies, quàm vltra illam procurrit æternitas.

Lectus inſomnis cū æternitate coniunctus ſupplicium intolerabile.

Inferorum pœna omnem mentis fictionē ſuperat.

Ioannes ille Chriſoſtomus, qui ſuæ doctrinæ pretium ſuo cognomento declarat, ea diuini oraculi

culi verba, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum*, veriſſima eſſe, ait, etiam odio habentibus accommodata: nimirum, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus odio habentibus ſe*. Quam ob rem tanti Viri auctoritate, nec non præmiſſis rationibus fultus ita locum ſceleribus meis ad inferos deſtinatum interdum comminiſcor, certus fictionem ſemper futuram veritate minorem; itaque mecum ipſe diſſerere ſoleo; Si mihi (quod Deus omen auertat) ob mea ſcelera locus ita ibi eſſet compoſitus, vt piſtoriæ fornacis ſpeciem imitaretur, non ex vulgari tamen cemento factus, ſed ex ære fuſus, eoque vltra communem ignis feruorem candente, teſtudine autem tam depreſsâ, vt iacentem me tantummodo, non ſtantem poſſet admittere: aditu verò, ſaltem poſt ingreſſum, omnino careret, conflatis oſtij rimis, deletiſque veſtigijs, ſic prorſus, vt in omnem partem æquabilis murorum craſſitudo, centena vel millena paſſuum millia decurreret. Si, inquam, in hunc locum tam horrendum poſt vltimam illam, ac decretoriam ſupremi iudicij ſententiam vnâ cum corpore includerer, eòque ingreſſus fornici inſcriptum ſubitò inſpicerem; HÆC TIBI SEDES IN ÆTERNVM ERIT: nec de rei veritate vlla mihi incideret dubitatio; quid, quæſo,

1. Cor. 2. 9.

Fictus, ſed vero mitior apud inferos locus.

ſo, ſimul ingreſſus atrociſſimo illo igniti æris feruore, atrocioribus characteribus me combuſtum ſentiens, efficerem? Profectò ſi mori poſſem, illico tantæ ſuccumberem acerbitati. At, *quærent homines mortem*, inquit Ioannes, *& non inuenient, & fugiet mors ab eis*. Saltem ſi inſaniendi locus eſſet, protinus a mente diſcederem. At mentis intelligentia, & ſenſus augebitur, vti antea monuimus, non minuetur ad dolorem. Quid igitur agã? Clamem ne, exclamem, Superum fidem, clementiam implorem? lachrymis, queſtubus, lamentis conficiar? At quorſum, cum nemo audiat, niſi qui clamoribus tuis perinde, atque aſpidis combuſtæ crepitu, gaudeat? Talis contra eum fuiſti, talis haberis. In diras, credo, in execrationes, in rabidas contra ſuperos voces erumpam: Stridebo, immugiam, vlulabo, pectus vnguibus, manus, & lacertos morſibus appetam, caput ſolo, teſtudini allidam, centies, & millies in omnem partem verſabor, torquebor, defatigabor; Quid tum? Vbi me integrum diem, vbi me annum totum, vbi centum, ac mille annos ita iactauero, occurreritque nihil me hactenus profeciſſe, nihil omnino in poſterum profecturum; æneam ſtare Sententiam, pluſquam æneum Iudicem, tam certò inexorabilem, quàm immutabilem; quid agam? quò me infeliciſſimum vertam? Quid conſilij capiam? Quieſcam ne? æquo animo feram? Silentio neceſſitati parebo? At quo tandem pa-

Ex apoc. 9. 6.

cto

ĉto malorum extrema nunquam deſitura tacitus patiar, is, qui comediæ, vel maximè iucundæ vltra tertiam, quartamve horam productæ aſſidere vnquam ſine execratione non potui? Quid igitur (rogo iterum, ac ſæpiùs) faciam? quid mente reuoluam? quid comminiſcar? Velim, nolim, ea mihi ſedes in æternum erit: inde nunquam exeundum: non radius lucis: non auræ frigidioris ſolatium ad me aſpirabit vnquam: non amici, aut propinqui ad patientiam adhortantis verbum exaudiam: non rei vllius ſpecies, non recordatio iucunditatis, præterquam momento tranſactæ, & æternum promeritæ, atque oggerentis ſupplicium, obuerſabitur. O æternitas! o intolerabilia pariter ac ſemper toleranda ſupplicia! o horrenda cupiditatum monſtra! hæc ſunt oblectamenta, quæ promiſiſtis: huc tandem veſtræ inſidiæ ſpectarunt: hìc abiectâ ſimulatione veſtros vultus retegitis. O ſi mortales ex hoc pretio libidines ſuas æſtimarent; profectò æquè voluptatum illecebras, atque indictam illis a Supremo Iudice multam exhorreſcerent. Quin veriſſimum fore puto, quod a ſapientiſſimis Patribus dictum audiui, vt ſi Deus vniuerſo hominum generi coram ſpectandas teterrimas Erebi pœnas proponeret, atque vni duntaxat ex omnibus ſubeundas comminaretur; omnes ſubrectis horrore crinibus contremiſcerent, abiectâque rerum humanarum curâ in ſolitudinem, tantæ infelicitatis

Ex pœnâ ſoluēda culpæ malum æſtimandū.

 effu-

effugium meditaturi, accederent. Nobis tellus prouidè ad vitam in eâ degendam opacata eſt; metu perituris, ſi pellucida, ſubiecta monſtra patefaceret. At o cæcas hominum mentes, an non Deo teſte compertum habemus, ſupplicia illa atrocitatem ſuam vltra noſtrorum oculorum aſpectum in infinitum extendere? nec vni ſubeunda eſſe; ſed tam multis, vt præ illis paucos Chriſtus in ſacris litteris eximendos dicat. Matt. 7. & 20. & alib. Quo igitur metu, quâ ſollicitudine par eſt, noſtræ nos ſaluti conſulere, & contumaciſſimis, atque ad tam horrenda ſupplicia perducturis obſtare libidinibus?

Hæc de frangendis cupiditatibus dicere habuimus. Licèt enim quarundã leuiorum mentionem nullam fecerimus, nullius tamen remedium omiſimus: nam quæ grauioribus morbis præſcripta ſunt, citiùs leuiores extinguent. Præterea quanquam nos minimè latet, etiam mortis, ſupremique iudicij metum ad animos compeſcendos plurimùm valere; tamen ab eo vrgendo abſtinuimus, quòd telum vtrunque non niſi inferorum ſupplicijs veluti præfixum, & cuſpidatum terreat: Pœnâ enim tam atroci ſublatâ, omnis iudicij diuini, mortiſque metus hebeſcit. Duo tamen generatim commonemus; alterum eſt, cupiditatum nullam beatè viuere cupienti contemnendam eſſe, ac ſine freno relinquendam: quia minima quæuis in maximam, ſi nutriatur, nihil non auſuram,

Minima quæuis cupiditas maxima, ſi nutriatur, fit.

ſuram,

ſuram, excreſcet. Cernere id licet in Chriſti ſeruatoris noſtri cæde, cui ſcelus par nunquam fuit, tametſi nulla non in illam cupiditas propemodũ conſpirauerit: Iudæ auaritia, Pontificum, & Sacerdotum inuidia, Phariſęorum traducta hypocriſis, ac detectę pudor obſcęnitatis, Hęrodis ambitio, Pilati metus, atque imperandi libido, plebis, ac miniſtrorum adulatio, populi denique vniuerſi concitata, ex frequenti reprehenſione iracundia: quiſnam crederet auaritiam, adulationem, metum, aliaſque eiuſmodi mitis ingenij cupiditates tam execrabile facinus auſuras? Furor eſt autem inde vitę humanæ præſidia ad felicitatem expectare, vnde diuinæ, beatęque ſuprema pernicies, ac tantum miſeriarum acceſſit. Nec ſatis tibi conſultum puta, ſi pręcluſis reliquarum cupiditatum hiatibus vnum aliquem apertum dimiſeris: plus enim timoris obſeſſis ciuibus porta vna affert iam reſerata, quàm centum clauſę ſecuritatis. Vt in te omnes ſeſe tartarei ſpiritus fundant, rima quęlibet tuę voluntatis ſufficiet, hoc eſt vitium, quod in eâ faciat quæuis malè compreſſa cupiditas.

Alterum, quod monemus eſt non leuem quamlibet ad perpetuam, & ſecuram in hàc ærumnosâ vitâ tranquillitatem ſatis fore cupiditatum compreſſionem, ſed magnam requiri, perfectamque, per quam nimirum ita ſui corporis, animique patientiam aduerſis omnibus quis obſirmaue-

Digitized by Google

rit, vt malorum perpeſſio in quandam ſenſus veluti duritiem occalluerit, & quaſi loricam ad noua vulnera e veterum cicatricibus natura confecerit, nec iam inter cędentis, aut palpantis fortunę manum diſcrimen vllum agnoſcat. Qui ſeſe ita munierit vnus aduerſa omnia prouocare, nedum expectare intrepidus poterit: bellumque ipſum inteſtinum, ac ſingulare certamen, quod ſecum gerendum beatam vitam quærenti indiximus, quamuis acre futurum ſit, non pacis tamen expulſio erit, ſed præſidium, & munimentum: idque contra ſuas cupiditates pugnanti euenturum certò promittimus, quod fortiſſimis olim ſub Iudâ Machabęo Iſraelitis eueniſſe tradunt
1. Mach. 3. 2. diuinę litterę, *Qui pręliabantur*, inquiunt, *prælium Iſrael cum lętitiâ*. Tu quoque pręliaberis, ſed ita vt pax, & lætitia non prælium ſecutura tantummodo ſit, verùm etiam comitatura, eademque futura victorię prępmium, auxiliumque.

✠

LIBER TERTIVS DE VITA IN TERRIS BEATA

CAPVT PRIMVM.

Vbi de Chriſtianæ virtutis iucunditate in vniuerſum agitur.

PRima felicitatis pars eſt, miſerijs caruiſſe, eaque tanta, vt veteres inter Philoſophos, Tullio teſte, minimè defuerint, qui bonorum finem, abſolutamque felicitatem in doloris vacuitate conſtituerent. Parùm quidem benè de naturâ parente ſenſere, a quâ niſi latronum, vt vocant, beneficium, expectarunt nullum: ſcilicet, inuiolatum dimitti. Illud tamen per huius imperitię tenebras veritatis emicuit; Magnum eſſe indolentię bonum, quod viris do-

Eorum auctor Hyeronimus Rhodius.

ctis

Digitized by Google

ctis ſummi boni ſpeciem exhibuit. Hâc autem beatæ vitę parte, quantum mortalibus licet, potitus eſt, qui e vitijs elapſus etiam cupiditatibus ad ea reuocantibus frenum iniecit. Altera iam ſupereſt obtinenda, eaque potiſſima, quæ in Chriſtianâ virtute, ad euangelicam normam exactâ, continetur. Quanta illam etiam in præſenti æuo animi voluptas ſequatur, in hoc tertio libro aperiendum ſuſcepimus: & primum quidem in vniuerſum de eius ad beatam vitam efficacitate loquemur; tum ad ſingularum quarundam virtutum incredibile improbis gaudium, & iucunditatem enarrandam progrediemur.

Nulla e veteribus Philoſophorum familijs æquè ac Stoyca admirationi apud ethnicos fuit. Hi enim Philoſophi eximijs honeſtatis laudibus, cui ſummam bonorum tribuerant, errores ſuos mirificè cohoneſtarunt: nec fortè a vitâ beatâ aberraſſe illos tam benè dixeris, quàm abfuiſſe, vt quibus a viâ non tam digreſſio fuerit, quàm reuerâ defuerit progreſſio. Haud dubiè enim virtus omnis ad beatam vitam conducit, ſed ſi vltra philoſophicos fines minimè progrediatur a perfectâ immortalis vitę felicitate adhuc plus diſtat, quàm vt de eâ poſſit guſtum capere, mortalis vitæ felicitati, ſiue ſolatio ſufficientem. Lõgiùs igitur prouehenda virtus, vt ęternę nos felicitati propiùs admoueat, & in poſſeſſionem pręſentis, quę in eâ viciniâ moratur, inducat. Illud

Virtus philoſophica vitæ in terris beatæ minimè ſufficiens.

ta-

tamen hìc pro certo, exploratoque ſumendum, eam in cuiuslibet virtutis vſu voluptatem ineſſe, vt ſi cunctas quis virtutes animo inſerat, felicitatem huic æuo congruentem obtineat. Huius rei triplex proferre licet teſtimonium; primum e diuinarum Scripturarum ſacrario, proximum e cuiuſque honeſti hominis experimento, tertium e virtutis ipſius ingenio, & cauſis.

Primũ e ſacris litteris pro virtute beante teſtimonium.

Quod ad diuinum oraculum attinet; nihil in ſacris litteris crebrius, quàm beatos nuncupari, qui a vitijs abſtineant, ac virtutem, atque honeſtatem colant. *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in lege Domini; Beati, qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum.* (Pſ. 118. 1. & 2.) *Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius.* (Pſ. 127. 1.) *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, nec eſt in Spiritu eius dolus.* (Pſ. 131. 1. & 2.) *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terrâ erit ſemen eius &c.* (Pſ. 111. per totum.) Denique ex Euangelio Dauidicis carminibus mirè conſono habemus; *Beati pauperes ſpiritu, beati mites, beati qui lugent, beati miſericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam.* (Matt. 5. 3. & ſeqq.) Quibus octo enumeratis virtutibus ita homines beatos fieri nobis firmiter perſuaſimus, vt virtutes illas iam vulgò octo beatitudines nuncupemus. Plura etiam eiuſmodi loca toto hoc opere diſſeminata

reperies, e quibus omnibus planè illud efficitur, tam certum nobis eſſe debere, beatos eſſe, non modò in patriâ Beatorum, verùm etiam *in viâ*,
Pſ. 118.1. vti Pſaltes regius teſtatur, eos qui ex virtute viuant, ac diuinam legem ſequantur, quàm certa, exploratаque ſint reliqua ſacrarum litterarum, vtcunque captu difficillima myſteria, vti ſunt, quæ de venerandâ Triade, aut Euchariſtico Pane, aut id genus alijs ſacræ nobis litteræ tradunt: Vna enim cunctis diuina ſubſtruitur auctoritas, quæ vni myſterio ſubduci nequit, niſi concidant vniuerſa. Si enim neges, qui bene viuant, beatos eſſe, vno tempore mentitum Numen, & mendacia eſſe poſſe quæcunque alia dixit, affirmas.

Secundum pro virtute teſtimoniũ, experiẽtia. Alterum teſtimonium a proprio ductum experimento plus fidei a nobis obtinet, vtcunque minus mereatur, quàm immiſſæ de Cœlo voces: ad eum ferè modum, quo leuis auræ ſuſurrus plus ſonat auribus admotus, quàm remota tonitrua: imò hæc aliquando in ſuſurrum longinquitate elangueſcunt, ſuſurrus in tonitrui ſonitum propinquitate conualeſcit. Quamplurimos afferre licet eiuſmodi teſtes, qui ſuo ſibi vſu liquere dicant, idem eſſe benè, ac beatè viuere, eamque inter
Pſ. 84.11. Iuſtitiam, & Pacem, vti ait Regius vates, oſculo verè firmatam neceſſitudinem, vt alteram ab alterâ ſeiungi nequaquam contingat. Verùm quia hos quoque per totum opus diſperſos dedimus, dabimuſque præſertim in ſequentibus, non eſt

cur

cur hìc ijs enumerandis diutiùs immoremur. Illud ſolùm, vt quiſque reputet, moneo; quantâ animi tranquillitate gauiſus eſt, ſi quando a vitijs emerſit, quanto maiore, ſi quando virtutem impenſiùs coluit, ſi corpus ſuum aſperiùs inediâ, vel flagello accepit, ſi animum fregit, edomuitque: deinde computet, quantò plura ſuis, ac duriora ſint ſanctorũ Virorũ ieiunia, aliæque corporis, aut animi afflictationes; atque inde perſpicuè colliget, quantò maiora illis, quàm ſibi ſolatia diuinitus contingãt, clamante Dauide, *ſecundùm multitudinẽ dolorum meorum in corde meo conſolationes lætificauerunt animã meam.* Pſ. 93. 19.

Tertium denique teſtimonij genus ab ipſâ virtutis conditione ductum in hunc modum exponitur. Primùm cum virtus vis quædam animi ſit, vigor, ac ſanitas, qui eâ præditus eſt, non poteſt, non ſummopere gaudere, quòd ſe depulſis languoribus ſanum videat, & in omnes conatus validum: idque præſertim, vbi longus, & multiplex morbus præceſſerit: ſi enim gaudet animus reſtitutâ corpori, hoc eſt iumento ſuo, poſt diuturnum languorem valetudine; quantò magis ſua illum valetudo, omni perſanatâ ægritudine, delectabit? Præterea ſanitas iſta ſuum menti lumen a cupiditatibus obſcuratum, item libertatem per eas imminutam, reſtituit. Longè autem iucundiſſimum eſt, depulſis tenebris, fractiſque vinculis in apertum educi, cœloque libero frui, cuius ſpiritu tanquam natiuo ſeſe recreet animus, augeatque. Tertiũ pro virtute teſtimonium, eius naturalis cõditio.

Quid enim pulchrius, quid proinde iucundius, quàm cœleſtia ſpectantem terrena calcare? fortunæ iacula, e ſuperiore loco ridere? non metu contrahi? non mœrore deijci, non lætitia inſanire? non de tenui ſpe cum tremore pendere? nihil, quod tolli poſſit, ſuum deputare, nihil, quod ſuum ſit, perdere poſſe? ſupra humanas denique erectum, ac Cœlo proximum tumultuantis mortalitatis pugnas, & fremitus, tanquam gladiatorium munus virtuti exhibitum in tuto ſpectare? O ſi oculos tollerent ij, quos non natura pronos, & ventri obedientes, ſed nequitia finxit; nę illi, eâdem retentâ voluptatis cupidine, relictis nequitię ſordibus ad honeſtatē confugerent.

Accedit ad hęc, quòd cuiuſque conſuetudinis (quo in genere virtus reponitur) comes eſt delectatio: parit enim in animo aduerſùs ea, quibus conſueuit, familiaritatem quandam, amoremque, ac deinde ad eadem obtinenda facilitatem; plurimum autem iucunditatis habet in promptu eſſe, quod ames, ſiue id quidem honeſtum ſit, ſiue turpe: proinde vtraque conſuetudo, ſiue bona, quæ virtus dicitur, ſiue mala, quæ vitium, aliquid habet iucunditatis: id tamen intereſt inter duas, quòd bona, atque honeſta cōſuetudo voluptatem, quam affert, conſcientiæ gratulatione, item initæ a Deo gratiæ, meritique apud ſuperos præmij opinione, expectationeque mirificè auget. Contra verò mala, ac vitioſa

con-

conſuetudo, conſcientiæ morſibus rodit, ac deuorat, quidquid attulerat oblectamenti. Denunciat enim offenſi Numinis iram, atque improbo præſtat Damoclis gladium conuiuantis ceruicibus intentatum, metuque in præcordia iam demiſſum: quem ſcilicet, qui viderit, miſerrimus ſit, miſerior, quem latuerit, auctâ in malorum cumulum, quæ cælat effugium, cæcitate. Quid beatius Damocle, ſi externa computes bona? Iuſſerat illum Dyoniſius aureo in lecto, ac floribus inſperſo, coronâ inſuper redimitum, ad menſam conquiſitiſſimis epulis inſtructam accumbere. Vniuerſum vnâ cum ſuo inſtrumento cubiculum regiam proclamabat magnificentiam: textili-picturâ, eâdemque nobiliſſimâ inſtrati parietes: ſignis item, tabuliſque depictis pulchrâ varietate diſtincti, aurea laquearia, gemmea pauimenta, indutæ purpurâ ſedes, eburneæ menſæ ſub magnis ex auro crateribus fatiſcentes: cuncta ad miraculum compoſita, diſpoſitaque. Aderant ſeruorum greges, aderant eximia formâ delecti pueri, quorum alij cibos, pocula alij ſummâ curâ atque ordine miniſtrabant: nonnulli prorſus vacui, eius vt nutus obſeruarent, aperto capite protinus imperata facturi aureum cubile circundabant. Nec ſuffitus, aut vnguenta deerant, nec muſicum carmen, nec neruorum, ſeu tibiarum cantus, nec denique eorum quidquam quod pulcherrimam valeat, maximèque optabilem fortunam inſtruere,

Damocles ſupernâ irâ metuentis exemplû.

re, deſiderabatur. Quid, inquam, illo beatius ſi hæc inſpexeris, nihilque prȩterea? At ille horum nihil potuit inſpicere vbi intentis ſurſum oculis gladium ab equinâ ſetâ pendentem ſuſpexit; nec vllo regij apparatus, ac deliciarum ſenſu tangi, quando iam ſenſus omnis impendentis mortis horrore defecerat. Itaque ad ferri eius fulgorem, quaſi ad fulgur expalleſcens, quam fortunam antea magnis precibus euocauerat, iam paribus votis ab ſeſe expertus deprecabatur. Ita planè res habet: certiſſimum documentum hàc propoſitâ imagine nobis Dyoniſius præbuit, certius propoſito ſe ipſo eius imaginis exemplari; fieri nimirum nequaquam poſſe; vt cui conſcientia diuinæ vltionis gladium intentet, pars vlla liquidæ voluptatis vel a Regiâ fortunâ contingat.

Virtus animi cibus ſuâ iucunditate conditus,

Denique nutrimentum animi virtus eſt, quo ille alitur, & in magnitudinem ſuam, ſeu magnanimitatem excreſcit. An tu putas vulgaribus cibis, perituram vitam facturis, inductam a rerum Conditore iucunditatẽ, quæ comedendi laborem redimeret; virtuti autem ſempiternam vitam contentiùs elaboranti inſperſa condimenta nulla? Falleris, & magnam rerum Auctori iniuriam infers, quaſi pecudum adulatus palato animorum nutrimenta neglexerit, minùs his, quàm illis amicus. Ieiunia tam rigida, tam crebra, tam diuturna a ſanctiſſimis Viris, nec gementibus, aut ſuſpirantibus, ſed lȩtis, alacribuſque ſeruata, & cibus gra-

grauatè ob intermiſſa pietatis officia captus, ſatis indicant, quantá pietas iucunditate dapibus præſtet, & quàm verè illud ab Eccleſiaſtico pronunciatum, cunctiſque gentibus deprædicatum; *Non eſt, non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium*. Lugebat Bernardus, monaſterij clareuallenſis Antiſtes, quoties a rerum cœleſtium contemplatione ad menſam euocaretur, ciboſque non ſecus atque æger ingrata medicamenta, ſumebat. Luxit quoque inter epulas Iſidorus, pręſtanti virtute apud Ægiptios monachus: cauſam verò rogatus, Fleo, inquit, quia beſtiarum cibos edere cogor ad diuina Cœlitum natus conuiuia. Denique magnus ille monachorum parens Antonius non flebat quidem ad menſam, ſed mente ad futuras in Cœlo dapes immiſſâ, appoſitas capere obliuiſcebatur, nec aliter eſſe poterat, quàm, vt hoc ageret, ab aſſidentibus moneretur. Tunc autem non tam ciborum, quos caperet, guſtu, quàm eorum, quos repudiaret, continentiâ delectabatur: ſat ſciens, hanc delectationem non gulę longitudine definiri, ſed vitę, eiuſque apud ſuperos immortalis.

Pietas cibo lõgè iucundior.

Eccl. 30. 16.

In eius vita.

In vitis P. P.

In eius vita apud Sur.

Illud quoque de Bernardi diſcipulis memorandum, quod cum ad omnia virtutum genera pręclarè inſtituti, cibis valde ſordidis iucundiſſimè veſcerentur, pane ſcilicet furfureo, ac propemodum terreo, confectâque ex fagi frondibus pulte; ſeriò conqueſti ſunt apud Guillielmum Cathalau-

nen-

nenſium Antiſtitem Bernardi amiciſſimum, quòd indulgentiùs a ſuo Magiſtro haberentur: tantum ſe capere in mensâ voluptatis, vt quaſi per aliam viam regreſſi in regionem ſuam, quas delicias in ciuitate reliquerant, eaſdem in ſolitudine etiam auctas recuperaſſent: proinde veritos, ne futuris in Cœlo delicijs fraudarentur, rogare ſe, vt pro ſuâ auctoritate Bernardo tantæ indulgentiæ modum imponeret: Reſponſum tamen a prudentiſſimo Antiſtite fuit, iucunditatem illam non ciborum eſſe, ſed temperantiæ, quæ cœleſti illos ſuauitate condiret: idcirco non iacturam inde timendam cœleſtium deliciarum, ſed ſpem augendam, quandoquidem iſtæ non darentur, niſi illam præſumentibus arrham: quo reſponſo nouum cibis illis condimentum, & iucunditatem adiecit.

Pietas etiã cibis condimentum adiungit.

Habet igitur ſua pietas condimenta, quorum dulcedine mens imbuta corporeæ dapis ſenſum amittat, aut faſtidium capiat. Quod ſi etiam intelligere libeat, quantum ceteris quoque plebeijs voluptatibus nobiliſſima, planequè diuina virtutis iucunditas præſtet; percurre vniuerſa ęgiptię ſolitudinis monaſteria. Vide ibi infinitam ſanctiſſimorum hominum multitudinem, quàm procul ab humanâ ſocietate, tam ab humano ſolatio ſeiunctam. Cerne corpora illa ſolis ardore ſemiuſtulata, ieiunijs enecta, nudo ſolo ad quieſcendum alliſa, adeo exucca, arida, exſanguia, vt vix continente cute oſſa cohęreant. Laruas cre-

Ceteris quoque iucundior voluptatibus.

de-

deres, ſi ſubitò occurrerent, & fugâ declinares, quemadmodum in vitis Patrum nonnulli feciſſe ſolitarios conſpicati narrantur. O quàm anguſtè, inquies, habitat in eiuſmodi corpuſculis animus! quàm anxiè, ac trepidè ſub tecto tam ruinoſo! quantâ cum inopiâ, vbi ne mendicandi quidem poteſtatem ſolitudo permittit! Atqui ſi magis acceſſeris, ſi cuncta penitùs rimatus fueris, nuſquã parem inuenies hilaritatem, nullo propiùs exemplo ſupernæ felicitatis admoneberis, quàm beatis illis apud Ægiptios monachorum choris, perpetuò Deum ſummo cum gaudio laudantibus. Non anguſtè, ſi rem diligentiùs expenderis, ſed laxiùs habitare animum intelliges, cui adeps inanimus hoſpitium non occupet: nec de tecto ruinoſo timorem eſſe migrare cupienti: nec denique inopiâ premi, qui ea ſolum non habeat, quæ noluit, quæque, vt rerum Domino potiretur, erogauit.

Viderat Antonius Paulum in Ægiptiâ ſpecu vepribus, dumetiſque rigidâ, latitantem: audierat ſeptimum ſupra nonageſimum iam annum cum ſilueſtribus feris verſatum, nec modò nullo hominum recreatum ſubſidio, ſed ne alloquio, ne aſpectu quidem: nouerat, centenariâ propè exeſum inediâ, centenariâ ſolitudine, centenario ſilentio ſepoſitum: vbi tamen hæc rogantibus diſcipulis referre debuit, compendiario ſermone vſus; *Vidi*, inquit, *Paulum in Paradiſo*: idque ne

Pauli ſolitudo Antonio Paradiſus.

temerè dixiſſe videretur, iterum ac tertiò ait. *Vidi Paulum, Vidi Paulum in Paradiſo*. Tantâ enim lætitiâ plenum illum, ac geſtientem inuenerat, vt cum Paulo altero in Paradiſum rapto ſcitè confunderet, nihil intereſſe ratus, in Cœlo ne fuerit, an Cœlum cum ſuis delicijs ad ſeſe pertraxerit. Ipſemet verò Antonius, qui vitam ſuam vndique ex ſeueriorum Patrum exemplis, veluti e ſpinis totâ ſolitudine collectis, aſperauerat: & vltra commune ferarum genus, ceteris ſolitarijs familiare, ſub earum corporibus ſpiritus tartareos

In vitâ Ant.

in contubernio habuit; eâ tamen mentis iucunditate perpetuò affluebat, vt, Athanaſio teſte, ſemper in Cœlo cum beatis mentibus verſari videretur. Quin etiam perpetuò hilaris alios omnes hilarabat aſpectu: ſic prorſus, vt hâc ipsâ oris hilaritate, cœleſti quodam nitore perfuſâ inter ceteros monachos etiam a peregrinis, qui eum quæſitum aduenerant, nullo indicante, dignoſceretur. Suos autem monere ſolitus erat, vnam eſſe hoſtis tartarei frangendi rationem, mentis lætitiam e rerum ſupernarum contemplatione, ac ſpe deſcendentem: inde enim inuidos ſpiritus rumpi, atque euaneſcere: hanc verbis ſuadere conabatur, hanc læto vultu quaſi addito

Id. ibid.

exemplo perſuadebat, communicabatque. Præterea auctor eſt idem Athanaſius, potentiſſimos quoque, atque opulentiſſimos Reges curarū temperamentum, & ſolatium ab eo ſolitos emendi-

care. Magnus enim Conſtantinus, eiuſque duo liberi Coſtantius, & Conſtans Romanorum Imperatores, non ſemel ad illum litteras dederunt, quibus rogabant, ſuis vt eos reſponſis conſolaretur. Quod cum præſtaret Antonius mirum eſt, quanto cum gaudio ea reſponſa acciperent, quanto cum maiore iterum, ac ſepiùs lectitarent. Denique ſupremum vitæ diem, quem ceteri trepidando ſolent, ipſe ridendo clauſit, oculiſque, ac manibus in Cœlum ſublatis animum conſcius, quò iturum, mirè lætus dimiſit.

Conſtantinus Cæſar ab Antonio ſolatia mēdicat.

En quò pertinet Chriſtianæ virtutis efficacitas, vt *in terrâ deſertâ, inuiâ, & inaquoſâ, conuertat petram in ſtagnâ aquarum, & rupem in fontes aquarum*, & quidem tam dulcium vt ſub aquarum ſpecie mellis ſuauitatem exhibeant, quemadmodum idem Regius Pſaltes interpretatur, vbi ait; *Et de petrâ melle* (hoc eſt aquâ mellis dulcedinem referente) *ſaturauit eos*. Maneat igitur, virtuti cuilibet communem eſſe, & quaſi e genere ſuo hereditariam iucunditatem: iam ad præcipuas quaſdam virtutes deſcēdendum, quibus vltra communem ſua eſt, & peculiaris, eaque longè maxima, voluptatis acceſſio.

Ex pſ.62.3. & 113.8.

Pſ.80.17.

✠

CAPVT SECVNDVM.

De Fide, quam Deo loquenti mortales adhibemus.

FIdem diuinam Theologi noſtri appellant, quam Deo O. M. ſuperna nos myſteria, viamque ſalutis edocenti tribuimus. Hæc virtus ceterarum, quæ nos ad felicitatem ducunt, dux eſt, & magiſtra, ſine quâ nec Deo

Ad Heb. 11. 6.

placere poſſumus, vt ait Paulus, nec nobis Deus, qui quanquam noſtræ omnis felicitatis materia eſt, non aliud ſine fide gaudium afferre poteſt, quàm quod cęco ſpectaculum, vtcunque pulcherrimum.

Fidei iucũditas quanta, & vnde.

Quantum autem illa voluptatis habeat, coniectare inexpertis licet ex immenſâ diſcendi cupidine, quâ vniuerſi tenemur, cui quo plùs ſatisfacimus, hoc vberior voluptas, quaſi in ſiti potantibus, accedit.

Duplex caput iucunditatis in ſciẽtiâ, magnitudo, & firmitas.

Duo autem ſunt, quæ maximè ſciendi ſtudium proritant, delectantque nempe magnitudo rerum, quas noſcimus, & notitiæ firmitudo. De magnitudine ait Ariſtoteles,

lib. p. de part. anim. c. 5.

magis nos oblectari leui notitiâ rerum cœleſtium, quàm pleniſſimâ rerum inferiorum: propterea quod

quòd gratius nobis ſit, quæ in pretio habemus, ac diligimus, eminus contemplari, quàm humilia, quæque negligimus, tractare, ac poſſidere. Firmitudo verò notitiæ, quantæ iucunditatis ſit, ſuis omnibus theorematis, problematiſque Matheſis demonſtrat, quorum ſingulis cum diuerſa perſuadeat, hoc vnum omnibus apertiſſimè, & ſine metu fallaciȩ docet, ſummam eſſe in ijs intelligendis iucunditatem. Tametſi autem ea diſciplina nihil quidquam aliud præter materiæ dimenſiones, rem ſcilicet tenuiſſimam contemplandam præbeat, tamen quia ea, quæ dicit, oculis quodammodo ſubijcit, & firmiſſimè perſuadet, incredibili ſtudioſos voluptate perfundit: vel inde id ſit, quòd certum ſibi lucrum, vtcunque paruum, animus gratuletur, vel potiùs quòd ingenium ſuum, cuius acumine illud obtinuit, quaſi nobilis auceps magis venatione lætus, quàm prædâ. Teſtis præ ceteris locuples Archimedes (martyrem dicerem ob mortem propterea obitam, ſi fas eſſet vocem iam conſecratam in vſus profanos reuocare), qui Marco Marcello Syracuſas deuaſtante, cum omnia tumultu, ac ruinis oppreſſa ſupremos clamores tollerent; ipſe geometriæ magis, quàm vitæ ſtudioſus hanc hoſtium furori permiſit, ne a geometricà formâ, quam deſcripſerat, contemplandâ, breui fugæ ſpatio diuelleretur. Duo autem hæc in diuinam fidem mirificè conuenire perſpicuum eſt: ſum-

Vnde oriatur matheſeos iucunditas.

ma

ma enim docet, eaque ſummâ pariter comprobat firmitate: quare ſi pro modo cum magnitudinis, tum firmitatis rerum, creſcit intelligendi voluptas; hanc nonniſi ſummam a diuinâ fide profluere neceſſe eſt: vtraque tamen pars euoluenda eſt, & veluti oculis exponenda, ne inuolutè tradita minùs ſeſe approbare poſſit accipientibus.

De rerum magnitudine, quas docet fides diuina.

Primùm igitur (quod ad rerum, quas diuinâ fide cognouimus, magnitudinem attinet) ſuam Deus O. M. infinitam quaquauerſum magnitudinem nobis aperuit: infinitam ſcilicet potentiam, quâ Cœli, terræque orbes, quotcunque libuerit, momento condere poſſit: infinitam ſapientiam, qua orbium illorum formas ſummâ cum infinitarum partium conuenientiâ atque venuſtate componat: infinitam in omne ſpatium amplitudinem, quâ tot, tantiſque rebus cum in ſuâ immenſitate locum, tum de ſuâ æternitate tempus, ac vitam diſtribuat: infinitam bonitatem, per quam infinita cuiuſque generis bona in ſe ipſe contineat, nempe infinitam probitatem, infinitam benignitatem, infinitam pulcritudinem, & gratiam, & ſuauitatem, & manſuetudinem, & clementiam, & lucem, & dulcedinem, & odorem, & quæ denique ſingulorum pretium nobis in infinitum auget, liberalitatem, per quam cuncta hæc, noſtra in æternum fore promittit, modo tanta dona vnà cum Donantis amicitiâ non dedignemur. Aperuit

ruit præterea nobis animorum noſtrorum immortalitatem ſempiterna illa Numinis munera æquaturam: Aperuit adoptionem, cuius beneficio in æternam fortunatiſſimi regni educamur hereditatem: Aperuit ſupernarum ſedium amplitudinem, decorem, opulentiam, voluptatem, quorum contemplationis fructus non in oculis ſiſtit, aliena mirantibus; ſed ad animum vſque, ſua contemplantem ingreditur. Denique tam multa, tam magna, tam præclara Deus nobis aperuit, noſtræque fidei credenda tradidit, vt ſi cum ijs, quæ oculis patent, conferantur, hæc mundi corticem eſſe dixeris, illa mundum: quare tanto maior ex interiorum harum rerum notione voluptas exiſtit, quàm e communibus hiſce ſpectaculis, quanto rerum interiora cortices ſuos, ac velamenta pretio, & pulcritudine vincunt. Verùm quia conſuetis voluptatibus frequens vſus condimentum nouitatis, eamque pretij partem ademit, quam raritas facit, interiectæ defectionis experimento; inde fit, vt nemo noſtrum qui euangelicæ lucis vſurà iam tum ab incunabulis fruimur, eam lucem inter delicias computet. At quemadmodum non eſt, qui digniùs oculos æſtimet, quàm qui ab exortu luminibus captus ſubito aliquo prodigio illà recepit, vt qui vnâ cum oculis hunc ipſum aſpectabilem mundum, cæcitate amiſſum, ſe videat recepiſſe; ita non eſt, qui ſuperni diuinę fidei luminis beneficium clarius

Oculis mũdi corticẽ cernimus, fide mũdũ.

Raritas interiectâ defectione res commendat.

riùs

riùs agnoſcat, eoque iucundiùs fruatur, quàm cui inter errorum tenebras nato, educatoque repentè euangelicę doctrinę fulgor, ſagratiora mundi penetralia reſerans, illuxerit. Liquidò id ex quibuſdam Sinarum populis nuper didicimus, qui, vt eorum monumenta ferunt, in magnę cęcitatis tenebris nati, educatique ne ſe a belluis quidem norant diſcernere, rati humanos animos belluarum inſtar eodem, quo corpora momento extingui. Vbi verò ſe immortales gerere animos, eoſque prępotentis Dei filios, regnique conſortes cooptatos, a noſtris Doctoribus cognouere, idque firmiſſimis rationibus, comprobari; mirum, quantà animi, ſibi gratulantis, lætitiâ efferri cæperint: quaſi tunc primùm e brutorum, ac repentium ordine ad Superum conditionem euolarent, atque a ſempiternâ morte, in quam ſe damnatos putarant, ex inſperatò reuocarentur. Horum lætitia noſtræ opulentiæ, cuius participatione lætantur, nos admonet, noſtramque voluptatem excitat inconſiderantiâ conſopitam.

Fidei iucunditatem docent nati inter tenebras infidelitatis.

Eſt tamen, & alia via, ac ratio, quâ fortiùs excitetur, & fortior eadem exurgat voluptas: ſi nimirum noſtra hæc diuinis oraculis habita fides, aſſiduâ de ſuis myſterijs contemplatione e tenebris, in quibus iacet, in tantum aſſurgat, vt in ſapientię lumen, & claritatem emergat. Eſt autem ſapientia rerum diuinarum, humanarumque ex altiſſimis cauſis deducta cognitio, quæ cum

Fides tunc maximè delectabilis cum in Sapientiam euadit.

Sapientiæ definitio.

præ-

præſtantiſſimum ſit diuini Spiritus donum, non ingenio, non ſtudio datur, ſed caritati, ipſum ſibi diuinum ſpiritum adiungenti. Inde Rudes, ſed cœleſti Spiritu præditos ſæpè ſapientiſſimos videas, vt qui de diuinis rebus tam altè ſentiant, vt æquè rem nullam extra Deum ament, ac nullam propemodum agnoſcant: rerum verò, quæcunque illæ ſint, inferiorum cauſas ſemper ex alto diuinæ prouidentiæ conſilio deducant. Contra ingenio, atque eruditione præſtantes, nec alio quàm terreno ſpiritu, ſeu vento plenos, tam ſtultos videas, vt ferè aliud nihil in rerum vniuerſitate agnoſcant, aut curent, niſi quæ oculis patent, & mutis quoque ſeſe animantibus vulgant: quam ob rem infima quæque, modò ſenſibus obuia, ſuperis præferunt, & inferiorum originem vel a caſu, vel a magis vęſano, ac furioſo malorum Dęmonum conſilio repetunt. Non ſapiens eſt, qui ſapientiam vendit, ſed qui comparat, & in ſuos vſus conuertit: ille enim non adhibet, niſi vt exponat: hic quo plùs adhibeat, minùs exponit. Plerique Senecam, Plutarchum, Epitectum, quòd noſtra Chriſtianorum dogmata bellè protulerint, inter ſapientes recenſent. Ego verò non aliam illis laudem tribuerim, quàm quę pueris ſolet balbutire incipientibus. Vt enim puerorum ex infantiâ recentium tritas quaſque voces oſculo excipimus, quaſi e mutis prodigioſas; ita tritiſſima quæque Chriſtianæ philoſophiæ dogmata ab

Illitterati doctis Sapientiores.

An verè Sapientes, qui vulgo inter eos recenſentur?

Kk ethni-

ethnicis hominibus audita plauſu, & gratulatione proſequimur, quaſi ab infantibus nunquam antea, aut a belluis miraculo prolocutis. Quin & hâc ratione eorum dictis interdum vtimur, non ſecus, atque Æſopicis beſtiarum apologis, non tam ad docendos, quàm ad increpandos homines, quaſi beſtijs humanitate, ac prudentiâ deteriores. Non igitur Sapientem vocabo Senecam, aut quoſuis alios ſapientiæ propolas, qui alijs conſpicilla conſtruunt, ipſi caligare contenti: ſed Paulum ſolitudinis incolam, ſed Antonium, eiuſque diſcipulos, qui quantum humanæ litteraturæ rudes, tantundem homines litteratos in ſui admirationẽ traduxere; quòd indocti tenerent, quæ philoſophiæ culmina aſſequi non potuerant. Vt tamen quid ſapiant illitterati noſtri, & quid illis ſua ad agendam cum tranquillitate vitam ſapientia conferat, liquidò diſcas; rem totam in ſequenti capite altiùs exponemus. Interim vt quæ dicturi ſumus de ſapientiæ huius ad beatam vitam præſidijs ſine erroris formidine ſecurus excipias, audi, Prou. 3. 13. quæ de illâ tradit, auctor ſapientiæ Deus. *Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ. Melior eſt acquiſitio eius negociatione argenti, & auri primi, & puriſſimi. Fructus eius pretioſior eſt cunctis opibus; & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari.* Fortè non dubitares, quin beatus in hoc æuo futurus eſſes, ſi cunctæ tibi diuitum opes, & quęcunque pręterèa vulgo deſide-

ran-

rantur, adeſſent. Quid igitur dubitas, an beatus futurus ſis cœleſti comite ſapientiâ, quando Deo teſte intelligis, illam tibi allaturam aliquid cunctis opibus pretioſius, cunctiſque rebus vulgò expetendis, atque optabilibus præſtantius?

CAPVT TERTIVM.

De Cœleſtis ſapientiæ ad huius vitæ felicitatem preſidijs.

HOc inter Sapientem, & gregarium quemlibet Chriſtianæ diſciplinæ cultorem intereſt, vt licèt vtrique idem de diuinis myſterijs iudicium ſit, eademque fides, non eadem tamen intelligentia, ac ſenſus. Illi diuina non innoteſcunt modò, verùm & ſapiunt, & in amore, atque in delicijs ſunt; iſti, vt in obſcuro latentia venerationem potiùs ſacro quodam horrore perfuſam, quàm delectationem pariunt. Inde ſanctiſſimis viris, quos ſolos ſapientes ſacræ litteræ norunt, id interdum vſuuenit, vt ſi ſermonem de diuinis rebus inſtituant; &

Quid inter ſapientem, ac ſolâ fide præditũ interſit.

cibi, & potus, & ſomni, vnà cum reliquis corporis deſiderijs, mente aliò auocatâ, obliuiſcantur. Tantâ enim iucunditate Cœleſtis hæc ſapientia pios inter ſermones animum implet, vt illi minimè vacet pro leuioribus voluptatibus. Quod Benedicto cum ſorore Scholaſticâ contigiſſe Magnus eſt auctor Gregorius. Hi enim cum tempus omne diurnum diuinis colloquijs extraxiſſent, idque Scholaſticæ breue nimis videretur, vt cuius in deſiderio diuinarum laudum æternitas perpetuò ſederet, a Deo precibus impetrauit, vt, imbrium vi Fratris reditum prohibente, integram quoque noctem piæ adiungerent collocutioni, quod cum peregiſſent visâ luce non tam ſermo illis productus quàm contracta nox videbatur: tanta vtrique fuerat mentis intentio, & cordis tripudium ſomnos excutiens. Quid putas te fuiſſe facturum, ſi tertius illis interueniſſes? ſuperaſſesne ingruentem noctis concubiæ ſomnum, eumque oculis flagitantibus abnuiſſes? an potiùs in diurni tædij ſolatium vltrò aduocaſſes? vel ſaltem non inuitus obrepenti conniuendo ceſſiſſes? Veriſimile mihi eſt, ſi fidem duntaxat apud te ſermonis illius argumentum, non intelligentiam, & comprehenſionem inueniret, non ſecus te affuturum, atque oſcitanter auditurum, quàm ſi duobus de communi patriâ tibi ignotâ diù, ac iucundè colloquentibus nouus, & peregrinus, accideres. Illi exitum non inuenirent, tu fortè præuenires abeundo

Quā iucūda viris ſāctis pia colloquia.

Lib. 2. dialog. cap. 36.

do inſulſi ſermonis pertęſus. Beatum Ægidium, memorant, eam cœleſtis patriæ opinionem aſſiduâ contemplatione imbibiſſe, vt quoties Cœlum memorari audiret, continuò alienatâ a ſenſibus mente totus in eius deſiderium, & cogitationem raperetur. Quæ res à pueris comperta materiam illis luſus, ac ioci ſuppeditauit: ſimul enim Ægidium per vias incedentem viderent, de induſtriâ beatam illam patriam geminatis vocibus exclamabant, vt ſanctum virum mente abalienatum inſpectarent. Quid cauſę eſt, quod Chriſtianorum pleróſque plùs erigit infima quęque, & cęnoſa huius terrę audita voluptas, quàm cœleſtis recordatio felicitatis? ſcilicet non aliam putauerim, niſi quòd illam gloriam obſcuriſſimæ fidei lineamentis, veluti extinctę prunæ ductibus adumbratam ſpectent, terrena verò omnia ſolaribus radijs colluſtrata, inaurataque. Contra, diuinâ Sapientiâ inſtructi ſupera, infimaque, ſuo quæque colore diſcreta cernunt, iuſtamque cuique æſtimationem tribuentes pari voluptate illa animo petunt, atque iſta relinquunt. Hoc autem inter maxima ad huius ęui felicitatem præſidia connumerandum: nam cui ſupernarum rerum cogitatio in delicijs eſt, is tam ſuas habet in poteſtate delicias, quàm ſui animi cogitationes. In Crop. Fr. min.

Eſt & pręcipuum aliud diuinæ Sapientiæ ad animi tranquillitatem parandam præſidium. Docet enim illa, & vltra vulgarem fidem planiſſimè Sapiētiæ nihil mali poteſt contingere.

oſten-

oſtendit; Vnum eſſe duntaxat in rerum vniuerſitate Bonum, & expetendum, Deum nimirum, ſiue eius in Cœlo conſortium: cetera verò, quæ extra Deum ſint, bona eſſe, atque expetenda, quâ ad vnicum illud Bonum conducant, quâ verò auocent, mala, ac declinanda. Cum enim rerum Finis cuncta, quæ ad ſe referuntur ſuâ bonitate bona efficiat, & quaſi de ſuo ſplendore colluſtret; Deus autem ſit rerum omnium finis, quæcunque ad eum conuerſa nos ducunt, ſuâ bonitate impertit, ſuoque decore cohoneſtat: auerſa verò, quæ ſecum nos a Deo auocant, abducuntque, ſuâ cum fœditate dimittit. Et quandoquidem nonnulla incommoda, ſæpè aptiora ſunt ad homines in Deum agendos, quàm diuitiæ, honores, fama, & commoda reliqua, quæ aculeos quidem, eoſque peracutos habent, ſed hamatos quodammodo, vncinatoſque, ſic vt retineant, quos figunt; idcirco ſapiens neque commoda bonis, neque incommoda malis adnumerat, ſed vtraque medijs, ac neutris æquè bona, & ſalutaria futura, ſi e diuini Parentis manibus ad nos deuenerint, æquè mala, ac peſtifera, ſi noſtris ea, Deo inconſulto, atque adeo inuito ſumpſerimus. Quare cum ſapienti certum ſit, nihil velle, niſi quod ipſi benigniſſima Dei manus exporrigat; nihil illi non bonum, ſiue non aptum ad eum cum Deo bonorum omnium fonte iungendum, erit: quo etiam fiet vt eius animo nihil

Incommoda illi mala non ſunt.

hil imminere poſſit, quod timeat, nihil adeſſe, quod doleat, tametſi corpus ſuum in eculeo diſtendi, admotiſque facibus exuri, non ſine magnâ ipſius corporis moleſtiâ viderit. Haud enim ſapientia mala corporis tollit, ſed bono vſu in bona animi vertit, quaſi venena in medicamina emendans. Dicet enim tunc ſapiens, quod olim Poſſidonius coram Pompeio; *Nihil agis dolor; quamuis ſis moleſtus, nunquam te eſſe confitebor malum.* Imò addet, quod nequibat Philoſophus, *ſemper te eſſe confitebor bonum, quia bonorum ad finem me aliquando perduces, deſereſque in limine ſiue te ingreſſurum.* Minùs quoque torquebitur incommodis dolore leuioribus, qualis eſt opum, honorum, patriæ iactura: quas res, cum non vt vulgus fortunæ munera credat, ſed commodata, vel pignora; ſi abire contingat, nihil eorum ſe perdidiſſe, præter cuſtodiæ ſollicitudinem, & reddendi obligationem, exiſtimabit.

Ex Cic. 2. Tuſc.

Prodierat aliquando e ſuâ ſpecu, vbi ſolitarius degebat, in proxima campeſtria Macharius Alexandrinus, cumque corpus, vti ſolebat, animumque Cœli hauſtu liberioris recreaſſet, ſerus in ſuum ſeſe recipiebat hoſpitium: inde autem propiùs abſens vidit ante fores aſellum clitellis inſtructum, quem Prædo vaſis e ſpecu prolatis raptim onerare properabat. Macharius perinde ac ſua minimè res ageretur, latronem tanquam viator fortuitus aliò profectus, benignè ſalutat, ro-

Ex vitis Patrum. Sapientiæ præſidiũ in tolerandâ bonorum iacturâ.

Mira Macharij æquitas in tolerandâ rapinâ.

gat-

gatque, num adiutore ſarcinis deferendis indigeat, & ſimul deflexo gradu præſtò ſe futurum oſtendit. Eo annuente, domum ingreditur, atque vtenſilium reliqua maiori, quàm prædator, alacritate diripiens (vt cui conſcientia non, vt illi, obſtaret) in aſellum imponit: quo probè onerato, latroni, tanquam ſuas vias iturus, amicè valedixit, lætus tanto onere ſeſe leuaſſe, quãtum alteri impoſuerat. Pergens autem iacturam illam in materiam cantus, & voluptatis aſſumpſit, il-
1. ad Tim. 6. 7. lud Apoſtoli vadendo cantans; *Nihil intulimus in hunc Mundum, haud dubium, quòd nec auferre quid poſſumus.* Nempe hoc ex Euangelicâ paupertate emolumenti hauſerat, vt cum vniuerſa, quæ circa ſe videret, tanquam aliena putaret, non plùs doleret, ea ſe amiſiſſe, quàm aliena.

De honoris verò iacturâ vide, quod de Chriſti Apoſtolis publicâ ignominiâ notatis ſcripſit, qui eorum acta in commentarios redegit: *Ibant,*
Act. 5. 41. inquit, *gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* Vbi
Dignitas eſt ipſa dignitatis pro Chriſto deminutio. obſeruare licet diuini famulatus præſtantiam, in quo ſublimior quædam dignitas eſt, & gaudio celebranda, ipſa terrenæ dignitatis deminutio: *Gaudentes*, inquit, *quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati.* O vel hoc ſolo nomine fortunatos, qui diuino ſe dominatui mancipa-runt: abiecerunt enim tuendæ dignitatis moleſtiſſimum onus; quando illam tam benè Dominus,

cui

Digitized by Google

cui committitur, tueatur, vt ipſa eius damna in incrementa conuertat.

Denique de patriâ in exilium cum gaudio commutatâ nulla non ætas præclara exempla ſuppeditat. Circumſpice in omnem terrarum partem, & quàm longiſſimè vales, memoriam in retrò acta ſecula immitte; nuſquam non offendes Chriſtianæ Sapientię alumnos tam lætos in exilium e ſuis Ciuitatibus abeuntes, quàm ſi ab exilio in patriam regrederentur: nec perditum irent patrimonia ſua, ſed recuperatum. Huic rei illuſtre perhibet teſtimonium Apoſtolus in eâ, quam ad Hebreos dedit, epiſtolâ: vbi etiam rationem ſuggerit, vnde Chriſtianis tantum gaudij afferret bonorum fluentium dilapſus. *Rapinam*, inquit, *bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes, vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam*: perinde ac ſi diceret; Læti vos veſtris ſordibus exuendos dediſtis, regium paulò poſt amictum, & coronam ſubrogaturis. Hoc nempe eſt; *Cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam*. Quanto autem meliorem, metiri licet ex alacritate commutantium. Vide hanc, ſi lubet, apud Danielem Bartolum nobilem e noſtrâ Societate Scriptorem, qui in ſuis, quos edidit de Iaponum hiſtoriâ libris plurima congerit eiuſmodi exempla, non viritim per ſingulos eundo, ſed per familias, & quandoque ciuitates totas, quæ duriſſimam vitam in exilio agentes,

Æquitas in exilio tolerando.

Ad Heb. 10. 34.

Dan. Bart. in Iap.

Martyrum lætitia in durissimo exilio.

nunquam ſe in patrio ſolo lætiores fuiſſe re ipsâ profiterentur. Coacti ſiquidem aliquando ſine tecto, ne ex arborum quidem ramis tyranni lege permiſſo, prægelidâ inſuper, ac niuosâ tempeſtate, cuncti ferè, niſi quà honeſtas non pateretur, nudi, ijque ægroti, ſenes, pueri, fœminæ, igne quoque ad frigus temperandum inhibito, degere; tam alacres tamen ſuâque ſorte beati æuum agebant, vt oblata etiam aliqua vitæ ſubſidia ab ethnicis hominibus, ſuam in alijs humanitatem miſerantibus, conſtantiſſimè recuſauerint: rati ſe vitam perdituros, ſi hoſtibus, accepto commeatu, deberent: contra ſi Chriſto parenti redderent, in tuto collocaturos. Denique vt, quos recuſare non liceat, teſtes producam; quotquot religioſæ vitæ inſtitutum inimus, ij, qui luculenta, aut ſatis commoda patrimonia tenebamus; an non vltro pauperibus, vel cognatis illuſtriùs egẽtibus, ea detulimus, dantes ferentibus lætiores? Quidni autem lætiores, quibus certa fides eſſet, nos terrenas opes non perdere, ne in huius quidem temporis vſum, ſed centuplo ad hanc vitam, ad futuram infinitis partibus auctiores efficere? Audi, quàm firma hec ſint; *Amen dico vobis* (voluit & iuramentum apponere tametſi nequeat iniuratus loqui is, qui ſemper ſe Deum teſtem adhibeat) *Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & euangelium, qui non accipiat* cen-

Religioſi viri patrimonia lætiores donant, quàm alij accipiant.

Marc. 10, 29.

centies tantum in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam? Quid ſibi vult, inquies, vox illa, *cum perſecutionibus*? an non pugnat cum præcedentibus? quo enim pacto centupla huic vitæ reddetur merces, ſi vitam ipſam tyrannica ſuſtulerit perſecutio? Mirum in hoc verbo, & magni in rem noſtram momenti latet myſterium: dignum proinde, quod non ſaturo, ac nauſeanti Lectori in extremo capite apponatur: auido vtiliùs inferemus, vbi de ſpe erit agendum; ibi autem verbum hoc non pugnare, vt deſtruat antecedentia, verùm vt tueatur, oſtendemus.

Cẽtuplum in hâc vitâ etiam in medijs perſecutionibꝰ

CAPVT QVARTVM.

De ſummà Fidei diuinæ firmitate.

EXpoſitâ ſupernarum rerum infinitâ magnitudine, quæ Euangelicæ Sapientiæ beneficio fidelibus Chriſti famulis ſummâ cum voluptate recluditur; reliquum eſt, vt quàm certa, firmaque ea ſint, in præſenti

capite diſſeramus. Quo argumento nihil vnquam mihi fuit lectu, audituque iucundius. Iuuat enim plurimùm firmiſſima ſui regni præſidia obeuntem recognoſcere, & alta ſecuritatis munimenta hoſtiles impetus eluſura luſtrare: quid enim delectabilius, quàm immenſo bono ſine vllâ amiſſionis formidine, voluptatem diluente, certò ſcire ſe potiturum? Quid iucundius, quàm infinitam expectare ſine metu fruſtrationis iucunditatem? Atque id eſt, quod maximè oſtendit diuinæ fidei ad oblectandos animos efficacitatem, quòd quę nobis illam confirmant, iucundiſſima ſunt, non eſſent autem iucunda, ſi nobis iniucunda firmarent. Multa autem ſunt, quę Chriſtianæ religionis firmitatem pręſtant, nec omnia perſequi per inſtituti operis anguſtias licet: tria tamen ex omnibus ſeligemus, quorum ſingula veritatem teſtentur, collata verò tam apertè manifeſtent, vt eius negatio ſuę ſit confeſſio cæcitatis. Primum eſt euangelicę doctrinę pręſtantia; alterum edita ad adiungendam illi auctoritatem, & firmamentum prodigia; tertium denique mira eiuſdem in exteras terrarum omnium gentes propagatio.

Tria, quæ fidem confirmant, doctrinę præſtantia, miracula, & propagatio.

De doctrinæ, præſtãtia, Eius Sanctitas.

Quod ad doctrinæ pręſtantiam attinet; ea e duabus potiſſimùm rebus, ſanctitate, & conſtantiâ, conſurgit. Sanctitas euangelicę doctrinę tanta eſt, quantam ne votis quidem ęquare fas eſſet, ni vota ipſa frequens exemplorum occurſus docuiſſet aſſurgere: tam multos paſſim cernere

licet

licet ex eius alumnis incredibili ſanctitate conſpicuos. Ad hanc autem, vt cultores ſuos Chriſtiana religio perducat, eximiam illis de Deo O. M. (cuius amor ſanctitas eſt) primùm ingerit exiſtimationem: Eum enim eſſe docet, quo nulla valeat nec terrena, nec cœleſtis intelligentia, aut maius, aut melius, aut æquale aliquid excogitare. Cetera barbarorum inſtituta, quæ humana intelligentia peperit, ea duntaxat de diuinitate proferre potuere, quæ anguſta valuit, ac tenebricoſa mens hominum capere: proinde vſque adeo infinitam Dei magnitudinem in arctum coegere, quà Perſonarum numerum, quà prouidentiæ, quà libertatis, bonitatiſque decora amputando, vt in truncum planè redegerint, ſuâ materiæ, vnde fingebant Numina, facie reſtitutà. Tãtis deinde vitiorum ſordibus ea inquinarunt, vt ſi quem hominem Dijs illis ſimilem inuenire contingeret, inter porcos abigeremus. At Chriſtiana religio diuino parta ingenio Auctorem ſuum refert, non ad anguſtum noſtræ comprehenſionis modum, ſed ad diuinæ, quæ noſtram in infinitum excedit. Hæc tamen Dei magnitudo noſtræ intelligentiæ menſuras vſque adeo excedens ingenio ſagaci fidem facit, non derogat, vt cui notum ſit de infinito Bono ea magis eſſe credibilia, quæ magis exiguæ mentis anguſtias ad infinitatem ſuam excedant. Inde autem eſt, quod mortales iubeat omni officiorum genere, ac pietatis ſtu-

dio

dio Numini honorem habere, vt ſi eius meritis parem exhibere nequeant, parem ſaltem ſuis viribus habeant: itaque diuinæ gloriæ prouehendæ, non dignitati, non voluptati, non opibus, non vitæ, non ſi qua vitâ cariora ſunt, parcant; ſed cuncta cum gaudio, tanquam lucraturi profundant. Quia verò nullum Officij genus Deo O. M. gratius accidere poteſt, quàm ſi eius ſanctiſſimos mores ſibi quis imitandos proponat, ſecundùm illud; *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum*: hoc
Leuit. 19. 2. eſt ſimilitudinem induite, cuius amicitiam optatis: idcirco hoc maximè ſpectat Chriſtiana inſtitutio, vt alumnos ſuos ab omni labe puriſſimos exigat, & per integerrimos, ac ſanctiſſimos mores quanto ſublimiùs euehat, tanto diuinitati propiùs admoueat.

Id autem, quàm facilè, & cumulatè præſtiterit, ex tam multis, ac propemodum innumeris omnis ætatis, ſexus, atque ordinis ſanctiſſimis viris, qui ſeculis omnibus Chriſti Eccleſiam exornarunt, luculenter apparet. Quamplurimi enim ex illis poſthabitâ rerum humanarum, ſuique corporis curâ, vitam omnem in ſolitudine procul ab hominum conſpectu, contemplando Numini, ac rebus cœleſtibus traduxere. Alij ſe longiſſimis peregrinationibus, atque immenſis fregere laboribus, vt ignotas, atque a noſtro Orbe diſſitas gentes ad veri Numinis cultum conuerterent: quod vt efficaciùs peragerent, aſtrictiſſimo victu,

con-

continentiâ ſummâ, incredibili inediâ ſe ipſos Chriſtianæ, quam prædicabant, perfectionis exẽplar gentibus illis elaborarunt. Alij ſub dirâ infidelium Regum tyrannide cunctis acerbitatibus, ac tormentis corpus dilacerandum dedere, quò ſuum Deo amorem, ac fidelitatem approbarent. Quæ tantæ doctrinæ ſanctitas Doctorem Deum, ſuus vt quenque ſtylus auctorem, tam dilucidè monſtrat, quàm ſenſu carere, qui neget. Vnde enim, niſi a diuinâ Sapientiâ, profluere tam diuina, tam Deo plena, Deumque ſpirantia documenta potuerint? Cum igitur viam illa ſalutis edoceant, atque ad eam contemptis omnibus ineundam inuitent; tam certum eſt, ad ſalutem perducere, quàm Deum mentiri in æternam amicorum perniciem non poſſe. Quid enim dictu, audituque abſurdius contingere poſſit, quàm Deum Mehemeti, Neſtorio, Lutero, alijſque palàm ſceleſtiſſimis, ſibique infenſiſſimis tenebrionibus, æternæ ſalutis viam, vt ipſi iactant, monſtraſſe; Sanctiſſimis verò Apoſtolis, Martyribus, Anacoretis, Virginibus, qui opes, dignitatem, gloriam, voluptates, & vitam ipſam eius honoribus profudere, errorem pro viâ, vel oſtendiſſe, vel permiſiſſe: nec cæcos filios, eius amantiſſimos, in foueam, dum ſe Parentem cupidiſſimè peterent, euntes piâ manu reduxiſſe? An poteſt quidquam de infinitâ Dei bonitate excogitari iniuriofius? Certè ſi de homine quopiam ſimile

ali-

aliquid audiretur; nemo illum a feris animantibus, niſi ob plusquam ferinam immanitatem ſecerneret.

Eiuſd. doctrinæ conſtantia.

Conſtantia doctrinæ æquè, ac ſanctitas diuinum prodit Auctorem, qui ſolus tam multa, tam ardua, tam abdita, tantâ cum partium omnium conſenſione ſine vllo vnquam lapſus veſtigio docere potuerit. Quanuis enim infinitis propemodum partibus ſacrarum litterarum doctrina conſtet, pleriſque etiam res abditiſſimas, atque ab humano ſenſu remotiſſimas tractantibus; nulla tamen pugnare vnquam cum aliâ, aut cum naturali ratione, ac veritate, vel ab amicis, vel a ſagacioribus inimicis deprehenſa eſt. Multa quidem ſupra noſtram rationem docet, ſed contra nihil: proinde non poteſt humana ratio aliquid ex eâ, tanquam ſibi contrarium reſpuere. Quod ſi reſpuat, vt ſuperius, & ab ſe minimè captum, intollerabili tumet ſuperbiâ, niſi fortè diſrupta euanuit, quaſi perſuaſum habeat, ſe comprehenſione prędítam infinitâ, ac prorſus diuinâ, quæ ex ijs quæ ſint, nihil non capiat. Conſtantiæ miraculū auget ſumma noſtrorum hominum in omni diſciplinarum genere eruditio, eaque omnis ijs, quæ pertinent ad religionem diligentiſſimè examinandis impenſa. Duodeuiginti hactenus publica orbis terræ Concilia, in quę præſtantiſſima quęque, omniſque plena eruditionis ingenia e cunctis gentibus confluxere; item quàmplurima ſingulis natio-

Summū Eccleſię, ac Patrū in examinādis dogmatis ſtudium.

tionibus peculiaria, alia etiam permulta prouinciarum propria in id vnicè coacta ſunt, vt cuncta Chriſtianæ religionis dogmata, imò & voces ſingulas accuratiſſimè expenderent, an a ratione aliquid, aut a veritate aberrarent. Eò etiam totâ vitâ deſudarunt acutiſſimi quique, atque ij propemodum innumeri, quibus omnibus haud vnquam contigit, in abſonum aliquid, aut minùs rationi conſentaneum incidere: quin omnia ſummo conſenſu comprobarunt, palàm docuerunt, acerrimè, etiam fuſo ſanguine, propugnarunt: tametſi non ſuam auctores, retinendæ dignitatis ſtudio incitati, ſed alienam liberi ſectatores doctrinam tuerentur. Quis tot capita, moribus, opinionibus, ingenio, locis, temporibuſque maximè diſſita, atque in rebus prope omnibus pugnantia in hanc vnam, atque vniuerſam doctrinam propugnandam componere potuiſſet; niſi hæc ipſa doctrina ſui Auctoris diuinitate proditâ ſibi tanquam diuinis vocibus, ſilentium, & aſſenſionem ab omnibus linguis, ac populis conciliaſſet? Hęc ratio benè expendenti validiſſima eſt, at quæ ſequitur, longè validior.

Prodigia in huius doctrinæ confirmationē edita.

Alterum Chriſtianæ religionis firmamentum eſt infinita propemodum prodigiorum multitudo ad adiungendam illi auctoritatem diuinitus edita. Quâ in re illud cum primis animaduertendum, haud quaquam poſſe a rerum Auctore, vanam aliquam, ac mendacem vitæ inſtituendæ rationem,

ac ſuperos colendi formulam, prodigijs commendari: imò ne permitti quidem, vt eadem a malo dæmone prçſtigijs ſuis, veluti ſignis adulterinis, quorum fraudem Deus non detegat, obſignetur: quemadmodum detectas a Deo nouimus Ægiptiorum magorum coram Pharaone præſtigias. Ita ſapientiſſimi quique Theologorum, ac Patres vniuerſi docent: cauſamque afferunt, quia ſecus homines prudentiâ duce, hoc eſt Deo ipſo auctore, (cuius illa apud nos ſedet interpres) in errorem, ſempiterno exitio daturum inducerentur. Inde miracula meritò nuncupantur annuli diuini ſigna, nullius vnquam adulterio permiſſa, vbi in veræ religionis documentum adhibeantur. Tam multa autem eiuſmodi miracula inſtitutæ a Chriſto religioni commendandæ perpetrata narrantur, vt apud nos illa audire, aut legere ſolitos propè miraculi nomen, laſſatâ, ac perditâ admiratione, perdiderint. Ex ijs duntaxat, quæ Franciſcus cognomento Xauerius Indiarum Apoſtolus ad vnam ſui imaginem Potamiĕſem noſtrâ memoriâ edidit, iuſtum volumen conſcriptum vidimus: quis enumeret, quàm multa per ſe adhuc viuens, quàm multa poſt obitum per ſui corporis, aut veſtimentorum reliquias toto terrarum orbe diſperſas ediderit. Quid dicam de innumeris alijs ſanctiſſimis Viris, ac fœminis Xauerio, vt morum ſanctitate, ita prodigiorum effectione minimè imparibus, & fortè præſtantioribus? qualis vtique fue-

Exod. 7. 12.

Miracula Dei ſigilla quod adulterari nequit.

rit Sanctiſſima, Dei parens, & Superum Regina Maria, cuius vna Lauretana domus patratis prodigijs complura volumina impleuit. Vix autem reperire eſt Chriſtiani nominis vrbem, aut vicum, in quo non vnum, aut plura templa occurrant, tabulis votiuis, vel ſigillis cereis, argenteis, aureis, prodigioſa beneficia teſtantibus, vndique cooperta: quo periſtromatum genere illuſtriùs Eccleſiæ catholicæ templa renident, quàm attalicis ſuis regiæ ædes peripetaſmatis: Hæc enim donant egentibus domibus ornamenta, ſeu potiùs accommodant aliena; illa, quæ ſua illorum ſunt, manifeſtant.

At cuncta hæc a nobis conficta Aduerſarij noſtri protinus clamant. Quid enim verò? num ſatis nequitiæ apud vos ad ſimilia fingenda deeſſe cenſendum? eſtis ne immunitate aliquâ donati, quâ ne Apoſtoli quidem (inter quos non defuere grauiſſima crimina) vt nemo veſtrum vel officioſo mendacio contaminari queat? Quid igitur cauſæ erit, cur ſcriptorum apud vos nullus Lutheri, aut Caluini, aliorumue nouæ religionis auctorum miracula conſcripſerit? Profectò, ſi extarent, ſcribere debuerant: cum enim illi ſe a Chriſto miſſos ſuæ Eccleſiæ reſtitutores, doctoreſque iactarent; opus erat diplomata ſuę miſſionis Chriſti ſigillo, vel ſaltem eius Vicarij obſignata proferre. Cum autem nullum Vicarij diploma oſtentare aliud poſſent, niſi, quo quenque illorum Hæreticorum effugiũ obſtruitur.

Mm 2 Pon-

Digitized by Google

Pontifex Maximus tanquam peſtiferum Chriſtiani gregis corruptorem, a reliquorum cætu, & communione ſeiunxit, reliquum erat, vt per miracula ſe ab ipſo Chriſto proximè miſſos demonſtrarent. Quare cum ea miracula ſcripta non ſint a ſuis ceteroqui amantiſſimis ſcriptoribus, quid aliud fuiſſe in causâ excogitare fas erit, niſi prudentem metum, ne ſi ab hominibus in ore, atque oculis omnium ſceleſtiſſimis diuina facta prodigia iactarent, ſibi detraherent, quàm alijs dare conarentur auctoritatem? Atqui Scriptores noſtri auxerunt potiùs, quàm imminuerint ſui nominis apud vulgus opinionem, vt qui populo ea prodigia ſcripſere, quibus ipſe populus interfuerat. Ita Gregorius Pontifex Magni cognomentum ab ijs accepit, in quos ſuos dialogos ſparſit, vbi quamplurima ſui temporis miracula ijs ipſis legenda præbuit, quibus contigiſſe narrabat: Profectò ſi falſa forent, Magni quidem, ſed fabulatoris, non Doctoris cognomentum retuliſſet. Baſilium quoque, qui Gregorij Neoceſarienſis ſcripſit miracula, ijdem populi magnum nuncuparunt, qui & Gregorio Taumaturgi nomen fecerunt, vtroque cognomento ſcriptoris Baſilij fidem comprobantes. Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, Bonauentura, ipſi quoque litteris conſignarunt, quæ ſuo tempore mira ſupra naturæ ordinem contigere: nec tamen ab æqualibus ſuis, qui narratis rebus inter-

θαυματουργός miraculorũ effector.

terfuerant, aut mendaces, aut creduli, ſed præſtantiſſimi, ac prudentiſſimi Eccleſiæ Doctores audiere. Præterea poſſunt ne æmuli noſtri, quæ ſacris continentur euangelijs, Chriſti ſeruatoris noſtri miracula, tanquam ab eorum ſcriptoribus confiđta, reſpuere? at quo tandem pacto, ſi ipſi illi, qui vel a varijs languoribus exempti, vel ab interitu reuocati, vel ab inſidentium Dęmonum poteſtate aſſerti, vel denique (qui ad multa millia fuere) pane diuinitus multiplicato exaturati narrabantur, narrata vel legerunt, vel in concione audierunt; nec modò falſitate offenſi ſacros Doctores non contempſere, ſed veritatem experti, doctrinam, tanquam e Cœlo miraculis confirmatam venerati, amplexique ſunt? Tam igitur certò conſtat, Chriſtum miraculis euangelio fidem feciſſe, quàm primęuos illos Chriſtianos parentes noſtros euangelio ijs miraculis referto credidiſſe: quod ceteroqui tam certum nobis eſſe debet, quàm filijs, ſuos fuiſſe parentes. Ab illis enim perpetua Chriſtianorum ſeries ad hęc vſque tempora propagata eſt, vt hiſtoria omnis cum ſacra, tum profana a noſtris hoſtibus Philone, Ioſepho, Plinio iuniore, Tacito, Suetonio, alijſque deinceps conſcripta luculenter teſtatur; nunquam enim iam inde a Chriſti temporibus intermiſſa ab hiſtoricis eſt Chriſtianorum ſuę cuiuſque ętatis mentio, tametſi ęqua a bonis, improba ab improbis, vtraque tamen pariter honorifica.

Omit-

Digitized by Google

Noſtra miracula etiã hoſtes noſtri teſtati ſunt.

Omitto, ipſa etiam prodigia ab ijſdem Chriſtianæ religionis hoſtibus fuiſſe aliquando conſcripta, vti celeberrimum illud perhibetur, quod ad Chriſtianorum preces M. Aurelio Antonino cum vniuerſo exercitu ſuo inſpectante contigiſſe narrat Ammianus Marcellinus ethnicus ſcriptor: & ante ipſum idem Antoninus Cæſar datis ad Senatum litteris illud ordine expoſuit, teſtatus, ſe inſignem de Marcomannis victoriam reportaſſe Chriſtianorum ope, qui fulmina e Cœlo contra hoſtes impetrarunt, vnde & Legionis fulminatricis cognomentum accepere. Addiditque Cæſar decretum ſuum, quo ignis pœnâ in poſterum caueret, ne quis Chriſtianos hoc ſolo nomine, quòd Chriſtum profiterentur, accuſare auſus eſſet, pœnas ipſe daturus, quas illis moliretur. Litteras, ac decretum recitat Iuſtinus Martyr ijs temporibus æqualis, in ſuâ pro Chriſtianis aduerſùs ethnicos apologiâ, quam illi eidem ſenatui dedit, qui memoratas litteras, ac decretum ab Antonino Cęſare acceperat. Hiſtorię ceteroqui ſcitu digniſſimę fuſiùs enarrandæ immorari non licet ad potiora feſtinanti: Baronium conſulat, cui vacat. At non eſt, inquis, cur in his, quæ ab oculis remota ſunt, enarrandis diutiùs immoreris: quidquid non video, nunquam adducar, vt credam. Stultus enim ſim, ſi fidem meam obſcuris rebus committam. Imò ſi claris, inquit Auguſtinus. *Quid eſt enim fides, niſi credere quod non*

Stultum eſt, nolle credere niſi viſa.

non vides. Et ſi ea tibi ſtultitia conſtet, nec Bizantium, nec Athenas, aut Carthaginem, aut Chorinthum, quas non vides, credere tibi fas erit: imò nec te iſtis ortum parentibus, nec ex iſtâ genitum ſtirpe, quam iactas, nec denique vltra oculorum iactum tua fides procurret: proinde in quæcunque incideris, ſemper vt noua, ſtultè miraberis, vrbes, montes, maria, ipſoſque ſenes decrepitos, vt recens natos, gratulabundus excipies. At non meis iſta quidem, ſed pluribus aliorum, qui adfuere oculis vidi? Quare igitur Chriſti, aliorumque Superum prodigijs fidem non habes, quæ licèt non tuis, quamplurimis tamen populorum, qui interfuere, oculis cernere potueras? Verùm perge porro in errore tuo: noli niſi tuis oculis credere, modò apertis illis oberres etiam erranti prodigium omnium maximum, & quod cuncta terrarum ſpatia iam occupat, occurret. Id autem eſt omnium gentium ad Chriſtianam religionem conuocatio, quæ quàm ingens miraculum ſit de ſuâ quiſque admiratione, vbi audierit, poterit æſtimare: quia tamen vberiorem deſiderat diſputationem ſequenti capite exponenda eſt.

CA-

CAPVT QVINTVM.

Prodigium Chriſtianæ religionis omnium maximum, Gentium ad illam ex vniuerſo terrarum orbe conuocatio.

QVinque potiſſimùm in exterarum gentium ad Chriſti fidem adiũctione conſideranda proponimus, vt prodigij huius magnitudo quanta ſit ritè æſtimari poſſit quaſi ex omni parte ſpectata: Primùm, doctrinam, quæ ad vniuerſi generis humani concionem promulgata eſt; deinde Doctores, qui promulgarunt; proximè Auditorum genus; tum quæ ex aduerſo ſtetere, ne radices ageret; nouiſſimè operis totius effectum. Ex his enim tam validum pro Chriſtianæ religionis veritate argumentum exiſtet, vt ſi quis eo ſe impelli non ſentiat, nequaquam ſuæ firmitati, aut conſtantiæ tribuere debeat, quam omnem peruincere id natum eſt, ſed imbecillitati ad vim, & impetum concipiendum

Quinque conſideranda in Gentium conuerſione.

Digitized by Google

dum inualidæ. Quemadmodum enim eadem, quæ ferreos globos tormenta longè prouexerant, vix cubitum ſuperinditam ſtupam, aut occurrentem plumam proferre valent; ita quæ grauiſſimos quoſque viros argumenta maximè mouent, minimè leuiculos poſſunt. Cauſa vtrobique communis: quia exigua ingenia tenui plumæ perquàm ſimilia, quo vim mouentis, atque impellentis capiant, non habent.

Imbecillitatis eſt argumentis præualidis non moueri.

Primò igitur doctrina euangelica cum ad intelligentiam, tum ad vſum, effectionemque ardua maximè eſt, atque humano faſtigio ſublimior. Docet enim Deum naturâ indiuiduâ vnum, ac ſummè ſimplicem, triplicem in Perſonam diſtingui, quarum vna oriatur ex alterâ, æuo, ceteriſque rebus prorſus æquali, ſic, vt a Genitore etiam accipiat Genitus naturam non genitam: Filium, qui par æternitate Genitori eſt, ætate eſſe Genitrice minorem, quæ ſimul integrâ æternitate minor eſt Filio, qui etiam ſuæ Matris eſt Pater: Eundem rerum Conditorem, Rectorem, Arbitrum, Deum denique præpotentem, ac metuendum a ſuis figmentis in crucem actum, medium inter Latrones pependiſſe, atque immortalem licèt morti ſuccubuiſſe: Eundemque vniuerſi Dominum corpus ſuum mole non imminutum ſub exigui panis ſpecie comedendum præbere, ſic, vt totum totam dapis formam, itemque totum ſingulas eiuſdem formæ particulas vel

Doctrina euangelica intellectu, vſuque perardua.

tenuiſſimas occupet: nec tamen vllas anguſtias patiatur, nec diuisâ formâ diſcedat in partes, nec in infinitum multiplicata multiplicetur, aut mole minimùm augeatur. Quæ omnia vſque adeo captu difficilia ſunt, atque in ſpeciem abſona, Crucis præſertim myſterium, vt *Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam*, Paulus nuncupauerit: quanquam reuerà ſtultitia omnis illorum in mente ſiſtat, qui ſtultum putant tantam de infinito bono credere bonitatem.

1. Cor. 1. 23.

Æquè difficilis ad vſum, vitæque actionem eadem Chriſtiana lex eſt; vt quæ prauas animi noſtri propenſiones, ceu diſtorta membra, loricat, & corrigit. Odiſſe quenque ſe ipſum, veluti hoſtem iubet; hoſtem amare perinde, vt ſe ipſum. Inferenti iniuriam non modò non referendam, verùm etiam meritis repenſandam, quorum vbi facultas deſit, Superum beneficentiam precibus admouendam: Veſtem ſi quis diripere conetur, pallium quoque dimittendum: ſi dexteram nobis maxillam cædat, ſiniſtram quoque vltro exhibendam: Cunctas acerbitates Numinis offenſionibus vel leuiſſimis præoptandas: & ſi quando labi contingat, tametſi in ſcelus maximè pudendum, ſuo tamen admittentis ore Sacerdoti explicatè ſignificandum, ab eoque pœnam ſummi beneficij loco ſuſcipiendam. Hæc atque alia fortè duriora Doctrina habet euangelica: cuncta autem, hoc duriſſimo præcepto, quaſi cortice inuoluta

cuſto-

cuſtodit; Vt quiſquis illam ſectari velit, etiam obiectâ cruce, etiam in conſpectu carnificis, aut pyræ ſuccenſæ palàm profiteri, & minimam quanque eius particulam tueri debeat, daturus æternas pœnas, ni faciat.

Iam Doctores inſpiciamus: fortè iſti eloquentiæ vi, auſteriori ceteroqui doctrinę, beneuolentiam, atque aſſenſionem conciliauerint, ſuà materiæ, vt blandiloqui ſolent, illitâ ſuauitate: ſic enim Poetas cernimus grato carmine gratiam ruſticanæ, ac pauperi vitæ, quæ ceteroqui multis ſcatet ærumnis, conciliare. Fortè etiam potentiâ, vel opibus ruſticos, & egenos ad eius comprobationem induxerint: vili enim emitur vilium fides, & paruo imbecilla corrumpitur. Nihil a veritate remotius. Dum Chriſtus humanæ auctor ſalutis nouam hanc rempublicam, quę nouas leges, eaſque duriſſimas orbi vniuerſo imponeret, moliretur; lacum adijt Geneſarenum, vt inde pauculos quoſdam Piſcatores aſſumeret, litteraturæ omnis expertes, quibus non alia, quàm ſua cuique manus, potentia, nec aliud, quàm ſordida illa piſcandi ars, patrimonium erat. Hos ſibi tantæ molitionis miniſtros cooptauit, quos immiſurus ad opus ſic allocutus fertur; *Ite: ecce ego mitto vos ſicut agnos inter lupos: Nolite portare ſacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per viam ſalutaueritis*: Hoc eſt nullius opem ſalutationibus, aut præfatio-

Doctores natura maxime inepti.

Luc. 10.4.

nibus captabitis: ne diuitum amicitia veſtræ cedat in ſupplementum inopiæ. Alias quoque præſidij omnis prçterquam diuini indigentiam explicatiùs iniunxit, vbi ait; *Nihil tuleritis in viâ, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas*. Denique, vt rem verbo concludam, eos tam arduæ doctrinæ Doctores habere voluit, qui, quo eſſent ad eam perſuadẽdam ineptiores, hoc aptiùs, perſuaſionem fore diuinam, oſtenderent.

Matt. 10. 16.

Auditores euangelicæ doctrinæ ineptiſſimi.

At qui tandem Auditores? An ſimpliciſſimi quique delecti, maximèque ſenſus expertes, qui aperto quoque vnà cum auribus ore accepturi eſſent quidquid ingereretur, ac bona item vt mala ſine ſenſu diſcriminis demiſſuri? An etiam ita moribus agreſtes, ac feri, vt ea, quæ ceteroqui duriſſima forent, durioribus ipſis mollia viderentur? Primùm totus terrarum orbis futurus erat auditor: *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes*: inter has Græcia in primis numeranda, vniuerſo Orbi ad eam diem optimarum artium magiſtra. Inde enim præter multiplices Philoſophorum familias, illarum quoque Parentes prope omnes habuimus, Pythagoram, Socratem, Democritum, Epicurũ, Zenonem, Platonem, Ariſtotelem, ceteroſque. Inde extitere mathematicarum diſciplinarum Magiſtri, Euclides, Appollonius, Archimedes, quemadmodum & medicinæ Hippocrates, & Galenus, & poeſeos Homerus

Matt. 28. 19.

Græcia Orbis magiſtra.

rus; Heſiodus, Pindarus, & oratoriæ Demoſtenes, Eſchines, Iſocrates. Inde pictores celeberrimi, Apelles, Protogenes, Zeuxis, duceſque præcipui, Epaminondas, Temiſtocles, Alexander, alijque propemodum innumeri, quorum virtus, & labor otium litteris cuſtodiuit, ijsque, vt florerent, ſepem ſuis telis ac laureis compoſuit, deditque materiam, quam exornarent. Hæc autem tam felicia germina vbertatem ſoli demonſtrant ad ſumma omnia procreanda feraciſſimi. Quod verò attinet ad mores; docendi erant, qui luteos Deos, inque illis dedicata ſcelera, tanquam ſanctiſſima, ac diuina venerarentur. Quàm altè putas in ea pectora nequitiam deſcendiſſe, quam per ſe corruptæ naturæ amicam diuinæ honeſtas ſimilitudinis inſuper commendaret? His autem ſuperbiſſimis, & corruptiſſimis ingenijs noua iſta ſapientia, quæ veterem ignorantiam exprobraret, & vitia penitus in viſcera, ac medullas inſinuata, quaſi exenterando erueret, inculcanda erat.

Idololatria ad firmãda ſcelera apteſſima.

Fortè Regum, ac Principum voluntas ſpe populos e Chriſtianâ inſtitutione obſequentiores habendi, viam quodammodo Regiam, ad Euangelicæ legis progreſſiones aperuerit: eam proinde viam populi libenter inierint, rati, ſe per eandem ad Principum voluntatem, & gratiam euaſuros. At *Aſtiterunt*, inquit Diuinus Vates,

Quàm acriter oppugnatũ Chriſti euangelium.

Pſ. 2. 2.

tes, *Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſùs Dominum, & aduerſùs Chriſtum eius.* Orbis terrarum propemodum vniuerſus, Chriſto in Crucem acto, contra pauculos illos Piſcatores arma tulit, quò nouæ ſemina religionis opprimeret: atque vbi de illis extremæ crudelitatis exempla feciſſet, in eorum ſectatores tantâ immanitate deſæuijt, vt ſi corporum cruciatus aſpicias, nulla fere ſpecie ad inferorum ſupplicia contemplanda propiùs admoueri queas: Non enim alio, quàm Dæmonum odio, atque inſtinctu a tyrannis in ſacros Martyres ſæuitum eſt, eodem nempe, quo illi miſeros tartarorum animos nequiſſimi carnifices cruciant: quanquam ſi ſanctarum mentium lætitiam introſpexeris, nullâ æquè cœleſtem iucunditatem, tartareos cruciatus vincentem, relatura eſt. De exiguo illo cruore, qui poto ſolo ſuperfluus ſpongijs exugi potuit, plures vna Roma puteos impleuit, quos adhuc in eâ ciuitate, ex peruetuſto more gentium concurſus adorat, veneraturque decies ſupra centies centena Martyrum millia, qui pro fide Chriſto obligatâ ſanguinem profuderint, iam inde a pueris ſępiùs numerata audiuimus: euolutis tamen Eccleſiaſticę hiſtorię monumentis, tanto plures eà cauſâ in cunctis vniuerſæ terræ angulis obijſſe putauerim, vt ne centeſima quidem pars ad noſtram notitiam peruenerit. Binę leges a Diocletiano latę nobis id maximè perſua-

Martyrum pœnis nihil infernis ſimilius, lętitia nihil cęleſti.

ſuadent, quarum alterâ Chriſtianos, alterâ eorum memoriam delere in animum induxerat. Primâ enim ſanxit, nè cuiquam fraudi eſſet Chriſtianos occidere, atque eorum bona diripere: proinde totidem carnifices in eos immiſit, quot in ſuo habuit imperio vel Chriſtianis inimicos, vel opibus Chriſtianorum amicos. Poſteriore verò ſacros codices vniuerſos publicè comburi iuſſit, tantę fortitudinis armamentarium. Inde factum, vt ſanctorum Chriſti Martyrum acta ad id vſque tempus per annos ferè trecentos diligentiſſimè conquiſita, deſcriptaque penè omnia perierint, pauciſſimis, iiſque magnam partem igne corruptis, exceptis. Quis igitur poſt primam legem numerum inire, quis poſt alteram definire potuerit? Magis appoſitè de Martyrum numero pronunciauit magnus Gregorius, cum noſtrę comprehenſionis capacitatem ab eo dixit excedi. *Totum*, inquit, *Mundum fratres aſpicite: Martyribus plenus eſt. Iam penè tot, qui videamus, non ſumus, quot veritatis teſtes habemus. Deo ergo numerabiles, nobis ſuper arenam multiplicati ſunt: quia quanti ſunt a nobis comprehendi non poſſunt.* Quibus apud alios Gregorio etiam antiquiores ſimilia inuenies. Quanta verò poſt Gregorij tempora huc vſque facta ſit toto orbe terrarum acceſſio, nemo eſt, qui valeat enumerare. Nonne autem totidem hîc etiam prodigiorum millia, ſi rectè ęſtimes, quot martyria computabis?

Diocletiani ſeuities, ac delendæ religionis ſtudium.

Hom. 27. in euan.

Vide Cipr. lib. de exhort. ad martyr. cap. 11.

Pro-

Prodigium clamas, ſi quando accidat, vt te admotus ignis non vrat, ſuam ab eo victam ratus propenſionem: at reuerà non victa ab igne naturalis propenſio eſt, ſed a Deo ſublata, qui dederat: retinuiſſe illam, ſimulque viciſſe, id demum prodigium maximum numerandum, quod in ſanctiſſimis illis viris, qui vitam Chriſto dedere, quam vehementer amabant, enituit. Prodigioſum fuit Martyres quoſdam ab admoto igne non vſtos; at prodigioſius multo, eorundem quamplurimos acerrimè vſtos, & minimè commotos: Illud vnius fuit opus Omnipotentiæ nemine repugnante; at iſti, cui naturæ deſiderium acriter obſiſtebat, adlaborauit etiam ſapientia, quæ ſummâ dexteritate, ac ſuauitate relictam in ſuæ vitæ amore voluntatem, ad eam dandam, vt perennaret, adegit.

Prodigioſius eſt, Martyrem vrente igne non cómoueri, quàm non vri.

Quàm latè euangelium diſſeminatum.

Igitur (vt ad extremum eorum, quæ propoſuimus, accedamus) conſentaneum eſt credere, huiuſmodi Philoſophiam tam arduam, a tam ineptis Doctoribus, tam ineptis Diſcipulis, tempore tam alieno, inferis omnibus circumfrementibus, traditam, ſectatores habuiſſe nullos, vel nullos ſaltem ad hęc vſque tempora retinuiſſe. Audi prophetica Malachiæ verba, quæ iam euentus fecit hiſtorica; *Ab ortu ſolis, vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Nullus terræ angulus, nulla tam barbara, ac

Malach. 1. 11.

ſepo-

ſepoſita regio, quæ auguſtiſſimum IESV nomen diuinis irradiatum honoribus non veneretur. Iam *in nomine IESV omne flectitur genu, & omnis lingua confitetur, quia Dominus IESVS Chriſtus* (is quem in crucem actum Piſcatores docuerunt) *in gloriâ eſt Dei Patris.* Iam orbis vniuerſus omnibus momentis (ſole matutinam lucem ad ſacrificia peragenda circumferente) abditum illud Euchariſticæ dapis myſterium ſuper aram adorat. Nec videt ampliùs europa, ſpurciſſimorum olim Deorum proſtibulum, idolum vllum, ex infinitis, quibus antea occupabatur, niſi ſi quod inſigni aliquâ deformitate conſpicuum ad noſtræ plebis ludibrium, adhuc in ſuis ędibus Chriſtiani Principes ſeruant. Verùm cuncta idolorum templa, terribilis ſuper omnes Deos is ſibi vindicat vnus, quem trina diſtinctum hypoſtaſi doctis perſuaſit indocta ſimplicitas. Quàm parum autem, ſeu nihil ethnicorum Regum ſeuitia Chriſtianam conſtantiam deterruerit Tertulliano auctore didicimus, qui teſtis oculatus; *Sanguis Martyrum*, inquit, *ſemen eſt Chriſtianorum.* Vnus qui caderet germen ex ſe, ſuâque virtute proferebat in centuplum. Ipſe ille Diocletianus, qui prę ceteris aduerſùs Chriſtum inſanijt, poſtquam Chriſtianorum incendijs, proſcriptionibus, cędibus cuncta fędaſſet, comperto ſe granum euangelicum ſeminaſſe, quod mortuum voluerat, dolore, ac deſperatione actus in rabiem, cęſareā co-

Ad Philipp. 2. 10.

Tyrannorū ſæuities, euāg-lij propagationi conduxit.

Diocletiani domus Chriſti cultorib' plena.

ronam primùm, deinde vitam ſceleratam abiecit. Viderat enim ſuis ipſe oculis non modò vbique terrarum ſemper magis, magiſque ſuccreſcentes, quos deletos optauerat Chriſtianos; verùm etiam ſuam ipſius domum vſque adeo ijs refertam, vt plus ferè non poſſet, ſi eorum parens, non carnifex fuiſſet. Omnes ſiquidem regij cubiculi miniſtri Gorgonio, ac Dorotheo cubicularijs ſuaſoribus Chriſtiana ſacra ſuſceperant. Caſtulus vnus ex regiæ domus Præfectis ſuperiorem eius partem ſacris myſterijs, ac cætibus peragendis dicauerat: ibidemque vltra domeſticos ſuos, omnes Chriſti cultores, multos etiam externos, ac præſertim Caium Pontificem Maximum hoſpitio retinebat: quare vna erat Tyranni, ac Pontificis Chriſtianorum Regia. Sebaſtianus primæ cohortis dux, ac Cæſari apprimè carus tanto ardore Chriſtum, eiuſque cultores fouebat, vt a Caio Pontifice Eccleſiæ defenſor fuerit cognominatus. Caius verò ipſe, Diocletiani ex fratre nepos, vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ, vt indicatum eſt, præerat, habebatque Gabinium fratrem veri Numinis cultorem eximium, cuius filia Suſanna ob Chriſti amorem Galerij Maximiani Cæſaris nuptias dato etiam ſanguine recuſauit. Claudius Diocletiani patruelis, quem ille ad Suſannam regijs nuptijs flectendam allegauerat, Virginis hortatu vnà cum Vxore Prepedigna, Maximo fratre, ac duobus filijs ſacro baptiſmate initiati

ſunt

ſunt. Quid plura? Cæſaris quoque torum Chriſti fides aſcendere non dubitauit: nam Serena Auguſta Diocletiani vxor Chriſtum ſummo animi ardore colebat, ſic vt Suſannæ corpus, quam ad martyrij cruciatus fortiter ferendos hortata fuerat, ſuis ipſa manibus in argenteam arcam impoſitum, noctu ſuſtulerit, terſoque ſui capitis velamine Soli cruore domum aſportauerit, ſolita deinde nocturnis precibus venerari. Denique imperio dimiſſo videre compulſus eſt, dentibus ſuis fremens, & tabeſcens vir ſceleſtiſſimus Chriſti religionem vbique gentium maximè florentem, ſedemque ſuam vnâ cum Conſtantino, excuſsâ Dæmonis, eiuſque miniſtrorum tyrannide, occupantem.

Philippos non palàm fuiſſe Chriſtianos, rei ambiguitas ſuadet.

Poſt ipſum autem Conſtantinum, qui primus Chriſtianam religionem palàm Cæſareo diademate coronauit, nullus deinde Cæſarum non Chriſtianis ſacris initiatus ſucceſſit: quorum pietate, ac legibus relegata ad vltimos Indos, eorumque ſtupori condonata lapidum veneratio eſt. Vrbs verò veteris Romanorum potentiæ, & magnificentiæ ſedes, eiuſdem Principis munere, non ſine Regum inuidiâ, Petro Chriſti Vicario paret: Vnde diſcas licet, cuius, quantæque potentiæ fuerit, (certè Romanâ ſuperioris) caput orbis terrarum nudo inermis Piſcatoris veſtigio calcandum ſubdidiſſe. Ex eâ autem Vrbe Chriſtianæ religionis Antiſtites ſuam tam longè, la-

Digitized by Google

tèque potentiam immittunt, vt vltra omnem regiæ amplitudinis modum, vniuerſum terræ orbem vtriuſque manus complexu contineant: ad Seres, ad Iapones, ad Antipodas omnes ſua iura, legeſque porrigunt; vectigalia indicunt; magiſtratus creant, ac loco, ſi indignos culmen oſtendat, mouent; populos, eorumque Principes coercent; vitam, necem, fortunam, cum proſperam, tum aducrſam pro ſuo arbitratu diſtribuunt; ſic prorſus, vt, ſi ſint qui imperium detrectent, pro leui ac breui huius temporis pœnâ, grauiſſimam, ac ſempiternam infligant. Quid Crucem memorem, priſcis temporibus tam probroſam? Iam Romani Capitolij turribus inſidet tanquam de perfidiâ debellatâ triumphans: iam Regum vertici inſiſtit tanquam regiæ maieſtatis faſtigium: iam inſignis nobilitatis pectora notat: iam fauſtę precationis ſignum habetur, morborum adhibetur auxilium, prodigiorum inſtrumentum: iam denique Chriſtiani orbis character domibus, templis, turribus, nauibus, rebus omnibus ad mortalium venerationem, ad hoſtis tartarei terrorem, & fugam imprimitur.

Chriſti Crux ad quantā gloriā euecta.

Quid igitur de tanti operis molitione tam arduâ, tam admirabili pronuncias? Credis ne, euangelicæ legis prouectionem diuinorum prodigiorum interuentu contigiſſe? an id adhuc obfirmatè negas? Si credis; igitur fateris, eam Dei annulo, & auctoritate obſignatam, confirma-

matamque: ſi negas; maius ergo prodigium haud quidem credis, ſed vides; Dogmata, ſcilicet, intellectu, vſuque tam ardua, ab ineptiſſimis homuncionibus, genti ſuperbiſſimæ, maximèque inquinatæ tradità, mortalibus propè omnibus obſtrepentibus, ac tartareo furore ex aduerſo debacchantibus, ſine vllo diuinæ auctoritatis indice prodigio, innumeros toto orbe terrarum ſectatores ex omni ordine, ſexu, atque ætate, vſque ad vitæ in omnia tormenta profuſionem addictos habuiſſe, atque ad hæc vſque tempora ſemper magis, magiſque multiplicatos retinere. Vtique ſi prodigia interueniſſent, opus tam grande eorum omni vi, ac molitione minus non foret: Si igitur minimè interuenere, ſuâmet virtute omnium vim prodigiorum exæquat, & continet: ſe vno efficit, quod cuncta prodigia collatis viribus effeciſſent. Quare ſi certum ſedet, nulli niſi oculis tuis diuina miracula credere; en quo pacto in hoc errore vaganti, quod antea promiſimus, prodigiorum omnium maximum, quod vel cetera continet, vel vires ceterorum, occurrit.

Qui miracula in hâc re credere non vult, videt.

Adhuc fortè ſuſpicio nonnulla mordet; an tam illuſtria veritatis indicia in hæreſim vllam ex tam multis, in quas improbi diſceſſere, accommodari poſſint? Longum faciam ſi te per ſingulas ſectas, & ſingularum errores circumducam: breuiùs rem conficies ſi vnum hoc tibi firmiter perſuaſeris, tam non poſſe ſub tantis veræ re-

Sub tantis veritatis indicijs non poteſt falſa religio latere.

religionis indicijs falſam latere, quàm nos non poſſe Deo duce æternas pœnas ſubire. Ipſe enim eſt, qui ſeueriſſimè iubet illam eſſe religionem ſeligendam, quam a Deo inſtitutam prudentia exiſtimet: proinde ſi falſa, & quæ ad inferos ducit religio haberet omnia veritatis indicia, ducente Deo ſeu potiùs cogente ad inferos detruderemur: Quod quàm alienum eſt a diuinâ bonitate, tam a noſtro ſenſu eſſe debet, qui ſentire de Domino in bonitate iubemur. Duo tamen præterea obſerues velim, quæ tuam fidem mirificè ſolabuntur, ſolidabuntque. Alterum eſt, e noſtris bonos nullos, vel qui inter bonos recenſerentur, vnquam deprehenſos ad peſtilentes iſtos ſectarios defeciſſe: ſed nequiſſimos quoſque, & plerumque ob nefaria crimina ad extrema ſupplicia quæſitos: Contra ex aduerſæ partis hominibus ad nos, nonniſi eos, qui ſuorum opinione ſanctiſſimi, prudentiſſimique haberentur. Quid autem quæſo inde conficias, niſi liquidò conſtare, Religionem Romanam commune eſſe virtutis perfugium, ceteras a Romanâ aberrantes, vitiorum impunitatem quærentium, aſilum? Alterum eſt, complures e Romanæ fidei deſertoribus in extremo ſpiritu (quando ſcilicet ſuæ quiſque ſaluti maximè conſultum velit) ad antiquam Religionem ſe tandem recepiſſe: neminem tamen qui e Catholicæ religionis formulâ omnem egit ætatem, ad extremum, vbi ſe mor-

Duo alia, eaque maxima veritatis ïdicia.

morti proximum cognouit, aduerſam hæreſim profiteri maluiſſe. An non id quoque argumentum eſt, Romanam religionem certiſſimam eſſe ad Superos viam, ceteros autem errores, quando illam maximè quæritant, ineuntque qui ad ſuperos cogitant, omnique conſilio, ac viribus connituntur. O quantâ cum fiduciâ in ſupremo illo, ac tremendo iudicio aſtare nobis coram Chriſto iudice, eumque Riccardi verbis appellare licebit; *Domine ſi error eſt, quod credimus a te* Ricc. de S. Vict.
decepti ſumus: ijs enim ſignis doctrina hæc confirmata eſt, vt niſi a te fieri non potuerint. O quantâ igitur voluptate (vt eò aliquando redeat, vnde diſceſſit oratio) illius fiduciæ præſens delibatio eorum animos afficiet, quibus hæc fides eſt illam fiduciam paritura!

CAPVT SEXTVM.

De ſpei ad beatam in terris vitam obtinendam præſidio.

TAmetſi habita Numini nos ſuperna edocenti fides maximam animo voluptatem pariat, ſitque terrenæ felicitatis pars non exigua; tamen quia ea-

eadem, quæ ſempiternam nobis aperit felicitatem, aperit & ſempiternas miſerias; voluptas illa haud parum timore contrahitur, minuiturque, quanquam & multum de maximâ remanet, quia eadem fides oſtendit, integrum cuique eſſe, vtrum malit, eligere, & noſtrâ in poteſtate relinqui, partem capere potiorem, ac ſempiternâ, ſi libeat, felicitate potiri. Maius tamen nobis de ſpe, quæ nihil exhibet mali, nihil non exhibet boni, quàm de fide gaudium exiſtet. *Guſtate, & videte*, inquit Dauid fideliſſimus propinatæ ſuauitatis prægustator, *quoniam ſuauis eſt Dominus*: quàm autem, & vnde ſuauis, ſtatim adiungit: *Beatus vir, qui ſperat in eo*: par ſcilicet Beatorum iucunditati de ſpe diuinę beneficentiæ in animum ſuauitas deſtuet. Id quod ſapientiſſimus Salomon tam perſuaſum habuit, vt etiam in prouerbium, quaſi probatum vſu, & experientiâ verbum, tradiderit. *Qui ſperat in Domino*, inquit, *beatus eſt*. Nec tibi aliqua ſuſpicio incidat, an eo modo ſacrę litterę eos, qui in Dei bonitate ſpem figant, beatos appellent, quo regios infantes, ſuę nec dum fortunę conſcios vulgò beatos nuncupamus, tametſi beatum reuerà nihil habeant, præter ius, & vacuum vectigalibus titulum. Non hæc diuini Spiritus in ſacris litteris mens eſt, cum nos iubeat de ſpe noſtrâ lætari, quod de ſuâ nequeunt infantes, tametſi in purpurâ nati, ac repentes, a quibus tam procul de ſuo iure lætitia abeſt, quàm no-

Spei, quàm fidei vberior voluptas.

Pſ. 33. 9.

Prou. 16. 20.

Qui ſperát, nó ſolo iure, ſed etiã re felices.

notitia. *Lętentur*, ait iterum Regius Pſaltes, *omnes, qui ſperant in te Domine*. Tantum prætereà lætitiæ Auctor noſtræ ſalutis a ſperantibus, (vtique dare potentibus) exigit, quantum contrà acerba omnia, ac præſertim infeſtos impiorum conatus, ſtare queat: cum enim dixiſſet aliquando, nos tunc fore beatos, cum paupertatem, luctum, & cunctos nefariorum incurſus ob euangelicæ pietatis ſtudium paſſi fuerimus; hæc verba ſubiecit; *Beati eſtis, cum maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersùm vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate in illâ die, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis*. Vbi per ea verba, *in illâ die*, ſat perſpicuè indicauit, gaudium noſtrum de ſpe futuræ in Cœlo mercedis, non in futurum differendum, nec in iure ſolùm, ac veluti Syngraphâ dandum, ſed in præſens, & in re ipsâ, & quidem tam firmum, & conſtans, vt de gradu nullâ vi, aut impetu ingruentis periculi deijci queat. Atque id ipſum eſt, quod Chriſtus Dominus alibi pollicitus fuerat, *centies tantum in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam* recepturos, qui hæc omnia ob euangelica promiſſa dimitterent: quæ verba alibi a nobis allata, huc illuſtranda reiecimus: vbi ſcilicet ex huius diſputationis loco plurimum luminis eſſent habitura. Nempe tam vehemens gaudium etiam

Pſ. 5. 12.

Ex Marc. 5. 11. & Luc. 6. 23.

Marc. 10. 30.

Gaudium iuſtorum etiam inter aduerſa ſubſiſtit.

hoc tempore ſua Chriſto donantibus promittitur; vt non modò centuplo maius futurum ſit eo, quod de bonis dimiſſis hauſiſſent; verùm tantæ conſtantiæ, ac roboris, vt tyrannica omnia tela ſuâ firmitate ſit eluſurum. Poteſt enim tyrannus domum, & opes, & cognationem, & fortunas totas, & voluptatem ex ijs partam adimere: at gaudium illud, quod ex ipsâ rerum iſtarum iacturâ centuplum diuinitus redditur, vſque adeo non poteſt adimere, vt ipsâ ceterarum rerum ademptione dare cogatur.

Quid Centuplum in hac vitâ?

Percurre Sanctorum Virorum, ac præſertim Chriſti Martyrum vitas, & perſpicuè intelliges, quàm verè centum pro dimiſſo vno, agros recepiſſe dicantur, qui centum agrorum fructum, ſine culturæ moleſtiâ perceperint. Agros voco, quidquid terrenorum ad fructum, voluptatemque percipiendam a nobis colitur: centuplo autem maiorem dicendam arbitror voluptatem, quæ omnes vincat acerbitates, atque in medijs illis triumphet, præ aliâ quâlibet vel regiâ voluptate, cui leuiſſimus quiſque capitis languor interitum afferat. Aloyſium puerum duodennem, loco nobili apud Iapones natum, cum ob Chriſtianam pietatem e cruce pendenti quidam aſtantium dixiſſet; *O te felicem, quem breuis hora ſempiternæ felicitati tranſcribet*; vſque adeo gauiſum ferunt, vt in ipſo patibulo totus efferri, atque exilire, ſolâ oculorum acie in Cœlo defixâ, non ſine ethni-

Ex Dan. Bart. in Iap. l. 2.

ethnicorum admiratione, ac lachrymis, cæperit. An non centuplo maius gaudium rectè dixeris, quod talem vincat acerbitatem, cui centum, quin & omnia huius æui gaudia ſuccumbant? Age Cæſarem, aut Alexandrum in crucem, & vide ſuâ ne illi fortunâ exultent, an potiùs illâ quoque carnifice torqueantur: tantundē enim ſua quæque fortuna torquet in aduerſis, quantùm delectabat in proſperis, caſumque ſemper grauat cadentis magnitudo. Hinc autem liquidò conſtat, haud arduum eſſe, quod puero licuit, Chriſto dicenti, *gaudete, & exultate in illâ die*, danti præterea, vnde pareatur, obtemperare.

Repletus ſum conſolatione, inquit Paulus, *ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ*. O gaudiū ingens; quod nō replet ſolùm infinitam animi capacitatem, ſed abundat, ſed ſuperabundat, nec poſt labores tantùm de illis, ſed in medijs illis, triumphat: *Superabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ*. Cuius verbi audi explanatorem nouarum gentium Apoſtolum, qui eoſdem cum Paulo labores expertus eadem ſolatia promeruit, aptiſſimus inde apoſtolicæ mentis interpres. Is enim nunquam ſe vberioribus e Cœlo delicijs cumulatum ait, quàm vbi pluribus religionis cauſâ periculis, ac laboribus premeretur. Quod illi maximè contigit, dum in inſulâ Mauricâ verſaretur, vbi in ſummâ rerum egeſtate, inter populos, quibus mos eſſet, non peregrinos ſuſtentare cibarijs, ſed ſe peregrinis,

2. Cor. 7. 4.

S. Franc. Xau.

coniuges, prolemque cænaturos, vbi exterorum venatio non ſuccederet: ſupernæ tamen conſolationis, & gaudij in tantis periculis exuberantiam his verbis deſcripſit. *Si quidem* (ita in quodam ſuarum litterarum capite loquitur) *hæc omnia pericula, & labores vnius Dei cauſâ ſponte ſuſcepti, theſauri ſunt, diuinis maximiſque gaudijs refertiſſimi: vt hæ inſulæ in primis aptæ, atque appoſitæ ad oculorum aciem ex iucundiſſimâ lachrymarum vbertate perdendam eſſe videantur. Equidem nunquam me tot, tantis, tam continuis animi voluptatibus circumfluere memini; prorſus vt omnem laborum, atque ærumnarum ſenſum obruerent.* At fortè clariùs hanc diuinæ iucunditatis cum noſtris calamitatibus conſociationem expoſuero, ſi quæ de Caroli Spinolæ cœleſtibus inter extremas miſerias voluptatibus Iaponica monumenta ferunt, commemorauerim.

Turſ. in eius vitâ l. 2. c. 15.

Eſſima gaudia inter ſumma pericula, & labores.

Ex eius vitâ

Habebatur Vir præclariſſimus vnâ cum duobus, ac triginta ſocijs ob Chriſtiani nominis odium in cuſtodiâ quâdam, caueæ inſtar continendis feris potiùs quàm hominibus elaboratâ. Quaternos illa erat, & vicenos non ampliùs palmos oblonga, ſexdecim lata, quantum ſcilicet noctu iacentes vix caperet omnes. Collis vertici ſuper amplam vndique planitiem extuberantis, inſidebat, non muris tamen, ſed fixis circum palis conſtructa, tantum inter ſe diſſitis, quantum æſtiuis ſolis ardoribus, atque hybernis imbribus, niuibuſque admittendis ſufficeret. Quocirca tempore

Caroli Spinolæ & Sociorum carcer, ſeu cauea:

æſti-

æſtiuo ab ortu ad occaſum ſol circumactus illos feriens, in perpetuum ſudorem eliquabat: iidem in prægelidâ tempeſtate aſſiduo tremore concitabantur, tunc demum quieſcente, vbi tandem obriguiſſent. Siquidem haud illis fas erat ad Cœli prohibendas iniurias aliquid, quà parte ingruerent, opponere: id vetantibus excubijs, quæ ſolùm veprium ſepimento, humanâ ſtaturâ paulo altiore circumdato cauerant, ne circumiacentium camporum amœnitas ad eos recreandos aſpiraret. Quare tantum aliquando imbrium, ventis pellentibus, inferebatur, vt pauimento oppleto in communem latrinam ſuperflua aqua deſcenderet, atque inde ſordibus miſta in domicilium reflueret: his autem deterſis, exiccatiſque intolerabilis fœtor, & vis vermium vndique ebullientium in eorum corpora miſerabiliter graſſabatur. Illud tamen miſerius; quod huiuſmodi, aliaſque ſimiles beſtiolas e veſtibus, & corporibus eximere, niſi in omnium oculis non liceret, ac generatim quæcunque occultata decuiſſet palàm exequi cogebantur: quod ferè intolerabile videbatur, quibus pudorem, & generis nobilitas, & religioſa educatio vltra communem naturę inſtitutionē commendauerant. Porrò victus non alius, quàm modicũ orizæ frigidâ maceratæ quantum non placare, verum irritare famem, atque irritatam trahere ſat poſſet: additâ quoque atrâ quâdam, atque amarâ ex contuſis herbis potione, non ſolatio ſitis,

ſed

ſed medicinâ. Veſtis autem, vtcunque ſordida, eadem ſemper, quouſque vſu detrita in fruſta paulatim delaberetur. Hæc tanta incommoda frequentes, ac diuturni morbi, vti aſſolet, comitabantur. Carolus ſæpè ad extremum vſque vitæ diſcrimen venit, pluribus ſimul malis oppreſſus: febri, nauſeâ, vomitu, diarrheâ, torminibus, vertigine, cunctis ſine medicamento furentibus, ne modicâ quidem aquâ in ſummo febris ardore permiſſâ. Denique tam ſeuerè, & crudeliter in huiuſmodi per ſe adeo tetrâ cuſtodiâ habiti ſunt, idque quatuor annorum ſpatio, vt Io: Baptiſta cognomento Porrus, noſtræ tunc in Iaponiâ ſocietati præpoſitus, ſeriò pronunciauerit, mitiùs cum illis actum fore, ſi quod deinde fuit, viui citiùs cremarentur. Illi tamen perinde vt nimiâ proſperitate fluentes, caſtigatione indigerent, has pœnas alijs ſponte ſuſceptis, ac manufactis cumularunt. Singulis enim profeſtis diebus, flagello corpus ſuum aſperè accipiebant: Sæpè etiam cilicio, ac vigilijs vltra nocturnam pſalmodiam productis: ac denique inediam eiuſmodi ſtatis quibuſdam diebus ſeruabant, cui quotidiana cibi abſtinentia, aſtrictiſſima licèt, ieiunij nomen ceſſerat: hęc enim duntaxat extraordinaria ieiunium illis dicebatur, perinde ac ſi ceteris diebus conuiuarentur.

Ignis tormentũ mitius carcere iaponico.

Hoc tamen in loco tam multis, tam grauibus ſupplicijs, horrido, mirum eſt, quanto maioribus

bus e Cœlo delicijs Sanctiſſimi Chriſti Martyres permulcerentur. Vltra binas horas tacitę rerum ęternarum contemplationi ſingulis diebus traditas, & matutina ſacra ferè ad meridiem vſque pluribus deinceps operantibus, ceteris aſſiſtentibus, perducta, & ſacrorum librorum lectionem, & bis exactam conſcientię rationem: quibus temporibus ſuperna gaudia, quaſi cœleſte manna, laxato ſinu, captabant; ter quotidie, nempe mediâ nocte, ad ortum, atque ad occaſum ſolis, pſalmis alternâ modulatione canendis coibant: quod eâ animorum ſecuritate, & vocum concentu pręſtabant, vt prętereuntes ſatis mirari non poſſent, vnde illis tantum alacritatis, & lętitię ad cantum vſque accuratè modulandum ſuppeteret. Carolus verò ſui carceris ęrumnas in ijs litteris, quas inde dedit ad ſocios, in voluptatis ſibi materiam conuerſas ait, vt quę terrena omnia bona, hoc eſt omnem a cœleſtibus mentis auocationem ſubducerent: horumque iucunditatem triſti comparatione augerent. Sæpè tetram illam cuſtodiam, quâ nihil tartareæ ſimilius, Paradiſi nomine nuncupabat, vbi, ſi centum degere ſibi annos contingeret, in ſingulos dies ſe beatiorem fore cenſeret. Nec aliud ſibi ad plenam iucunditatem deeſſe, niſi vt ſe palo deuinctum lento igne Chriſti cauſâ torreri cerneret. Eò curas omnes, & cogitationes intenderat, eòdem dum ad amicos ſcriberet, eòdemque dum loqueretur, identidem reuo-

Ingens crudeliſſimi martyrij cupiditas.

reuoluebatur. Amicos verò ipſos coniecturam in contrariam partem afferentes, ac libertatem augurantes, rogabat, ne ſibi tam triſtia præſagirent: contra futuri ſupplicij noua argumenta dantibus ſacræ Hoſtię immolatione gratiam referebat. Cum tres aliquando vnà cum dimidio menſes febri æſtuaſſet, nec interea memoratis careret incommodis, quin debilior acriùs offenderetur; negauit, vbi ab illâ ſe valetudine explicuit, vnquam in anteactâ vitâ paribus animi delicijs, ac voluptatibus potitum. Quin etiam poſtquam ſæuo carceri, atque afflictæ valetudini acceſſit noua cibi deminutio (multum de eo, quod ceteroqui ſatis malignè dabatur, ſuffurantibus excubijs) vnde præ fame, ac languore ſe in horas periturum crederet; incredibile dictu eſt, quàm lætus tunc præter morem, ac vultu hilaris ſeſe ceteris exhiberet: aiebatque, ſi quid Numinis causâ tunc pateretur, ſatis copioſam in ipſâ laborum perpeſſione ſibi mercedem relatam: idque adeo, vt ſi nihil reſeruaretur in poſterum, præmio ſe iam donatum abundè crederet. Denique ex ijs anguſtijs ad atrox ſupplicium eductus, tunc cum maximè ſui animi magnitudinem explicuit: mirâ enim æquitate per viam omnes notos iuxta ignotoſque conſalutabat: quoſdam etiam magis familiares comiter appellans, paucis, ſed calentibus diuinâ caritate verbis, ad retinendam perſeuerantiam hortabatur. Vt autem in locum certaminis venit,

nit, & fixos humi ſtipites, & ingentem circum-lignorum ſtruem in theatri morem palis circumdatam vidit, lætus primùm ac ridens cuncta oculis perluſtrauit, deinde altâ voce gratulabundus præcinere, ceteriſque præire cæpit Dauidicum carmen. *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi*, quod tantâ vocum harmoniâ, ac ſuauitate reliqui proſecuti ſunt, vt ex aſtantibus quidam iureiurando in publicas tabulas pro ſacrâ apotheoſi confectas retulerit, concentum illum neſcio quid cœleſte, ac diuinum auribus prorſus ignotum inſonuiſſe: fortè deceptus aurium iucunditatem credidit, quæ mentis fuit, a ſenſibus in tantæ fortitudinis admirationem auocatę: Vtrumlibet tamen fuerit, ſua ſtat iuramento fides, quòd cantum in tam acerbę mortis conſpectu ſupernæ virtuti tribuerit. Ad extremum pyrâ ſuccensâ alij citiùs, alij ſeriùs ad alteram vſque ac tertiam horam lentè combuſti ad Superos euolarunt. Quandiu autem incendium ſtetit, æquè oculos Cœlo defixos, ac ſua corpora flammis immota præſtitere, vt documento eſſent, vnde tanta conſtantia deſcenderet, nempe a cœleſtibus pręmijs, quæ oculos tenebant, perque eos eductam mentem ſæuientibus flammis eripuerant.

Pſ. 116. 1.

Martyrſtrobur ſpes æternorum.

En quantum præſidij ad beatam in terris vitam degendam in ſpe ſupernæ felicitatis poſitum ſit; quando eam animo iucunditatem importat, quam

Digitized by Google

ne ignis quidem, rerum ceterarum corruptor, violare queat. Quâ autem viâ, ac ratione id præſidij nobis parare poſſimus, paucis accipe. Philoſophorum certa ſententia eſt, communis experientiæ ſuffragijs comprobata; ſpem futuris iucunditatibus inhiantem etiam præſenti aliquâ voluptate perfundi: quæ voluptas futuræ guſtus, ac ſpecimen, pro ratione maioris boni, quod expectatur, ac firmioris ad illud obtinendum fiduciæ, maior eſt. Id cernere licet in ijs, quos honorum ſtudia per aſperrima quæque ducunt, fatigantque; quo enim honores ampliores ſunt, & plura venturos illos ſigna præcurrunt, hoc maius cupidis, ſpe obuiam prodeuntibus, gaudium important: Honoribus ſiquidem menti repræſentatis, præſens fit ambitioſis honorum imago, quam ſibi illi inſtar amantium, quandiu abeſt amicam, gratulantur. Signa autem prænuncia ita erigunt ambitioſos, vt veſtigatores canes veſtigia, odorque prædæ iam dephrenſus: Frui iam prędâ ſe cæpiſſe putant, cum eius odore fruuntur. Porrò bonum quod pij homines in futurum expectant, infinitum eſt; fiducia, tanta, quantam quiſque ſibi pietatis officijs velit adiungere: Pietas enim & diuinam auget amicitiam, & amicæ communicationis fiduciam: quia verò maximè ardua, quemadmodum meritum, ita & coronæ ſpem augent; maximam quoque in ipsâ arduitate ſuperandâ voluptatem pariunt, vti luculenter tot nobiliſſima

Spes quęlibet futuri boni etiam in præſens iucunda.

ſan.

ſanctorum Martyrum exempla teſtantur. Quòd ſi contingat, ſpem ſupernæ felicitatis perſpicuo aliquo Numinis admonitu roborari; ipſam pręterea felicitatem, aſſiduæ contemplationis vi, clariorem ſui ſpeciem exhibere; nulla vnquam erit in terris, quæ cum gaudio iſto collata non quodammodo męreat lętitia. Id præclarè docuit Frãciſcus Aſſiſias, admirabili vir ſanctitate, cui contemplanti cum pulcherrima ſupernæ ciuitatis ſpecies eſſet oblata, ac deinde palàm diuinitus ſignificatum, ipſum ad eam breui peruenturum; tantâ animi lętitiâ exilijt, vt cubiculo egreſſus, corpore menti obſequente, curſare per nemus, efferri, ſubſilire, obuias arbores in argumentum exuberantis gaudij, atque omnia complectentis amoris, amplexari cęperit. De noſtræ ſpei firmitate, quâ parte Dei promittentis fidelitatem ſpectat, non eſt cur plura dicamus vltra ea, quæ de fide iam diximus: vna eſt enim firmitas vtrique communis: nimirum quantam habet e diuinæ vocis auctoritate Fides, totam ſpei, cuius eſt fundamentum, tribuit. Quâ verò parte, noſtrâ etiam pietate ſpes nititur, haud quaquam verendum, ne hâc ſubductâ labatur. Quis enim de ſuis manibus, quę ſolę valent hoc adminiculum ſubducere, timeat? Quis ſe inuito, ac ſine ſuâ voluntate impium ſe fieri poſſe, putet, cum non aliud ſit, quàm impia voluntas, impietas?

Frãciſci Aſſiſ. de ſuâ prædeſtinatione admoniti gaudium.

Duo tamen pręterea ſunt, quę ſedulò animaduertas

Spei incitamenta.

uertas oportet, ſi tuam erigi, ac ſtare fiduciam cupias. Alterum eſt, infinitam Dei caritatem infinito noſtrę ſalutis deſiderio ęſtuare, ex eoque mutua in nobis incendi, ſi quando ab eo diſceſſimus, redeundi deſideria: Is enim eſt, qui ſæpiſſimè interiori afflatu ad reditum inuitat, qui nobis exhibet pœnitentię ſpatium, qui ſacra myſteria, inque ijs ſuperna auxilia miniſtrat, qui famulos ſuos ad nos ineundæ cum eo pacis interpretes allègat, qui amicos ſuos nobis exemplum format, atque ad imitandum proponit, eoſdemque vt pro nobis ſe deprecatores præbeant, inſtigat, qui denique ſuæ curiæ Principibus nos in tutelā tradit, mandatque, vt nullam abire opportunitatem ſinant, quâ nos ad ſuam nobis reconciliandam Clementiā non extimulent. Si autem peccantes nos Deus perdere voluiſſet, quid tantis conatibus opus fuerat? morte ſtatim immiſsâ, rem ſine labore, ac pro libito tranſegiſſet. Si igitur non immiſit, ſi adhuc vocat, pulſat, expectat; apertiſſimum documentum eſt, eum adhuc ſummo noſtræ ſalutis ſtudio teneri, nec ad integrandam cum illo amicitiam quidquam, præter noſtram voluntatem, expectari: haud enim illi deeſſe poteſt amica voluntas, qui noſtram amicitiam tantâ ambitione diſcupere ſe manifeſtat. Alterum eſt, a Deo tibi præceptum, vt Patrem illum appelles, atque ad eum quâcunque in neceſſitate confugias: *ſic ergò*, inquit, *vos orabitis*, Matt. 6. 9.

Pater

Pater noſter, qui es in Cælis &c. vbi quidquid neceſſarium, aut vtile nobis foret, petendum præſcripſit: quid autem eorum dare nolit, quæ peti voluit, cum vna ſit dandi, atque incitandi ad petendum voluntas? *Quid non det filijs*, inquit Auguſtinus, *qui dedit, vt filij eſſent*; hoc eſt, vt etiã heredes: & quali bone Deus hereditate! *Dominus enim, ipſe eſt hereditas eorum* ait in veteri teſtamento. Quid igitur rerum e dominio ſuo iure negauerit, quibus ſeſe omnium Dominum teſtamento reliquit? Adde quod latâ lege de ſpe in eius ope locandâ, editoque in eius legis violatores æternę mortis ſupplicio, tam certò nobis ſe opem laturum ſignificauit, quàm ſe non eſſe fraudulentum mendaciorum artificem: quis enim eo fraudulentior, qui animo deſerendi amicum, illum de ſuâ fide bene ſperare iubeat, denunciatâ ni faciat, inimicitiâ. Hanc nobis Deus denunciat, niſi in eo, eiuſque ope ſpem noſtræ ſalutis, & quidem omnem ponamus: itaque ſi ſpei fraudandæ propoſito ſperare nos iubeat, maximè, peſſimèque fraudulentus, ac ſubdolus eſſet, qui fraudes, doloſque æternum exitium allaturos componeret: quod de infinitâ bonitate cenſere ſine pari noſtrâ malitiâ non licet.

Aug. de ſerm. domini in mon. hab.

Quo igitur dulciſſimæ huius ſpei lacte vitam hanc in æternitatem ſuſtentemus; reliquum nobis eſt, vt adhibitâ contemplatione, quàm plena ſint huius lactis vbera, ſiue quanta nobis bona promit-

mit-

mittat felicitas ſempiterna, diligenter inſpiciamus. Contemplationi materiam ſuggerent ea, quæ ſequuntur.

CAPVT SEPTIMVM.

De externis Beatorum cœleſtis Patriæ Ciuium bonis.

TRes in partes, atque has in alias, atque alias vniuerſum de ſupernâ felicitate argumentum partiri iuuat, vt ijs veluti gradibus ad eiuſdem felicitatis faſtigium facilior fiat mentis aſcenſus, quibuſdam planis ad quieſcendum emollitus. Prima pars bona proſequetur externa, quæ infimum in noſtrâ felicitate locum obtinent; altera corporis, quę medium; tertia animi, quę potiſſimum, ac ſupremũ. Inter bona externa duo pręſertim felix illa Beatorum ſedes admittit; Loci amęnitatem, & Felicium aliorum contubernium. Non enim ibi aurum, aut argentum, ſordidos facientes e cęno diuitię: nec lanę oſtro, ſeu murice tinctę, aut id generis alia, pudenda magis velamenta pudoris, vt quæ e pecorum depilato corio contextâ hominem belluâ tegunt:

De amenitate ſedis Beatorum.

nec

Digitized by Google

nec puerilia e ſtruthionum caudis, aut lapidum fruſtis;aut concharum recrementis ornamenta compoſita: verùm cuncta ibi, vt loco, ita ſplendore, atque amplitudine noſtris iſtis ruſticanis opibus (Baruch. 3. 24.) ſuperiora. *O Iſrael, quàm magna eſt Domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis eius! Magnus eſt, & non habet finem excelſus, & immenſus*, inquit Propheta: non vtique vt ſignificet infinitam loci magnitudinem, quia verè pulcherrima domus illa, quemadmodum formâ, ita finibus ſuis formam circumſcribentibus non caret; ſed infinitam ipſius formę pulchritudinem, quę mentis noſtrę capacitatem exuperat. (1.Co.2 9.) Teſtis Paulus, qui vidit, pronunciauitque, *Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ pręparauit Deus ijs, qui diligunt illum*. Quo ex teſtimonio vt aliquid de immensâ illius beatiſſimę Domus pulchritudine aſſequi poſſis, hoc tibi commentum non omnino vanum propone: vmbra enim veritatis erit, quam ſi non exponet, teſtabitur ſaltem, viamque, quâ inquiratur, vmbrę inſtar, oſtendet.

(Beatæ Domus deſcriptio.) Finge animo te in ſupernam illam Ciuitatem ab Angelo tuę ſalutis cuſtode inductum, atque ante ingreſſum ſuperba męnia intuentem recordari quod olim a Chriſto Ioanni dictum, murorum funda- (Apoc. 21 20.) menta ex ijs lapidibus conſtare, quę apud nos ſummo habeantur in pretio: ex iaſpide, ſaphphiro, calcedonio, ſmaragdo, chriſolito, topazio,

Qq 2 be-

berillo, hyacinto, amethyſto, ijs denique gemmis, quarum e fruſtis auro incluſis, ac digito inſertis ſplendorem, ac pretium emendicamus: nimirum ea, quæ nobis pretioſiſſima ſint, tanquam rudes, & nullius pretij lapides in beatæ illius Vrbis fundamenta iactari. Cognoſce hinc ſurgentium murorum pretium, quorum contentione gēmæ noſtræ vileſcunt, & tanquam indignæ viſu defodiuntur. Ingreſſus deinde e ſingulis margaritis mirificè elaboratis ſingulas fulgere portas aſpicias, & cuncta intus auro flagrare nitidiſſimo: nec niſi aurum beatorum ciuium pedibus teri; imò quod nobis Cœlum dicatur, eorum veſtigijs pauimentum inſterni. Aſpice vias, quæ ſpatioſam, curuatamque poſt aream vndique in æquabilem recedentes planitiem in tantum procurrant, vt admirabili longitudine oculos fatigando, reficiant: Ædes hinc, atque inde in directum poſitas, atque ad ęquale faſtigium altè ſurgentes, omnes ex auro non quidem noſtrate, & vulgari, ſed inſtar vitri pellucido coruſcantes: *Ipſa verò Ciuitas,* inquit Ioannes, *aurum mundum ſimile*
Apoc. 21. 18. *vitro mundo*: Non enim quidquam latere neceſſe habet aut cupit, vbi cuncta ſunt ęquè ſpectatu digna, ac ſpectari cupida: nec a nocte obſcurari cœlites timent, vbi ſuo quiſque ſplendore nitet, & ſole ipſo nitidior oritur quocunque pergit, diéque ſecum ipſe circumfert. Aer quoque ibi nonniſi vndique ſpirantium odoramentorum afflatus,

qui

qui a beatis ciuibus hauſtus, fragrantior reciprocatur. Nec e fontibus, niſi mella fluunt, nec amnes niſi balſama, aut lymphas odoratas voluunt, quibus irrigua prata, nemoraque perpetuò florent, floribuſque perpetua iungunt poma, eademque illis coronant. Vide, vt feliciſſimas inter arbores frequentes errent, & cuncta permulceant id generis volucres, qualis fertur, quę trecentos annos ſanctiſſimi ſolitarij aures, vitamque ſub dio æſtiuis, hyberniſque iniurijs obnoxiam detinuit. Quid de illo concentu dixeris, cuius vnica vox tam mirifica fuit, atque incredibiliter ſuauis? Quid etiam de alio omnium voluptatum concentu ſingulis ſenſibus reſpondentium, ac ſuauiſſimam animo exhibentium harmoniam?

Dicas tamen quidquid occurrerit: noua alia, & meliora ex ſacris litteris, vel e profanâ hiſtoriâ, vel etiam ex ipſis poetarum fabulis mutuata componas: quippe omnem ætatem poſtquam magnifica adornando, & commentando traduxeris; tandem fateare neceſſe erit, horum nihil in Cœlo re ipſâ futurum: Sed Pauli teſtimonium recordatus dices, quod ipſe mihi ſoleo dum tacitus iſta mecum reuoluo; *Hec in cor tuum aſcendere potuerunt, illa nunquam in cor hominis aſcenderunt.* Tanto namque præſtantiora ijs, quæ cogitaſti, reperies, vbi illuc adueneris, quanto Diuina Artificis cogitatio tuâ eſt cogitatione præſtantior.

Iam verò Beati Ciues o quanto erunt ſuâ ſe-

De felicitate ex beatorum ortâ conſortio.

de nobiliores! quanto Cœlo ipſo clariores, ac pulchriores! Plura tamen de eorum nitidiſſimâ ſpecie in ſequentibus diſſerenda reijcimus, illud tetigiſſe contenti; ad eum decorem, ac dignitatis gradum illorum quemlibet euehendum, vt ſuperbiſſima mortalium vota infinito propemodum interuallo ſit infra ſe Beatorum quilibet relicturus. Audi, quiſquis ætatem omnem per immenſos labores perdis, vt perditam honoribus locupletes, & quaſi ſericus bombyx totum vitæ ſtamen in ſepulchri fabricam ducis, ac torques: Poteſtne ambitio tua vltra ſupremos regiæ dignitatis gradus procurrere? vtique non habet, quò altiùs aſcendat: ibi tumor omnis rumpatur, inque ſuam auram redeat, neceſſe eſt. Atqui ſic habeto; Regnum tibi non ad paucos dies, ſed in omnem æternitatem ab ipſo mundi exordio pa-
Matt.25.27. ratum: *Venite benedicti Patris mei; poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi*: Ita in extremo die ſe dicturum teſtatus eſt idem ille, per quem reges regnant, quique regiam tibi coronam a rerum exordio ſuis manibus fabricauit, pręparauitque. In hoc regno collegam habebis imperij eum ipſum, quem vniuerſi mortales, ac mortalium reges adorant: ſedebiſque non pari cum Mundi Rectore ſolio, ſed eodem, vt ipſe-
Apoc.3.21. met, Ioanne interprete, pollicetur: *Qui vicerit*, inquit, *dabo ei ſedere mecum in throno meo*: vnâ
Luc.22.30. item in menſâ recumbes, ipſo dicente; *Et ego di-*

diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo: Quin etiam, dubium quidem quonam modo, ſed certè veriſſimo aliquo, ipſe terrarum, Cœlique Arbiter, non ſolùm te ſuæ menſæ collegam, amicum, familiarem, ac domeſticum adhibebit, verùm etiam accumbenti preſtò erit ad miniſtrandum præcinctus. Audi & hoc ex ipſius Dei pollicentis oraculo; *Beati ſunt ſerui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Miraris fortè tantam in Deo humanitatem? mirare potiùs, ſi quem audias dicentem, Deo homini humanitatis aliquid defuiſſe, vbi præſertim notum, illum in terris ad abiectiſſima quæque, vel infimo pudenda homuncioni, noſtrâ causâ demiſſum. Vbi præcinctum vidi ad abluendos ſeruorum pedes, non difficilè adducor, vt credam, eum ad miniſtranda ijsdem fercula præcingendum. Denique (quod ſupra etiam, quàm ſuſpicere, mirarique poſſis, inuenies) Ibi fiet veriſſima illa, ſed ad fidem omni fabuloſâ difficilior metamorphòſis, quâ homo diuinam ita induet formam, vt Deus, Deique filius a diuino Genitore agnoſci, ac verè nuncupari poſſit: quid enim non verum de ipsâ veritate procedat? Ergo ne, inquies, Dij erimus? *Non audeo dicere ex me,* inquit Auguſtinus, cuius prudentiſſimo reſponſo libenter vtor, *verùm id di-*

Luc. 12. 37.

Tract. 2. in ep. Ioan. ex pſ. 81. 6.

centes ſcripturas audiamus, (Verbum ſcilicet illud,
Io: 10. 35. quod cuncta dicendo fecit) *Ego dixi Dij eſtis, & filij Altiſſimi omnes*: quem locum in hanc ſententiam Deus ipſe, qui eum olim protulerat poſtmodum explanauit.

Quale igitur gaudium, Deus immortalis, erit, ſeſe ſpectare in concilium Deorum pari cum ipſis iure cooptatum? De Senatoribus humanæ cuiuſque reipublicæ documentum cape, qui ſimul ſe in id Collegium euectos vident, vix ſibi præ lætitiâ conſtant, tametſi paucis poſt diebus in lætitiæ locum, mentiſque deijciendæ munus, mœror ſuccedat: vſu ſcilicet depoſitâ, quæ feſtum indixerat ignorantiâ. Scito autem ſenatores noſtros eo apud ſuperos ordine cenſeri, quo apud nos Agricolæ ouium, ſeu caprarum villis induti: vtriſque enim pariter pecudes illæ de veſtimentis accommodant, niſi quod hi, lanas prodendo, commodatum fatentur, illi colorando cœlant, & cœlando furantur. Quid autem Senatores loquor? Ne ipſe quidem Alexander Magnus, aut Cæſar tanti eſſet apud ſuperos, vt eos in famulatu ſuo tolerarēt, terræ filios, eorumque ſordidam conditionem dedignati. Denique vt ſupremo rerum Domino, ita & ceteris eius aulæ proceribus, non alius eſt eiuſmodi Regum vſus, quàm ioci, & ri-
Habac. 1. ſus, quemadmodū a Prophetâ dictum olim iam
10. fuerat; *Et erunt Tyranni* (eo nomine Reges omnes antiquis patribus dicebantur) *ridiculi eius*.

Non

Non enim ſeria iſta dignitas eſt, ſed ad tempus aſſumpta, atque in theatrum perſonæ, ac veſtium ſimulatione compoſita. Contra verò Beatorum Ciuium gloriam non amictus mentitur, turpem in dies nuditatem obuelando, ſed inſita, intimaque corporis, atque animi dignitas, immortalitate conſtabilita. Horum igitur in æternum conſortium educamur, cuius ſpes, atque expectatio tanto hìc nobis erit iucundior, quanto vitam tali conſeſſu digniorem morum integritate Deo adoptanti approbare conabimur, ſpemque approbatione roborabimus. Verùm gemina hæc bona, quæ loci ſpectant felicitatem, & felicium contubernium infima ſunt: multo ea, quæ ſequuntur, potiora.

CAPVT OCTAVVM.

De corporis dotibus, quibus Beati Ciues locupletantur in Patriâ.

VLtra eximiam venuſtatem, aptâ partium conuenientiâ, & coloris ſuauitate perfectam, quâ ſpectantium oculos Beatorum corpora incredibiliter detinebunt;

Digitized by Google

bunt; quatuor alias dotes e ſacris litteris doctiſſimi Patres illis adiunctas enumerant. Prima eſt mali omnis, ac perpeſſionis vacatio, quam Græci ἀπάθειαν, Noſtri minùs latinè, ſed magis ſignificanter *Impaſſibilitatem* appellant: altera Tenuitas eſt, ſeu, vt in ſcholis iam nominatur, ſubtilitas: Agilitas tertia: vltima, quæ venuſtiſſimas Beatorum formas in bono vbique lumine collocabit, Claritudo. Prima complectitur mortis, cunctorumque malorum, quæ eam vel præcurrunt, vel comitantur, vacuitatem. *Abſterget Deus,* inquit Ioannes, *omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.* Occurret ſcilicet nobis amantiſſimus Pater e valle iſtâ lachrymarum ſubeuntibus, & manu ſuâ, quâ omnem lachrymandi materiam diſijciet, oculos noſtros fletu propè corruptos, ſiccabit. O quale ſolatium, quale gaudium erit, cum primùm ex ipſius Numinis præpotentis oraculo noſtris auribus intonuerit, datam nobis ab vniuerſis malis, quibus nunc vrgemur, immunitatem, ac miſſionem! Quid optabilius, quàm certiſſimâ fide cognoſcere, haud vllo nos in poſterum morborum genere tentandos: iam defunctos, exemptoſque vitæ huius ærumnis, non ampliùs paupertate, non fame, non ſiti, non æſtu, atque algore, nec tempeſtatum impreſſionibus, nec ferocibus belluarum, nec ferocioribus hominum incur-

Quatuor Beatorum corporum dotes.

Prima Impaſſibilitas.

Apoc. 21. 4.

curſibus, nec denique horum periculo, aut vllo mortis metu, conatuque terrendos? O quàm multos iſthæc, ſi hic haberi poſſet, immunitas, maximè contentos in præſenti vitâ detineret, futuræ prorſus oblitos. Verùm quæ noſtris votis maior foret benignitas, infinitæ Numinis beneficentiæ vix nomen obtinet beneficij. Apparatus ille eſt ad beneficia capienda, & quodammodo ſordium detractio ad purpuram induendam. Multò potiora nos manent, quæ ſi cum ſolâ malorum vacuitate contuleris, vim ea dices regalis obtinere ornamenti cum ſimplici nuditate collati. Nudus eſt enim, quanquam & validus, qui ſolis malis exemptus, nullo præterea munere decoratur.

Tenuitas igitur altera eſt beati corporis conditio, per quam illud duriſſima quæque penitùs intrabit, penetrabiturque viciſſim, nullâ excluſum firmitate, nullam excludens. Inde autem hoc æquè mirum, ac verum exiſtet, quòd idcirco nullos metuet incurſus, quia omnibus patebit, nec telis vllis offendi poterit, quia cunctis penetrabile erit, impotens repugnandi. Nihil enim magis contra nos per huius vitæ ſaltus, ac dumeta pergentes pugnat, quàm noſtra repugnantia, ac duritia, per quam obſtamus aduerſis, tutè illa recepturi, ſi amicè: optimo nempe naturæ documento; ſolam frangi, mollibus inuiolatis, contumaciam. Hoc, vt ita eſſe ſcias, puta, Secunda Subtilitas

ca-

caput tuum hâc tenuitatis dote iam nunc inſtructum; vtique ſi in parietem incurrat, illum ſine offenſione peruadet: eruntque vnâ ſimul, nullâ circa locum altercatione coortâ: at quia reuerâ, caput nunc durum, & contumax eſt, duriori parieti loco cędere, & frangi (impetu, quo in illum fertur, reſilire non permittente) cogitur. Item ſecuris adacta ceruicibus nunquam illas diuideret, ſi ab illis inuicem penetraretur. Quocirca hęc beatorum corporum tenuitas, ſeu penetrandi vis, dotis alterius nuper memoratę, ſcilicet ἀπαθείας cuſtos eſt, quia eadem corpora ab externâ vi perpetuò præſtabit, tanto fortior lorica, quanto penetrabilior. Agilitatem etiam, de quâ mox dicetur, iuuabit: proinde quidquid e malorum vacuitate, atque agilitate fructus, ac voluptatis proueniet, ex hoc tanquam communi fonte rigabitur, atque incrementum accipiet.

Tertia Agilitas. Tertia conditio agilitas eſt, cuius ope beati corporis moles tam facilem ſe regentis animi voluntati exhibebit, quàm ſua facilis eſt illi voluntas: non enim plus negotij animo erit, ad extremas mundi oras corpus ſuum immittere, quàm velle. Duo autem ſunt, vnde tanta iſta corporis facilitas, atque obſequendi promptitudo manabit. Alterum ademptio grauitatis, quàm Beati in terrâ grauium loco relinquent, quando ad leuium ſedes euocati eam prorſus inutilem, imò incommodam ſentient. Inde nullus ſellæ vſus in

Cœlo,

Cœlo, vbi corpora non iam deorſum, incumbent: proinde haud vnquam cœlitum crura indigebunt ſuam in cathedrâ ſarcinam, ac defatigationem, vti apud nos contingit, ſedendo deponere. Alterum eſt paulo ante commemorata tenuitas, ſeu vis cetera corpora penetrandi. Id enim corpus, cui nulla ſit grauitas, ſeu niſus imperio contumax, nec quidquam extrinſecùs obſtet eunti, non habet, vnde illi ſumma, & par imperio celeritas retardetur. Erit autem huiuſmodi in Cœlo pernecesſaria feſtinatio: nam ſi immenſa illa ſpatia paſſibus metiri Superi cogerentur, vix toto ſeculo tantum interualli conficerent, quantum occupat ſtellarum aliqua grandior, quam plus centuplo tellure maiorẽ Aſtronomi definiunt, tametſi ad Cœli reſiduum haud puncti modum excedat. Quàm autem iucunda futura ſit ea corporis agilitas, facile intelliges, ſi te illa nunc præditum fingas, & nullâ diſtantiâ, nullo obice repures tuos retardandos pluſquam fulmineos volatus. Id enim tibi eſſet vice quàdam immenſitatis potiri tuis vſibus accommodatâ. Non eſſes quidem vbique, ſed quod iucundius foret, vbilibet.

Agilitas præſtat fructum quendam immẽſitatis.

Poſtremum beatorum corporum decus claritudo erit fulgore Solis non minor. *Tunc Iuſti fulgebunt*, ait Chriſtus, *ſicut ſol in Regno Patris eorum*: quod tamen cum hâc exceptione intelligendum, vt non improbo lumine ſpectantium oculos feriant Solis in morem: namque apathias, atque indolentiæ

Quarta Claritas. Matt. 13. 43.

quodammodo ſpecularibus oculi communiti, externi luminis gratiam admittent, offenſionem excludent. Nec præterea fulgor ille vt ſolaris erit, ſui vndique ſimilis, nullâque varietate ſpectabilis, ac iucundus: verùm pellucidi inſtar liquoris, qui picturis illuſtrandis allinitur, ſingulis coloribus, ſeruato eorum diſcrimine, nitorem adiunget: Candida lux erit in fronte, modicè, ac verecundè erubeſcet in genis, pulla fiet in oculis, in capillo aurea, in labris purpurea, lactei candoris in dentibus, quâque denique in parte ſuum illius induet, illuſtrabitque colorem. Proinde ſol vtilior, quàm pulchrior, alienâ ceterarum rerum pulchritudine monſtrandâ potiùs, quàm ſuâ oculos noſtros oblectat: Beatorum verò ſplendor ſuæ ipſorum ſpeciei non alienæ oſtentandæ inductus, haud lucernæ vile miniſterium, ſed nobile maieſtatis decus, ac venerationem exhibebit.

Lux beatorum colorũ varietatem ſeruat, ac perficit.

Vidi aliquando noctibus æſtiuis, nec ſine magnâ admiratione, ac voluptate in manus ſumpſi, vermiculos quoſdam, prunæ in modum inter dumeta flagrantes, lumine tamen membrorum coloribus accommodato: cumque ex ijs vnum curioſè contemplaturus verſarem; mente ſic mecum agere cæpi; Hem nos Homunculos timor aliquando angit, ne, ſi præſentes honores Numini, futuros pollicenti, dimittamus, fraudemur vtriſque. Scilicet veremur, ne cœleſtis Pater negaturus ſit promiſſam filijs claritatem, quam ſordidis.

Lucentes quidã vermiculi ſpẽ noſtrã erigunt.

didis vermiculis ob hoc ipſum, ſuæ vt opulentię oſtentatione ſpem noſtram erigeret, abiecit. Quid? an viles beſtiolas exiſtimem a rerum Auctore decorandas magis, quàm quos ſuo met ſanguine habuit cariores, eo illis redimendis erogato? Quid autem vermes commemoro? an non ſolem, ac cœleſtium corporum reliqua, quãquam animo, ac ſenſu vacua, hoc eſt vermibus ipſis ignobiliora, maiore etiam lumine condecorauit? Quid igitur incertus animi pendeam, an Deus amiciſſimis ſuis quin & filijs, & regni conſortibus nitorem illum daturus ſit, quo immania, ſtolidaque corpora noſtris vſibus, ac ſeruitio comparata, impertiuit?

Magnus ille clareuallenſis monaſterij parens Bernardus, cui ſæpiùs ad cœlitum colloquium venire contigit, illud affirmaſſe aliquando fertur; Si Ciuium beatorum corpus quodpiam ſpectare oculis nobis liceret, illico totam in ipſos oculos animam conuolaturam, futurumque vt abiectâ reliquorum munerum curâ, ne cibi quidem, potuſue, aut ſomni memoriam retineret: tanta eam caperet, defigeretque cœleſtis illius pulchritudinis admiratio. Huius rei illuſtre documentum dedit Apoſtolus Petrus, qui vbi Chriſti Domini vultum cœleſti ſuo fulgore radiantem vidit, mente alienatus decidit primò in terram, deinde *neſciens quid diceret*, petijt vt ibi ſub dio reliquam ætatem agere ſibi liceret, tempeſtatum iniu-

Chriſti Domini ſpecies.

Luc. 9. 33.

iniurias tam iucundâ contemplatione redemptu-
Matt. 17. 4. rus; *Domine*, inquit, *bonum eſt nos hic eſſe: faciamus hic tria tabernacula, Tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum*. Id ipſum luculentiùs teſtata eſt Thereſia virgo rigidiorum Carmelitarum parens, cui cum Chriſtus IESVS ſimili ſpecie ſeſe ſpectandum præbuiſſet, eâ ſcilicet nitidiſſimâ, quâ e tumulo rediuiuus prodijt, ſuamque vultu Diuinitatem humanitate temperatam explicuit; ita eius mentem ſuæ venuſtatis amore defixit, vt ad multos dies veluti a ſenſibus alienata proceſſerit, impotens alio cogitationem abducere. Nec vnquam ex animo tam diuina ſpecies excidiſſet, ni ſe Numen ipſum, quo eius excitaret, incenderetque ad ſe quærendum amorem, ſtudio interdum ſubduceret. Itaque vt fuerit antea iungendis amicitijs nonnihil pronior, vbi indolem ſuo arridentem ingenio nanciſceretur; ſimul diuinos Chriſti vultus inſpexit, terrena omnis ex animo excidit pulchritudo, nullam deinde vel ſolo aſpectu, nedum amore dignata. Inde etiam ridere ſolita fuit, ſi quem audiret dubitantem, viſum id inter fœminarum commenta referendum, an reuerà diuinitus contigiſſet: certa videlicet, quanuis omnem ætatem moliendo, meditando, fingendo exegiſſet, nunquam decus tantum, ſiue vt eius verbis vtar, tam præſtantiſſimum (hoc eſt conſuetis loquendi formulis præſtantius) expreſſuram. Aiebat præterea, terrarum Reges, vt

In vitâ ab ſe conſcripta cap. 28 & 38.

vul-

vulgo agnoſcantur, magno populorum comitatu, & lictoribus, & Stipatoribus, & geſtoribus indigere: at Chriſto, vt vniuerſi orbis Dominus agnoſceretur, non vltra, quàm vt ſe ipſe oſtentaret, neceſſarium: quippe cuius maieſtas non a populis emendicata ſubiectis, nec alienis humeris ſuſtentata, ſed innata foret, & ſuâ vi, nutuque conſtaret. Iam verò ſplendor ex eius vultu circumquaque diffuſus, is erat, cuius contentione ſol languidus, atque emortuus videretur: quare tùnc demum perſuaſum habuit, quod ceteroqui dictum inaudierat, Chriſto ad inferos deſcendendente, continuò in fugam ſe malos Dæmones conieciſſe, ſub inferorum infima penetralia ituros, modò a tam inuiſæ potentiæ conſpectu ſubducerentur: Plùs enim inuida pectora tantæ fulgor maieſtatis vrebat, quàm ipſi met ignes feruentiſſimi tartarorum. Quam ob rem quoties pia fœmina ad ſacram in templo menſam accedebat, memor cuius potentiæ Regem coram haberet, ſubrectis horrore crinibus toto corpore præ timore, ac tremore concitabatur: tametſi tremor ille membrorum animi exultationem non cohiberet, ſed inuitaret, concitaretque, quippe intelligentis tantam potentiam, idcirco ſibi occultari, vt eius opes capere, ac prædari non dubitaret. Denique tam vehementi gaudio ſe tunc perfuſam ait, vt parem ſe illi non futuram diceret, niſi supernâ virtute is ipſe, qui gaudium attulerat, recepturum

pe-

ſpectus roboraſſet. O quanto igitur, conieƈtare licet, amabiliſſimi Ieſu mens, atque animus ſpecioſior fuerit, atque ad aſpeƈtum iucundior, cuius viliſſima corporis portio e cœno ficta intuentium præcordia voluptate diſrumperet! Atqui ad huius exemplum imaginis nos emendandos, & conformandos Paulus in cœleſti patriâ ſignificat;
Ad Rom. 8. 29. *Quos præſciuit*, inquit, *& prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui*. In quam eandem ſententiam Diuus Leo Pontifex Maximus cauſam diuinæ illius in Thabore metamorphoſeos explicuit: poſtquam
Serm. 1. De Trãſfig. enim id eo prodigio aƈtum dixit, *vt de cordibus Diſcipulorum Crucis ſcandalum tolleretur*, hęc verba ſubiecit; *ſed non minore prouidentiâ ſpes ſanƈtæ Eccleſiæ fundabatur: vt totum Chriſti corpus agnoſceret, quali eſſet commutatione donandum, vt eius ſibi honoris conſortium membra promitterent, qui in capite præfulſiſſet*. Qua propter ſi pulcherrima Chriſti ſpecies ita aliquando ſui ſpeƈtatores abripuit, eandemque credimus a cunƈtis beatorum ſpirituum corporibus, tanquam a totidem ſpeculis exprimendam; quanto validiùs vniuerſa omnium pulchritudo noſtras mentes abripiet, ac torrente voluptatis ſuę potabit, inebriabitque?

CA-

Digitized by Google

CAPVT NONVM.

De Animi in Cœlo pulchritudine, ac dotibus.

ANimi pulchritudo tantum ſupra corporis formam excellit, quãtum ipſe animus ſupra corpus: ad eam tamen mentis oculis ſubijciendam nulla e totâ rerum vniuerſitate ſuccurrunt exempla. Quæcunque in oculos cadunt, tametſi longè pulcherrima, fœda ſint, ſi cum animo de formâ contendant, nec digna, quæ in ſimilitudinem aſſumantur: quanquam & ipſa exemplorum inopia ſatis ſuperque declarat, animi eſſe ſine exemplo pulchritudinem. Latet quidem, qualis ſit cœleſtium dignitas animorum; liquet tamen, ſi eam intueri fas eſſet, plus ad eius amorem nos exarſuros, quàm ad cunctorum ſimul, quibus ſingulis flagrant mortales, corporum venuſtatem. Verùm dotes nonnullæ e ſacris litteris, ac Patrum auctoritate promendæ; vnde nec dum agnitâ formâ ſagittæ veniant ad excitandum amorem acutiſſimæ.

Prima inter dotes, quibus immortales animi

dita-

Prima animi dos intelligentię perſpicacia.

ditabuntur in Cœlo, eximia erit intelligentiæ perſpicacia, ac perfecta rerum omnium, quę intra naturæ fines habentur, comprehenſio. Vix enim animus e corporis ergaſtulo in lucem illam beatiſſimam excedet, cum ſubitò eius intelligentia cunctis naturalium rerum imaginibus inſtruetur, quarum beneficio momento addiſcet quidqnid artium, ac diſciplinarum humana ſolertia peperit, & quęcunque plura nec dum explicata reliquit. Quandiu in hoc obſcuriſſimo corporis carcere mens detinetur, nec ſe ipſa dignoſcit, nec rerum externarum per ſenſuum rimas illabentium aliud obtinet, præter inquietam pleniùs eas agnoſcendi curioſitatem. At vbi de corpore educta Dei ſapientiam coram inſpiciet, eamque, vt inquit Auguſtinus, *de ipſo ſuo fonte, potabit*, cuncta liquidò diſcet, & quæcunque hic dubia illi fuere, ſua veritate, ſuoque vultu micantia ſpectabit. Quâ in re mirum planè fuit diuinæ Prouidentię conſilium, quę magnam primùm nobis indidit rerum cognoſcendarum cupiditatem, tum plurimas de rebus omnibus quæſtiones nobis implicuit, vt quo ſtudio ad earum explicationem, eodem ad primam Veritatem, vnde reliquæ fluunt, niteremur. Ibi quoque mens noſtra ſinus ſuos in immenſum laxabit, ſic, vt non vna, aut altera cogitatio, vti hic fit, occupet vniuerſam; verùm vno tempore quam plurima audire, de ſingulis cognoſcere, ac ſententiam ferre poſſit, abſque eo

quod

quod confluentium rerum multitudo ad ſingulas attentionem diminuat. Huius rei documentum capere licet e ſanctiſſimis illis hominibus, quorum celebrandæ memoriæ feſtos dies catholica indixit eccleſia. Illorum enim ad pedes toto orbe terrarum Chriſtianus populus quotannis feſtâ luce frequentiſſimus accidit, ſinguli ſuas preces, ac poſtulata ferentes: idque ex eiuſdem Eccleſiæ, & Patrum inſtitutione docentium, preces illas a beatis Mentibus perſpicuè cognoſci, curari, examinari: ſi malæ ſint, & perniciem impetrantibus allaturæ, vacuas dimitti; ſi vtiles, & profuturæ, vel continuò impleri, vel pro rei opportunitate differri. Haud tamen (vide prodigioſam capacitatem) tam multa interim negotiorum, tam attenta procuratio, parte vllâ vel minimâ beatæ tranquillitatis mentes illas feliciſſimas fraudat. In hanc autem amplitudinem mens quoque noſtra laxabitur, vbi Deus illam ingenti ſupernarum rerum magnitudini capiendæ accommodabit.

Hanc propè immenſam intelligentiæ vim par memoriæ felicitas, obliuionis prorſus ignara, comitabitur. Cuncta ſiquidem in Deo, qui eſt rerum omnium exemplar, & forma, contemplabimur: quare diuinâ planè vtemur memoriâ, quando ipſamet Dei memoria nobis communis erit, noſtroque ſemper reſpectui patefacta. Suâ quoque tamen naturali perfectione facultas iſta do- Secunda animi dos, memoriæ felicitas.

Digitized by Google

nabitur, quanquam fortè non alium vſum habitura, niſi quem multæ noſtri corporis partes, veteri ſolutæ miniſterio, ad miram operis ſtructuram, atque inde diuinum Artificis ingenium commendandum.

Tertia animi dos, perfecta libertas, & in cupiditates imperium.

Voluntas quoque ſuam ibi coronam, quam hîc ſupra ceteras facultates primi Parẽtis fraude perdiderat, recipiet: gaudebitque plurimùm excuſsiſſe iugum libidinum, iiſque illud tantâ cum arbitrij libertate repoſuiſſe, vt nullus earum motus, niſi ad ſuum præſcriptum, ſit in poſterum excitandus. Imò nec profectò maiorem dixerim ipſi rerum Arbitro futuram libertatem, quando eò noſtra voluntas peruenerit, vt diuinam prorſus induerit, nihilque libentiùs, niſi quod Deus ipſe, voluerit. Verùm hæc dona perexigua ſunt, ac propemodum nulla ad alia, quæ mox ſequentur, naturæ meritum, ac vota prorſus exuperantia.

Quarta Lumen gloriç.

Tria igitur præterea potiora dona noſtras in Patriâ mentes locupletabunt: quorum id primum erit, quod Patribus lumen gloriæ nuncupatur, nempe vis quædam intelligentiæ inſita, cuius ope mentis acies ad infinitum diuini vultus fulgorem contuendum roboretur. Huius autem Luminis beneficio Diuinæ Naturæ bona vniuerſa, non vt pompam aliquam ſimplices ſpectatores, ſed vt hereditatem filij cernemus. Quemadmodum enim ea, quæ ſub ſenſus cadunt, ſola ſenſuum perce-

ptione

ptione poſſidentur, nempe ſpecies viſu, cantus auditu, ſapor guſtu; ita quæ ſenſibus ignota ſoli mentis intelligentiæ patent, ſolâ mentis perceptione, & comprehenſione obtinentur. Quare cum Lumen gloriæ diuinitatis comprehenſionem donet, donat etiam poſſeſſionem: proinde non tam ex eo quod eſt (tametſi valde gloriosum mentis indumentum ſit) quàm ex infinitis bonis, quorum in poſſeſſionem nos mittit, exiſtimandum: ad eum fere modum quo regij capitis diadema, licèt magnum per ſe ſit hominis ornamentum, non inde tamen præcipuum ſui pretium habet, verùm a regijs opibus, ac potentiâ, quarum per illud datur, & indicatur poſſeſſio. Alterum donum, quod hoc lumen, tanquam ſuus ardor, comitabitur, perfectiſſima caritas erit, per quam Deum pro modo comprehenſionis diligemus, & pro modo dilectionis de eius comprehenſione, ac poſſeſſione gaudebimus. Caritati autem par erit diuinæ pignus amicitiæ, quod tertium donum eſt, & Gratia Theologis dicitur, eo quòd animam ornatu ſuo gratam, atque amabilem diuinis oculis exhibeat: idque modo tam eximio, vt quilibet vel minimus gratię ornatus cuncta ſimul naturę ornamenta ad inducendum formę decus exuperet. Tunc autem coram intuebimur, quod nunc docentibus Patribus credere oportuit; quamlibet huius gratiæ particulam (idem de gloriæ Lumine, & caritate dictum in-

Quinta Caritas perfecta.

Sexta doni gratiæ.

 telli-

Digitized by Google

tellige) tantum nobilitate, & pretio ceteris omnibus, quæ natura tulit, excellere, vt cuncta naturæ bona in alterâ libræ parte ſuſpenſa nullius momenti inſtar ad gratiæ pondus obtineant.

Diuinę gratiæ animâ ornâtis pretium.

Quantum autem quæque animarum eiuſdem gratiæ decore exornata niteat, diſcere licet primùm e Catharinæ Senenſis ſanctiſſimę Virginis teſtimonio, quę hominis cuiuſdam animam diuinâ gratiâ pręfulgentem aliquando conſpicata, illico præ immenſo eius amore, & gaudio ſemianimis concidit: mox, vbi ſeſe collegit, Raymundo ſuæ conſcientiæ arbitro teſtata eſt, eam eſſe animæ diuinâ gratiâ præditæ pulchritudinem, quam ſi ipſi ſpectare ſemel liceret, haud dubiè dignam putaret, cuius pro ſalute mille mortis diſcrimina, cũcta item corporis incommoda libens, gaudenſque ſubiret. Deinde ex ipſius gratiæ pręcipuo munere, quod eſt peculiari quâdam ratione tam arctè Deum vnâ cum piorum animis coniungere, vt ſi ob ſuæ naturæ immenſitatem intra illos non eſſet, eſſe deberet ob gratiæ coniunctionem. Quo etiam fit, vt verè per eam diuinæ efficiamur conſortes naturæ: & non modò Dei præpotentis amici, verùm etiam filij: nec externâ ſolùm alienæ voluntatis adoptione, ſed intimâ quoque diuinitatis communicatione, atque adeo dij meritò nominemur & ſimus. Quid ni enim meritò deus ille dicatur, qui adiunctam ſibi habeat diuinitatem, quando non ſecus quem-

piam

piam ſapientem, aut fortem, aut temperantem dicere conſueuimus, niſi cui adiunctam nouimus vel ſapientiam, vel fortitutinem, vel temperantiam. Quin etiam in ſacris litteris Deus ipſe Deos appellat, quibus ſuam gratiam, ſeque illâ obligatam impertijt. Quis autem verbis conſequi valeat, quàm ingenti gaudio Beatorum animi exilient, vbi ſe apud rerum Dominum tam gratioſos contemplentur, vt non ſolùm in nomen, verùm etiam in ipſa diuinitatis bona omnia, ſeſe adoptatos inſpiciant.

Nec minor erit, quę profluet a Caritate voluptas, vbi per eam ſummum Bonum coram ſpectatum, ac veluti in manu poſitum, Beati complectentur. Eſt enim amor gaudij omnis origo, quod tamen quantum erit in Patriâ e conſpectu, complexuque diuinitatis, illuſtriùs declarabit inſequens de huius vitę caritate diſputatio: vbi quanta voluptas ex imperfectiſſimâ hâc aduerſùs Deum, ſolâ fide, atque auditione notum, caritate deſcendat, palàm fiet. Interim alia duo ex vtroque memorato antea dono gaudia raptim attingo. Alterum e gratiâ manabit ob hoc, quod ſe quiſque perinde gratum beatorum ciuium reliquis, amabilemque ſpectabit, vt ſi pars non exigua foret alienę felicitatis. Omnes enim aduentantem amplexibus excipient, conſtringent, fouebunt, oſculabuntur, nec ab ſe illos propemodum diuelli poſſe conſpiciet. Quidquid autem e pro-

Voluptas e caritate deſcẽdẽs.

propriâ formâ, aut amabilitate in alios voluptatis fundetur, repercuſſi more luminis, in auctorem redibit: erit enim vtique voluptati, voluptati eſſe. Alterum e caritate deſcendet, quâ ſummâ, & pari ac ſe ipſum, vnuſquiſque ceteros diliget: vnde fiet, vt Beatorum quilibet, non ſuâ ſolùm felicitate, ſed etiam alienâ felix futurus ſit; & liuoris expers omnium gaudio gauiſurus. Erit enim ibi amor abſolutiſſimus, proinde longè maior, quàm hìc ſit quęlibet vel ſumma Matrum in liberos beneuolentia, quę tamen cum inuidiam omnem excludat, argumento eſt, multò magis eandem a mutuâ illa Cœlitum beneuolentiâ excluſum iri: quis enim ſuis bonis inuideat, aut quis non inter ſua ſuorum bona connumeret? Adde mutuum illum amorem, mutuò fore perſpicuum, non vt hìc perpetuò ſuſpectum, vt qui perpetuò lateat in pectore, nec indicia proferre poſſit, niſi mendacij ſępè conuicta. Caritas ibi *aurum*
Apoc. 21. 18. *mundum ſimile vitro mundo*, nempe ad imum vſque conſpicua, quę proinde omnes tollet inimicas amicitię ſuſpiciones: nec timor erit, aut ſuſpicio, ne quando deſitura ſit, aut in odium euaſura: nam vbi aut corporis venuſtas, aut animi dignitas morbo nullo, vel ſenio defloreſcet, non eſt, vnde amoris in odium corruptela pertimeſcatur.

Quæ bona gloriæ lumen beatis exhibeat.

Nunc verò quæ bona nobis cœleſtis gloriæ Lumen exhibeat, paulo diligentiùs exequendum, vt quod inde gaudium ſequatur, cognoſcamus,

&

& ſpe, quantùm poſſumus occupemus. Cetera bona, quibus potiundis hoc lumine opus non eſt, maxima quidem ſunt, atque eiuſmodi, vt ijs comparandis nullum non vile pretium fuerit: at bonum illud, in cuius poſſeſſionem eo lumine inducimur, infinitum erit, quod cum per ſe dare queat gaudium pariter infinitum, tantum cuique dabit, quantum quiſque plurimùm capiet. Duo autem bonorum genera beatis mentibus Dei conſpectus aperiet, Honeſtum, ac delectabile. Honeſtum dico, quod tale eſt, vt detractâ omni vtilitate, ſine vllis præmij fructibus, per ſe ipſum poſſit iure laudari: ſuâ propterea pulchritudine expetendum, nullum licèt inde lucrum emergat: Delectabile verò, quod causâ voluptatis expetitur. Illud amicitię materia eſt, propterea gaudij maioris, vtpotè e magis puro, ac proinde magis ardenti amore confecti. Hoc Cupiditatis, ſeu, vt hodie loquimur, Concupiſcentię, atque idcirco oppoſitâ de causâ minoris gaudij materia eſt: prius autem de bono delectabili agendum hic erit, vt eximia eius oſtenſa magnitudo alteri excellentiori bono veluti baſis attollendo deſeruiat.

Principiò illud in animum inducendum; diuini in Cœlo Numinis conſpectum non quemadmodum hìc rerum ceterarum contingere, vbi quidquid cernimus, extra nos eſt, & ſui vicariam imaginem in oculos noſtros immittit, abſque eo quod vnquam res ipſa oculos intret: verùm Deus

men-

Digitized by Google

mentem penitùs intrat, eique intimè iunctus ſimul ſeſe percipiendum tradit, ac poſſidendum. Matt. 25. 21. Hoc illud eſt; *Intra in gaudium Domini tui*, quod ſeruo fideli promittitur, communem ſcilicet fore illi cum domino ſuo gaudij materiam: nam quidquid bonorum in ſe infinita dei bonitas claudit, cum famulo in amicitiam euecto ex ipſis amicitiæ legibus communicabit. Sume eorum bonorum ſpecimen in tenui aliquâ voluptate, eamque vbi videris in Deo ſine modo augeri, ac diuinam fieri, de reliquis non ſine magno ob expectatam communicationem oblectamento, æſtimabis. Exẽplo ſit odoris voluptas, innocens illa quidem, atque innocentiæ merito ad cœleſtes voluptates piorum mentes attollens: quanta eius in Cœlo copia futura ſit, ita licet expendas. Cogita quæcunque odoramenta ſiue e floribus, ſiue ex arborum ramis cæſâ cute lachrymantibus, ſiue e vario vnguentorum genere expirantur, a Deo Optimo Maximo cuncta fluxiſſe, nec inde fontem exhauſtum, aut imminutum, ſed ęquè, vt antea, plenum, ac redundantem. Cogita rurſus, qualis foret ſuauitas, ſi quę toto terrarum orbe diſperſa ſunt eiuſmodi odoramenta, quæque a mundi exortu hactenus prodiere, ſiue in finem vſque prodibunt, ſimul colliquata, & a noxijs capiti halitibus repurgata, in vnum aliquod conclaue ſpiraculo inducerentur: Tum animaduerte, ſuauitatem hanc omnem penès Deum eius auctorem

Modus e terrenis bonis cęleſtia contẽplandi.

rem

rem reperiri, qui illam fundendo non perdidit, eo pacto, quo ſol perpetuâ ſuæ lucis in vniuerſum mundum effuſione nullum ſui luminis detrimentum capit. An non hæc ſola odoris vbertas beatum, ſi quis eâ fruatur, efficiat? Atqui pro nihilo hanc duces, ſi iterum reputes, alios poſſe infinitos mundos a Deo procreari, & pari odore perfundi: profectò habeat neceſſe eſt, quæcunque poſſet illis odoramenta tribuere: hoc eſt infinitâ omnis generis odoramentorum copiâ circumfluat, neceſſe eſt. Denique neque hâc infinitate finitur diuinæ ſuauitatis affluentia: nam illa omnis vtcunque maxima, atque infinita partim effecta eſt, partim effici potuit: at in deo ſublimius aliquid ineſt præterea, quod diuinum odoramentum, ſiue κατ οὐσίαν dicere poſſumus, vnde ſuam res omnes odoratæ vim participant, nec gigni id poteſt, & infinitis partibus, cuncta, quæ hìc gignuntur, exuperat.

Simili viâ, ac ratione indagabis, quanta ceterarum rerum iucunditas in ſinu Diuinitatis abſcõdita pijs mentibus aſſeruetur, eâque deprehenſâ exclamare iuuabit; *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te.* Pſ. 30. 20.
Verè magna multitudo dulcedinis, quanquam vnius & ſingularis; quia vna diuinæ amabilitatis dulcedo reliquas omnes, quas hìc diſperſas inquirimus ſingulariter complectitur. Verùm de infinitâ Dei amabilitate diligentiùs poſtea. Nunc

tantùm aduerte, quid ſit, quòd Beatis in Cœlo ſummam ceteroqui libertatem adeptis (quid enim in rerum omnium faſtigio non ſummum?) nulla tamen ad peccandum libertas futura ſit, hoc eſt, nulla libertati ad perniciem ſibi inferendam poteſtas. Non vtique in cauſâ erit vinculum aliquod, quod voluntatem quaſi inſanam cohibeat, cum hæc nunquam tam benè ſana, nunquam tam ſublimi ſapientiâ, quàm cum diuinâ, proximè il-

Cur Beatis nulla ad peccandum libertas.

lam intuendo, & conſulendo, vtetur. Cauſa igitur ea vnica, vel certè potiſſima erit, quia quicunque ſe peccatis obſtringunt ſemper ad aliquid voluptatis, e culpæ ſordibus eruendum, aſpiciunt: quemadmodum autem fieri nequit, vt qui lucrum ſequatur, delatâ optione, vel aurei montis, vel vnius duntaxat ex ære oboli, hunc illi de auaritiæ conſilio præoptet; ita longè minùs fieri poteſt, vt qui ſequatur oblectamenta, datâ optione vel infinitæ voluptatis, quâ Deus ſibi, ſuiſque intimis affluit, vel tenuiſſimæ inquinatiſſimeque, quæ de nequitiâ elicitur; Deo relicto ad hanc ſeſe ſtudio

Modus diaboli tentamẽta ſuperandi.

voluptatis conuertat. Neque inde lædi cenſendum, ſed inſtrui, & perfici, adiunctâ ratione, libertatem, quæ ratione, conſilioque ſublato, funditus perit, & in inſaniam, ac temerariam licentiam corrumpitur. Hinc etiam documentũ habes, quid tibi facto opus ſit vbi a malo Dæmone ad aliquam Deo inuiſam voluptatem alliceris: noli in eam oculos conijcere, qui facilè capiuntur, re-

bellan-

bellantque: ſurſum illos attolle, vbi ipſam illam voluptatem à culpæ ſordibus expurgatam, & in immenſum auctam in pelago omnis voluptatis inuenies. Vtere vulgi prouerbio fortè non vulgare ſolatium allaturo. *Quod differtur, non aufertur*. Dic Diabolo; nolo hàc voluptate carere, ſed expecto, vt matura ſit, vt noxiam, & tormina parituram acerbitatem deponat: careo vt auctâ nunquam cariturus fruar. Denique ſi illud tibi ingerat, dilatione præſentia eripi, dum vlteriora promittuntur; dic tantò potiorem a te voluptatem in futurum expectari, vt iucundior tibi etiam in præſens ſit futuræ expectatio, quàm inſtantis perceptio: præſertim ſi (vti aſſolet) cum cœleſtis amittendæ timore coniuncta ſit.

Alterum genus boni honeſti, quod in Deo nobis ſeſe offeret contemplandum, omni noſtro lucro nos vehementiùs afficiet, & licèt ab honeſtate, quàm à iucunditate cognominari malit, bono ipſo iucundo longè iucundius eſt, & prima omnis iucunditatis origo. Simul enim in conſpectu erit infinita illa diuinæ dignitas Maieſtatis, palàmque fiet infinita potentia, sapientia, bonitas, pulchritudo vnà cum ceteris Diuinitatis honeſtamentis, maiore gaudio cumulabimur, quàm ſi plurimis, maximiſque, imò vniuerſis alijs voluptatibus oblectaremur. Eſt enim gaudium illud generis cuiuſdam altioris, quod proinde ignobiliores aliæ voluptates, tametſi in infinitum excre-

De bono honeſto, in cuius poſſeſſionem gloriæ lumen inducit.

ſcant, nunquam æquare poterunt: eo pacto quo infinitam licèt equo ſui generis perfectionem adiungas, nunquam ad infimi homuncionis æqualitatem perduces. Subeant nunc quæcunque hactenus de ceteris bonis animi, corporis, externis, memorauimus, incredibilis ille ſupernarum ſedium decor, feliciſſimum beatorum ciuium conſortium, immenſa corporis pulchritudo, pulchrior, ac prope diuina animi dignitas; vbi autem hæc omnia vnà cum gaudio inde fluente accuratè perſpexeris, ſuccurrat, Beatos in Patriâ tantò magis Deum, quàm ſeſe diligere, vt quodlibet vel minimũ diuinæ gloriæ incrementũ infinito ſuo periculo, ac ſempiternâ calamitate redimerent. Itaque ſi gaudium, quod de propriâ oritur felicitate plùs cunctis mundi delicijs Beatos oblectat, quale erit oblectamentum, quod a diuinæ conſpectu felicitatis orietur? Equidem certiſſimè illos præ gaudio ad conſpectum diuinitatis morituros cenſuerim, niſi ad fortem, mortis inſtar, dilectionem, tanti gaudij cauſam, pectora immortalitate præmunita geſtarent. Chilonem Lacedemonium perhibent in complexu filij Olimpiæ coronati, præ ingenti lætitiâ animam efflaſſe. Fæminam item Romanam, Liuius eſt auctor, viſo filio incolumi, quem mortuum apud Cannas diù crediderat, luxeratque ex inſperatâ iucunditate protinus obijſſe. Quis dubitet, quin caritas Beatorum multis partibus vehementior futura ſit quâlibet inter nos paternâ,

ma-

maternâue aduerſus filios beneuolentiâ. Si igitur tanta huic beneuolentiæ vis, vt ob natorum proſperitatem animum a corpore, quaſi ad contemplandum, & gratulandum auocauerit, abſtraxeritque, quantò id magis præſtare valeret ardentiſſimus illæ ſupernæ caritatis ignis, non humano, ſed diuino ſpiritu afflatus, ſi ad infinitæ pulchritudinis ſpeciem contemplandam fruendamque ſecedere animus a corpore neceſſe haberet, nec illam ſecum intimè coniunctam, ac retectam teneret? Quin etiam de nonnullis Dei amiciſſimis ſcriptum legimus, eos ſolâ amoris vi, quâ illum hìc deperibant, e viuis abijſſe: quod potiſſimum de Virgine Deiparâ, eâ ipsâ poſt obitum teſtante, proditum eſt: quodque nec proditum vltrò crediderim, cum vix adducar, vt credam, tandiu illam cum tanto amoris incendio in vitâ permanſiſſe: hoc certè prodigium fuit, non illud. Quantò igitur diuinæ pulchritudinis aſpectus validior, quando ſola eius fama fuerit ad necem inferendam tam valida?

Ex l. 6. reuel. S. Birg. c. 62. apud P. Ant. Spinell. c. 9. n. 18.

Hæc ſunt, quę ſpem noſtram iucundiſſimè alunt, & alimento quidem viatoribus peropportuno, vt quod non ſolùm vires, ſed etiam animos, ad proſequendum iter ſufficiat. O ſtultiſſimos mortalium (non poſſum, quin fortiter contra negligentes, ac ſuæ cœleſtis originis oblitos exclamem) quos ſæpè, vt terram hanc elementorum fœcem, atque Erebi corticem contemplentur, longinqua,

ac periculorum plena itinera obire non piget; piget tamen Cœli intima, vel solâ cogitatione, penetrare: vbi decor omnis, & pulchritudo, & honeſtas, & iucunditas, & bonum omne, quod cupere poſſumus, quod cupere ignari non poſſumus, effloreſcit, & viget. Pudeat tam ſordidi ingenij; quo admiſſi ad regias haſce ædes ſpectandas, in ſtabulo, vbi vniuerſi Rector ac Princeps ſuas omnes belluas detinet, læti conſiſtitis, nihil curantes regium conclaue, regia ornamenta, Regem ipſum infinitâ maieſtate nitentem intueri, atque intuendo vnâ cum vniuersâ eius opulentiâ potiri.

CAPVT DECIMVM.

De Caritate aduersùs Deum: Quantum ſit in illâ præſidij ad beatè viuendum.

PEruenimus ad præcipuum, vberrimumque noſtræ felicitatis fontem, qui caritas eſt, ſiue in nos per caritatem influit: hæc enim vinculum illud perfectum, quo Deo aſtringimur, vnde omnis noſtra felicitas ſeu præſen-

Digitized by Google

ſentis, ſeu venturæ vitę originem ducit. Siquidem inde vt benè, & beatè ſimus expectandum eſt, vnde habuimus, vt eſſemus: nempe quo ex agro oritur germen, ex eodem viget, ac floret ſuoque fructu feliciter coronatur. *Lętetur Iſrael in eo, qui fecit eum*, ait regius vates: perinde ac diceret; Nemo nouit perficere, niſi artifex ille idem, qui facere: nemo vitam lætam tribuere (id nempe eſt illam perficere) niſi qui vitam. *Si quis diligit me*, inquit noſtri, noſtręque felicitatis Auctor, *ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. Ad quam vocem clamat Bernardus Claræuallenſis; *Beatus, apud quem manſionem facies, Domine Ieſu: Beatus in quo ſapientia ædificat ſibi domum*. Quid ni autem ille beatus, ac felix, qui clauſum in pectore ſuo, ſibique vni amicà communicatione reſeratum habet omnis felicitatis fontem? Duplici autem vià ad nos iucunditatem ſuam effundit caritas pro duplici, quo fungitur munere, altero Deum nobis conciliandi, altero pares, gregaleſque noſtros. Magnum quidem noſtrę mortalitatis inopia rerum plurimarum indiga, in vitę ſocietate præſidium obtinet, ſolatiumque: ibi enim & bonis donatur alienis, & malis alleuatur ſuis, alijs ad noſtra onera humeros accommodantibus.

Pſ. 149. 2.

Io 14. 23.

Caritas in proximos quam iucunda.

Quo autem ſocietas cohęret magis, hoc & bonorum communio maior eſt: proinde chriſtiana

ca-

caritas cum ceteros mortalium, tanquã Dei filios arctiſſimo amicitiæ vinculo nobis aſtringat, in eorum omnium, veluti amicorum, fortunas nos conſortes admittit: & vt nobis nihil præter amorem, ſuppetat, quod partiamur in alios, hic vnus nos cunctorum opibus affatim locupletat. Quid defuit Paulo *nihil habenti*, vt ipſe ait, *& omnia poſſidenti*? quid reliquis idem vitę inſtitutum, hoc eſt ſummam inopiam ſummâ cum caritate coniunctã, ſecutis? Quocunque venirent, nonne amicos, & Chriſti ſanguinis coniunctione propinquos, & Chriſtianę caritatis nomine proximos, inuenere? nonne hi pro ſe quiſque illos in domum ſuam certatim inuitare, cogere, officijs omnibus obſequijſque curare conabantur? An non hanc vnicam a populis moleſtiam viri ſanctiſſimi habuere, vt magno numero alios ſuper alios confluentes, & alloqui, & prenſare cupidos ſummouerent? Quid eſt autem in vitâ inter humana lętius, quàm in ſe vnum omnium oculos, tanquam in publicę felicitatis cauſam, ſpectare conuerſos? Certè vulgò nihil beatius creditur, quàm beatum ab omnibus prędicari. Migrat quidem iſta, proteritque Vir ſapiens, & parùm ſanę mentis putat, ex alieno errore, ſi errorem credat, gaudere; at vel contemnere non poteſt ſinceram aliorum beneuolentiam, vel ipsâ eius contemptione, quam ceteroqui Viri Principes aucupantur, ſolidiora Principum aucupijs ſe habere ſolatia commonſtrat.

[margin: 2. ad Cor. 6. 10.]

Prę-

Præcipuam tamen iucunditatis partem e Cœlo, ac Numinis complexu caritas ducit: quæ iucunditas quanta ſit. *Nemo nouit, niſi qui accipit*, vti de hoc cœleſti rore loquitur Ioannes: quare, qui aliquando accepere, conſulendi ſunt, vt iuſta de eius magnitudine, ac pretio habeatur exiſtimatio. Multa eorum exempla protulimus, vbi de Fide, ac ſpe egimus, qui hâc cœleſti vnctione delibuti intrepido, lætoque vultu luctamen cum teterrimis mortibus ſubiere. Eadem huc omnia pertinent, cum nec ſpes, nec Fides chriſma illud gaudij cœleſtis exudet, niſi Chriſti complexu, & caritate fæcunda. Nonnulla tamen hìc ſubijcienda ſunt, quæ præcipuo quodam, ac peculiari nomine diuinæ caritatis oblectamenta declarent. Primùm ſanctiſſimus ille Eccleſię Edeſſenę Diaconus Ephrem cum vehementi aliquando ęſtuaret diuini amoris incendio, prę nimio, ac pectoris anguſtias rumpente, gaudio clamaſſe fertur; *Recede a me Domine parumper, recede a me, quia vaſis huius infirmitas ferre non poteſt*. Videbatur ſcilicet euangelici illius conſilij Auctorem ſuum bonus ſenex commonere, ne in vtres veteres, ac fatiſcentes feruidum, & recens vinum illud immitteret, ne cor, quod lętificare cœleſti eo nectare niteretur, diſrumperet. In eandem ferè ſententiam clamare ſæpiùs coactus dicitur Indiarum Apoſtolus Franciſcus Xauerius, quem perſępè noſtrę ſocietatis Patres Goę obſeruarunt,

Maiore caritate in Deum iucunditas.

noctu in horto deambulantem tunicâ pectus nudare ſolitum, ac poſt longum ſilentium hanc tandem vocem emittere; *ſatis eſt Domine, ſat eſt:* idque eo ſono veluti e læto flebili, vt facile ſignificaret, tantâ lætitiâ pectus oppletum, cui capiendæ locus, niſi rumperetur, deeſſet. Idem interdum e cætu, & publico ſeſe ſubduxit, immenſam gaudiorum vim ſecus occultare inualidus. Quam tamen vim nihil æquè manifeſtauit, ac longum illud quingentorum millium iter, glacie, ac lapidibus aſperum, quod Amangucio nudis pedibus Meacum vſque confecit. Cum enim oculi animo Cœlum obeunti famularentur, ex eoque etiam aſpectu lachrymis (cœleſti ſcilicet imbre a beatis illis ſedibus defluente) maderent, itaque ſepiùs per viam inobſeruatam offenderet; tanta vis erat ſupernæ lætitiæ, vt ſine vllo ſenſu crura, & pedes ſauciaret, eoſque vndique cruore fluentes non antea animaduerteret, quàm in diuerſoria receptus ab hoſpitis, aliorumque occurrentium horrore, ac ſtupore commoneretur.

Iucunditas caritatis dolores exuperans.

Lachrymas ipſas iucundas efficit.

Hâc vero in re illud maximè mirandum occurrit, non modò corporis dolores, verùm ipſius animi, eoſque ad vberrimas vſque lachrymas exprimendas grauiſſimos, ſi e diuinâ caritate oriantur, ſummo animum ipſum dolentem, lugentemque gaudio complere. Huius rei fidelis ipſe teſtis adeſſe poſſim, vtranque & patrantis, & flentis ſcelera conditionem expertus. Quoties enim ea recor-

cordatus *effudi in me animam meam* propè in la-chrymas eliquatam, tantum ſolatij cæpi, vt non modò ipſe ſeſe dolor abundè conſolaretur, verùm etiam ſæpiùs ad locum, preceſque redirem, vnde tam dulcis latex effluxerat. Quod cum aliquando minimè ſuccederet, tunc enim verò conſolatore indigebam, qui mihi nimium lachrymandi deſiderium componeret, & ſiccas æquè ac madidas preces Deo gratas eſſe monſtraret. Teſtes mihi ſuperos inuoco; Omnis ex animo meo rerum humanarum voluptas excidit, vbi fletus illius dulcedinem ſenſi. Inde autem vehemens excitata cupido, inter religioſos cætus Deo vitæ reſiduum deuouendi, illud ſcilicet reputanti; ſi ipſe Dei domeſticorum dolor vel amariſſimus cunctis mundi voluptatibus præſtat, qualis erit eorum ſine dolore voluptas? Quod ſi cauſam miræ huius inter tam aduerſa concordię fletum videlicet, cumque e ſummo animi dolore prodeuntem, gaudiumque indagare aliquando libuit, hęc mihi (an vera aliorum iudicium eſto) ſuccurrit. Eam nimirum eſſe noſtrę aduerſùs Deum caritatis vim, vt & dolere vſque ad lachrymas cogat de antiquâ immenſę pulchritudinis iacturâ noſtris offenſionibus factâ, & gaudere magis de nouâ præſentis, ac pectus inhabitantis ob redditam amicitiam copiâ: quare cum vna caritas & lachrymandi, & gaudendi cauſas menti ſimul objiciat, hæc ſimul in lachrymas, ſimul in gaudium erumpit: at gau-

Cauſa dulcedinis lachymarū.

dium, vtpotè longè maius pro ratione propinquioris cauſæ (fletus enim de Deo abſente eſt, gaudium de preſente) ita ſuâ dulcedine lachrymarum acerbitatem mitigat, vt menti ſuauiſſimas reddat, ac veluti in oxiſaccarum, ſalubre pariter, ac iucundum, condiat. Quam ob rem cum præcipuam eius gaudij affluentiam non lachrymæ pariant, ſed caritas, quę nobis infiniti boni, ac diuinæ pulchritudinis copiam reſtituit; non eſt, cur de lachrymis exiccatis mœreamus, modò amor maneat, vnde ſolidior, & minùs fluxa voluptas exiſtat. Adijciunt tamen lachrymę ipſę gaudij nonnihil, vt quę noſtram ſcelera deteſtantium meliorem mentem nobis ipſis aperiant, & diuinam nos in amicitiam reſtitutos teſtentur: Si quidem Dei iactura agnoſci, ac defleri nequit, niſi ipſe iterum præſens quanta fuerit eius iactura, demonſtret. Itaque delent pię lachrymę maculas e quarum intuitu prodiere, deletiſque maculis & noſtram nobis formam reſtituunt, & formæ diuinam beneuolentiam, noſtramque ex eâ gratulationem, & gaudium. Vnde vnde tamen eiuſmodi gaudium enaſcatur, cum ſemper pias lachrymas comitetur, illas nobis ita commendat, vt experto cuique, quod olim Auguſtino, dicere liceat, *Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum*.

Liquidiſſima igitur, ac cœleſti proxima voluptas eſt, *Deum totius conſolationis* ſummo caritatis vinculo

culo amplecti. Eo enim ſe nomine Deus ipſe in ſacris litteris vocat, vt vno vocabulo ſignificet, & in ſe omne ſolatium, & nullum extra ſe reperiri. Summam autem caritatem voco, quali prędictus fertur, (vt nonnullos ad exemplum proferam) beatiſſimus ille Philippus Nerius, cuius cor diuino complexu vſque adeo æſtuauit, & præ lætitiâ exilijt, vt binas coſtas ſuo pulſu, tripudioque perruperit. Quis mente conſequi valeat, qualis amor, quales deliciæ tripudium illud indixerint? Hoc vnum nouimus, ſæpè Virum ſanctiſſimum ab ijs, qui illum conuenerant, tantâ repertum attentione interiori diuini aſpectus ſuauitati vacantem, vt nullo vocis ſtrepitu, nullo corporis concuſſu, aut vellicatione reuocari poſſet. Quis pariter exponere queat diuinos præclariſſimæ Virginis Thereſiæ amores, vbi Angelum ignito ſupernæ caritatis iaculo ſibi pectus tranſuerberantem ſenſit? Indueras nempe Angelicam ſpeciem is, qui *Specioſus formâ prę filijs hominum*, ſuam minùs explicaſſet, ſi communem cum filijs hominum formam præ ſe tuliſſet: Nec alio gladio accinctus, quàm quo ſibi orbem terrarum ſubegit, *ſpecie* ſcilicet *ſuâ*, *& pulchritudine ſuâ*, nec alijs vſus ſagittis, quàm quibus *populos ſub ſe cadentes* vidit, nempe incenſis ſuæ pulchritudinis radijs, quibus ita virginis præcordia transfixit, vt ceteris rebus emortuam ſoli amoris vulneri viuam, eoque vno ſenſu ſuperſtitem reliquerit. Quid

2. ad Cor. 1. 3.

Feruidè amantium exempla.

Pſ. 44. 3.

Quid beatum loquar Adoleſcentem Stanislaum Koſtkam noſtræ ſocietatis tyronem, cuius pectus tanto interdum, vel hyberno tempore incendebatur amore, vt animo, viribuſque defectus in terram delaberetur, nec niſi frigidâ pectori affuſâ, & mitigato calore poſſet reſtitui? Atque id quidem diuina meditanti vſuuenire conſueuerat; qualibus flammis, quali amoris incendio flagraſſe credibile eſt, vbi IESVM, cumque puerili formâ pulcherrimum, a Virgine Matre ſibi ęgrotanti, ac decumbenti allatum in ſinum accepit, eique amantiſſimè complexo caſtiſſima oſcula ſemel, atque iterum, ac ſæpiùs impreſſit? optauitque, ac certè petijt, a morbo illo, non niſi per mortem, quæ tam dulces æternaret amplexus, relaxari. Si gaudium amori par eſt, imò amor eſt ipſe re dilectâ potitus, eamque prę manibus tenens; an non beatiſſimi Adoleſcentis gaudium, piarumque mentium vniuerſim tale aliquid expertarum, cunctis vitæ gaudijs præſtitiſſe cenſendum eſt, quando nullus ceterarum rerum amor, quòd in tantum ardorem, ac flammam exarſerit, auditus?

Eſ. 57. 20. Humani, diuinique amoris collatio. Æſtuant quidem humanæ pulchritudinis amatores, ſed vt diuino docemur oraculo, *tanquam mare feruens, quod quieſcere non poteſt*, quodque ſimul fèruet, & alget: aſſiduo ſcilicet metu ſolliciti, pauidique, ne ex innumeris, quæ poſſunt impedimenta contingere, vnum aliquod interponatur, quod eorum votis officiat. Diuini amoris

vo-

vota nihil eſt, quod poſſit eludere: ne formidanda quidem Cæſarum Romanorum potentia, cunctis licèt tormentorum generibus inſtructa, furijs etiam agitata, ac torquere docta tartareis, valuit vnquam de vnius pueri, aut puellæ pectore dilectum Numen euellere. Fidus quiſque Chriſti amantium dicere, ſi libeat, poteſt, quod olim pro omnibus Paulus; *Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino Noſtro.* Ad Rom. 8. 35. Quemadmodum autem per hæc ſeparari Paulus a caritate non potuit, ita nec a gaudio caritatis fructu, quo non modò ſe abundaſſe in medijs aduerſitatibus, verùm & ſuperabundaſſe teſtatur: *Repletus ſum*, inquit, *conſolatione, ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtrâ*. Quid eſt autem ſuperabundare gaudio, niſi omnem, quam dicimus, ac nouimus, gaudiorum abundantiam ſuperare?

Hoc præterea terrenum inter, ac cœleſtem amorem intereſt; quòd ille vt de amatâ pulchritudine nonnihil gaudeat, multùm certè de ſuâ turpitudine dolere cogitur. Eſt enim terrenus, ac lutulentus amor æquè in ſe turpis, ac ſanæ menti, quam dehoneſtat, ingratus. Nec ſolùm ob

ſuam

ſuam fœditatem menti illitam amantem offendit; verùm longè magis ob promerita, expectataque in futurum ſupplicia: quorum non vltimum erit, vt æternum carere debeat eâ ipſâ pulchritudine, cui comparandæ æternam felicitatem profudit. Amor verò cœleſtis oculos amantis animi non modò infinitâ Dei pulchritudine paſcit, quam illi & contemplandam, & poſſidendam affert; verùm etiam ſe ipſo, tanquam aureus torques pretioſam gemmam pectori appendens, magnâ voluptate perfundit. Eſt enim tanto animæ, cui inſidet ornamento, vt non alio potiùs nomine diuinum erga ſe amorem alliciat, quàm ſuo erga Deum amore. Simul e diuinâ beneuolentiâ, intimâque amicitiâ cuncta ſpei oblectamenta Caritas haurit: hæc enim ſpem ipſam parit, ſuique partus fructibus oblectatur. Auget præterea ſuo calore, atque igne Fidei lumen, eoque aucto ſpes, & Caritas ipſa, atque ex vtrâque voluptas incrementum accipiunt.

Conformitas cum diuinâ voluntate, quàm iucunda.

Verùm duo ſunt potiſſimùm, quæ ſummam Deum amantibus afferunt vitæ huius felicitatem. Alterum eſt perfecta noſtræ cum diuinâ voluntate conſenſio, per quam non velimus ſolùm, ſed ſummoperè optemus, ac diligamus quidquid diuino ſederit arbitrio. Inde enim fit, vt cum præter diuinam voluntatem contingat nihil, cuncta ſemper nobis vota ſuccedant, quando nihil vt fiat, quàm quod Numini libeat, vouemus.

Quid

Quid autem felicius obuenire poteſt, quàm vt omnia nobis ad votum cadant, nihil contra quàm propoſuimus, voluimuſque: ſiue id ſit, quòd res aduenïant voluntati, ſiue quòd rebus ipſis voluntas: effectus vnus ex vtroque eſt, habere quod velis. Alterum eſt præſtantiſſima quædam, eademque aſſidua præſentis Numinis contemplatio, in quam caritas, vbi ad ſummum ardoris peruenerit, inclareſcit. Proprium eſt enim ardenter amantium nunquam mentis oculos ab re amatâ diuellere. Dum cibum, dum potum capiunt, dum fabulantur, aut negotij aliquid gerunt, nunquam ex animo dilecta ſpecies elabitur: ſimul euigilant, ea prima cura mentem illorum occupat, ea poſtrema cubitum ituros dimittit, quin etiam ne dimittit quidem, nam dormientibus occurrit, ſolaturque ſomnos iucundiſſimum ceteroqui ſpectaculum non ſine mœrore inuolaturos. Quòd ſi tanta humanæ, hoc eſt ex humo fictæ pulchritudini, ad ſeſe ſpectantium mentibus conciliandam, imprimendamque vis eſt; quis dubitet, quin diuinę, cuius illa mendax idolum eſt, longè maior futura ſit, vbi contingat, diuinam ſpeciem paulò explicatiùs noſtris mentibus inſinuari. Nec te ita velim oculis credas, tuoſque amores illis regendos committas, vt amabile cenſeas nihil, niſi quod illis arriſerit. Etiam canes Dominos ſuos non formâ, non cultu, non vllâ oculorum illecebrâ præ ceteris amabiles, amant nihilominùs

Itémque aſſidua Dei præſẽtis recordatio.

Oculis nequaquàm committẽdum amoris regimẽ.

vehementiſſimè, tutantur vel cum vitæ diſcrimine, ęgerrimè ſuſtinent ab eorum latere diuelli, parati ſemper illis blandiri etiam poſtquam fuſte malè multati, ac propemodum ad mortem vſque contriti vix animam retinent. Itaque vltra Canũ vecordiam ſtupidus conuincitur, quicunque oculos in amore duces ſequatur, ijſque appetitionis omnis, ac fugę arbitrium committat. Trahit, inquis, pecudes illas Naturæ inſtinctus, quæ communis parens mutas quoque animantes docet, eſſe in homine præſtantius aliquid, quod oculos lateat, & amore, ac veneratione dignum ſit. Inde igitur pecude hebetior eris, ſi tu Naturæ documenta non ſentias, & agnoſcentibus brutis ſui Domini etiam inuiſum oculis decus, ipſe infinitam noſtri, rerumque omnium Domini amabilitatem, altiùs nobis illam prædicante Naturâ, minimè agnoſcas. Verùm mittamus iſta ijs, quos alloquimur ſuperuacua: haud enim nobis propoſitum, ſenſum carentibus dare, ſed habentibus fortunare, ac felicitate impertiri. Quare cum hæc altiſſimo quodam contemplationis genere (qui fructus perfectæ caritatis eſt) maximè contineatur; de hoc in proximo capite differemus.

CA-

CAPVT VNDECIMVM.

De ſublimi rerum diuinarum contemplatione, in quà terrenæ felicitatis pars potiſſima ſita eſt.

QVandoquidem quid vocabulo cõtemplationis reſpondeat, & quemadmodum ea obtineri, atque exerceri queat haud paucos latet: id quoque nobis aperiendum eſt, dum eius theſauros recludimus, ne diuitias tantùm oſtentaſſe velle, non tribuere videamur. Contemplatio igitur, vti ex doctiſſimis Patribus liquet, ſublimis quædam eſt mentis noſtræ eleuatio ad res diuinas magnâ cum perſpicuitate noſcendas, & pari cum voluptate delibandas. Hæc finis eſt laborioſæ meditationis, quæ in contemplatione tandem quieſcit, ſuique operis fructu gratulatur. Qui enim cœleſtia, ac diuina diu meditatus ſurſum ſeſe mentis agitatione multùm euexit, ibi ſæpè immobilis hæret in agnitæ pulchritudinis admiratione, atque amore

Cõtemplationis definitio.

S. Thom. 2.2.q 180. Bern. de Sch.cl. Ricc. de arc. myſt. c.4.

ſuſpenſus, ac ſimile quid illi accidit, quod ijs
Cron. l. 2. c. 42. volucribus, quas Galeritas dicunt, Franciſco Aſ-
ſiſiati olim percaras, ſuiſque Fratribus in exem-
plum datas: humi enim plerumque ſedent, ci-
nereum amictum vnâ cum cucullo gerunt, Fa-
ctorem ſuum eo, quo pacto norunt collaudant:
vnde fortè & Alaudas Latini, & Laudulas vul-
gus noſtrum appellat. His autem id euenire
conſpicimus: vbi in ſublime, quò vix obtutus
porrigitur, proceſſere, loco in vno alarum motu,
ac trepidatione corpus obfirmant: ibique terra-
rum ima deſpicientes, Cœli viciniâ perfruuntur,
ac datum ſibi carmen in Auctoris laudem ſua-
uiſſimè concinunt. Haud aliter qui diuina, ac
cœleſtia meditantur; diù ſurſum mentis ratioci-
nio conniτuntur, quouſque terrarum conſpectu
propemodum amiſſo, Cœloque propinqui, eius
intuitu, ac rerum ibi conditarum præſenſione
immoti oblectantur, ſuumque gaudium in laudes
Conditoris effundunt. Quare meditatio aſcenſus
eſt, Contemplatio quies: non ab omni quidem
mentis officio, (hæc enim perpetuum agitat lę-
titiæ geſtientis tripudium) ſed ab operoſo niſu,
quo e rebus procreatis ad Conditoris agnitionem
euaſit. Etenim quicunque e rebus iſtis tanquam
e Conditoris veſtigijs, infinitam eius magnitudi-
nem altâ mente concepit, ſi indicto interioribus
mentis ſermonibus ſilentio, in ſolo Diuinitatis
aſpectu defixus, motus nullos, niſi admiratio-
nis,

nis, atque amoris, exerceat; iam e vulgari meditatione ad contemplationis faſtigium egreſſus dicitur. Et quanquam contingere aliquando poteſt, vt ſine præuiæ meditationis conatu ſubitò mens in Numinis, rerumque cœleſtium contemplationem ſe nec opinantem ſublatam videat; id tamen perrarum eſt, & quàm grande superum beneficium, tam ſuſpectum immerentibus, atque affectantibus periculoſum: nam qui volare nondum plumas induti geſtiunt, caſum non aſcenſum moliuntur: & vt altiùs cadant, ſæpè Diabolum, vt Simon ille magus, ſuccollantem inuenient. Quòd autem diuinâ largitate, non diabolicâ fraude contemplatio contingat, indicio erit, vt experti tradunt, horror quidam, ac tremor contemplationem præcurrens, & rerum maieſtatem denuncians, quem deinde tanta voluptas excipit, vt eorum omnium, qui experimento didicere, vna ſententia ſit, haud poſſe illam humanis verbis exponi. Affert præterea, quæ diuinitus contemplatio contingit, magnum Chriſtianæ pietatis, ac virtutis omnis incrementum: & potiſſimùm auget caritatis in Deum, ſuique demittendi ſtudium, quę duo maximè coniuncta ſunt, & æquo gradu progrediuntur. Contra verò diabolicæ fraudis certiſſimum argumentum eſt, ſui in ſe opinionem auctam deprehendere, Dei que ac ceterorum hominum, imminutam, auctumque contemptum. Pacatus etiam ingredi peſſimus

Contēplatio ſine pręuia meditatione haud periculo vacans.

Quid malū a bonā diſcriminet.

Ve-

Veterator ſolet: ſed non antea ægreditur, quàm ſollicitatis ad defectionem cupiditatibus turbida omnia atque inteſtinum bellum relinquat. Illud autem hìc animaduertunt Magnus Gregorius, ac Bernardus, ingentem illam cœleſtis contemplationis ſuauitatem haud multo tempore plerumque conſtare (guſtus enim ibi cœleſtis epuli, non plenum conuiuium datur) memoriâ tamen, quam viuidam ſui relinquit, eam diutiſſimè vnâ cum ſpe nouæ admiſſionis extendi. Quam ob rem alternæ ſemper vel Sanctiſſimis Viris meditationem inter, & contemplationem vices fuere, ijs præſertim, quibus contemplatio ex meditatione quæſita: vt nempe alterâ deficiente nunquam aliquis diuinitatis aſpectus, ſeu pia, ac iucunda cogitatio deficeret.

Greg. hom. in Ezec. Bern. l. de am. D. c. 4.

Quà in re gemina eſt conſideranda contemplationis forma: Altera, quæ Theologis dicitur Acquiſita; altera, quæ Infuſa. Illa per formas, ſeu ſpecies noſtro inter meditandum conatu, atque induſtriâ partas exercetur: Et quia non ſine Phantaſiæ opificio ſpecies illę cuduntur, nec ſine labore excitantur; exerceri talis contemplatio ſine vi, ac defatigatione ob euocatos in caput halitus omnes vitales, ac cetera membra deſtituta, non poteſt: nequeunt autem diù permanere, quę violentiam habent: niſi tamen eâ ſublatâ (quo id pacto fieri poſſit, poſtea docebimus) eius loco amor ſuccedat, ad quẽ ſpontè veniant, quæ imperium, & violen-

Contēplatio duplex: acquiſita, & infuſa.

len-

lentiam ſpecies detrectabant. Altera verò, quæ prǽſtantior eſt, contemplatio, fit per ſpecies diuinitus nobis, vt Angelis ſolet, immiſſas, quæ cum Phantaſiâ, nullâ cognatione, aut neceſſariâ ſocietate iunguntur: quare illâ aliud agente, aut ſomno etiam conſopitâ, munus ſuum obire poſſunt ſine vllâ capitis, aut reliqui corporis defatigatione. Qui priori illo contemplationis genere vtuntur, ijs hoc euenire pronum, ac frequens eſt, vt ſenſuum officia penitùs deſerant, nec modò oculis, auribusque patentibus nihil ſentiant, verùm ne ſtyli quidem ſuffoſſione concitentur. Cuius rei ratio inde peti videtur poſſe, quia cum externæ ſenſuum facultates vim agendi nullam habeant, niſi de capite halitus opportunos per neruorum ductus accipiant; omnes autem eiuſmodi halitus in phantaſiæ attentiſſimè contemplantis ſubſidium abſumantur, deſtitui eâ contemplãte ſenſus oportet ſuo commeatu, ſine quo vigere, ac ſentire haud quaquam valent. Nonnullos etiam eâdem de cauſâ valde infirma ſequitur valetudo: fœminas prǽſertim, quibus plus otij ad contemplandum, minus tamen virium ſuppetit, ac firmitatis: nam capite omnem ad ſe calorem euocante, ſtomachum languere, atque inde cruditates, morborum omnium alimenta, progigni neceſſe eſt. Haud tamen proinde a contemplando abſtinent: imo e corporis detritu animantur magis, vt qui videant, eo pariete deiecto co-

Senſuum alienatio & corporis infirmitas a contemplatè acquiſitá oritur.

ram

ram habituos quidquid tantum ardoris in ſui deſiderium etiam ſtãte illo tranſmiſerat. Illud quoque vſuuenire ſolet, vt quidam ex ijs toto contemplationis tempore in ſuauiſſimas lachrymas defluant; ſimul vt prę ingenti amore ſibi pectus incendi, atque amantium in morem vbi amatos vultus conſpexere; cor emolliri, ac tenereſcere experiantur. His forte non adeo mens occupata eſt, ſuique corporis oblita, vt ſocium, & laboris conſortem inuentę iucunditatis in partem non aduocet.

Contra accidit in infuſa.

Quibus verò poſterior contemplationis forma in vſu eſt, ijs contra accidit, vt altiſſima quantumuis contemplatio nec detrimenti aliquid, aut voluptatis corpori importet, nec mentem ab externi operis procuratione ſeducat. Quinimò quo altiùs aſſurgunt, eo ſolertiùs humana prouident, adminiſtrantque, vt qui propiùs ab oculis habeant ſupremum Dominum, cui in illâ rerum adminiſtratione obſequi, probarique maximè ſtudent. Huiuſmodi fuiſſe noſtrę ſalutis Auctorem Chriſtum, Theologi omnes aſſeuerant, quem quandiu inter mortales egit, nunquam mentis humanę oculos a beato ſuę Diuinitatis intuitu, (quę prętantiſſima omnium contemplatio eſt) refixiſſe docent: neminem tamen interea accuratiùs humana adminiſtraſſe. Idem beatis in Cœlo hominibus euenturum certa fides eſt, qui ſcilicet, receptis corporibus, ſuos in vſus ſenſus dimit-

mittent, tametſi mentem beatiſſimâ Numinis contemplatione nunquam non occupatam ſint habituri. Idem pariter nonnullis Sanctiſſimis Viris adhuc in terrâ peregrinantibus eueniſſe conſtat: Et quidem de Virgine Deiparâ Doctores confirmant omnes, quam volunt etiam in matris aluo, atque adeo in ſomnis ſublimi contemplatione detentam. Thereſia Virgo in ſuâ illâ, quam de rebus ab ſe geſtis hiſtoriâ deſcripſit, id ſibi contemplanti interdum accidiſſe refert, vt ſola mens ſine vllius corporeæ imaginis vſu, ac phantaſię pręſidio diuina meditaretur. Quorum omnium cauſa vna eſt, quod rerum imaginibus vteretur diuinitus acceptis, non ſenſuum, nec phantaſię miniſterio paratis, adhibitiſque. Inde Angelico ritu animus diuina tractaret ſine corporis adiumento: quare nec fatigari corpus neceſſe erat: nec animum ſua negotia gerenti corpori, dum contemplaretur deeſſe. Haud enim communem naturę vim, ac potentiam, ſed eam, quam vulgò in ſcholis dicimus *Obedientialem* (ignoto veteribus vocabulo rem illis ignotam cogimur declarare) in huiuſmodi contemplandi rationē animus impendit: proinde cunctas naturę vires corporeis miniſterijs, quaſi domeſticos reditus domeſticis vſibus, integras ſeruat. Hoc genus raiò admodùm mortalibus datur; quibus tamen feliciter obtigit, nullo negotio illud Chriſti conſilium impleuere; *Oportet ſemper orare, & non deficere.* Nullum enim defe-

Ex Suar. Tō. 2. de Rel. l. 2. c. 16. vbi de vita beatâ, ſed ratio etiam militat prò cōtemplatione infuſâ.

Luc. 18. 1.

ctionis periculum, vbi defatigatio interuenit nulla: nec defatigatio timenda, vbi non fragile corpus, ſed mens corruptioni, ac defatigationi minimè obnoxia ad opus educitur.

Orandi aſſiduitas incẽſſæ caritatis fructus.

Poteſt tamen & reliquis corporearum imaginum ſubſidio contemplantibus magna orandi aſſiduitas ſine defatigatione, ac defectione contingere: vbi ſcilicet in magnum diuinæ bonitatis, ac pulchritudinis amorem exarſerint: quanquam & huc perueniſſe, magnę defatigationis ac laboris negotium eſt. Qui enim feruidè amant, haud quaquam laborant in amatæ formæ cogitatione perpetuò verſari: quandoquidem vis illis adhibenda non eſt, vt eius imaginẽ in mentẽ reuocent: nam ſpontè ſuâ ſubit, nec vnquam quantumuis pulſa, diſcedit: idcirco viris diuinâ caritate præferuidis non conatu opus fuit, amati Numinis, vt memoriam retinerent, ſed potiùs vt tenaciter inhærentem abijcerent, ſi quando id conari ob infirmi capitis tutelam a moderatoribus iuberentur, vti iuſſum aliquando Aloyſium Gonzagam in eius vitâ memorauimus. Tunc enim ſimul imperij vis illa exterior, quæ mentem aliò coegerat, receſſit, mens ad conſuetudinem, ſpontè ſuâ, ac nullo impellente, relabitur. Quocirca Numen perpetuò ſpectabant, vt præſens, nec ob vllam externæ adminiſtrationis curam mente dimittere cogebantur. Nec enim natura tam anguſtos ſinus in mente noſtrâ conſtruxit, vt plura ſimul

com-

complecti non poſſet: imò, Philoſopho teſte, quoties duo ita ſe habeant, vt alterum referatur ad alterum, æquè neceſſe eſt ambo mentem noſtram ſimul ſubire, atque in rerum naturâ ſimul eſſe; huiuſmodi ſunt Parens, ac natus, ſeruus ac dominus, atque alia id genus, quorum neutrum ſine altero eſſe poteſt, aut cogitari. Atqui id proprium diuini amoris eſt, vt cuncta, quæ illi obuerſentur, in Deum tanquam rerum omnium Auctorem referat, eique laudes, grateſque pro ſingularum pulchritudine, ac bonitate perſoluat, nec rei aliquid moliatur niſi dilecti Numinis demerendi ſtudio: quare quidquid mente agitat, quidquid aſpicit, aut manu tractat, Dei conditoris admonitio eſt, illum ei in memoriam continuò reuocat, cuius causâ omnia vult, molitur, & cogitat: eoque ſemper quodammodo orat, vt qui mentem in Deum nunquam non eleuatam gerat. Atque id eſt, quod antea monebamus, poſſe acquiſitam etiam contemplationem ope amoris eximij diutiùs permanere: tametſi hæc reuerâ non tam contemplatio, quàm perpetua diuinæ præſentiæ obſeruatio ſuâ non carens iucunditate, dicatur. Habent autem Viri ſancti præterea ſtata quædam tempora, quibus a negotijs feriati æternorum contemplationi largiùs, atque impenſiùs indulgeant: ac tunc potiſſimùm libenter ſibi permittunt illam, quam ſupra memorauimus, a ſenſibus auocationem, rerumque externarum, ac

functus a pluribus crederetur, elatuſque iam fuerat, niſi aſtantes quidam e tenui adhuc reſiduo pectoris calore deprehendiſſent, animum haud e corpore abijſſe, ſed a reliquis membris ad amoris officia totum cum ſuis omnibus viribus in præcordia conueniſſe. Simul autem ſe ſenſibus reddidit, IESVM inclamare ſuauiſſimè cæpit, nec deinde aliud, niſi amantiſſimum dominum cogitare poſſe videbatur: quaſi præ oculis, quòcunque illos intenderet, ſolem illum iuſtitiæ, quem inſpexerat, circumferret. De Catharinâ ſenenſi hoc pariter memoriæ proditum, quaternos illam aliquando dies veluti mortuam iacuiſſe: ſibi autem ac ſenſibus reſtitutam, rogatamque a Raymundo Capuano eius Moderatore, vt rerum, quas in eo mentis exceſſu viderat, aliquid enunciaret; primùm per dies multos collachrymaſſe, fletuque tacitè reſpondiſſe, aliud pro reſponſo dare non poſſe, niſi lachrymas, & ſingultus infinitæ indices iucunditatis amiſſæ: ijs autem exhauſtis, vnum illud dixiſſe, tantam rerum ſupernarum ſibi magnitudinem, ac pulchritudinem oſtenſam, vt certò crederet, quaſcunque laudes illis in poſterum tribueret, maledicta, atque execrationes ſibi viſum iri futuras: adeo ſiquidem arctam eſſe noſtrorum vocabulorum vim, vt ſine infinitâ laudis detractione rerum diuinarum infinitati ſignificandæ accommodari non poſſint. Ad eum fortè modum (ita ego rem hanc interpre-

Rerum ſupernarum laudes maledicta Catharinæ videntur.

tor

tor) quo tametſi ruſticus quiſpiam, cui nihil pręter ſua rura, ac mapalia notum, ſatis ſibi Romam prædicari credat, ſi mapale illa omnium maximum nuncupetur: Viro tamen rerum humanarum peritiori ſummum laus iſta probrum, & contumelia fuerit; ita noſtra vocabula pręclaras laudes ſignificantia, quamuis nobis inopiæ noſtræ aſſuetis magnifica ſint, quia tamen vim ſignificandi ad res iſtas anguſtiſſimas, quibus impoſita ſunt, coarctatam habent, menti ad ſuperna admiſſæ maximè ſordida, atque indecora cenſentur, maledictis item proxima, contumelijſque. Quis igitur enarrare valeat, quantis virgo illa beatiſſima delicijs affluxerit, vbi ſe tantâ diuinitatis æſtimatione imbutam a Chriſto coram apparente, atque annulum digito inſerente electam vidit in ſponſam, audijtque Cœlitum complures, qui vna cum Deiparâ aderant, feſtiuis vocibus gratulantes? Carnis coniugium, quo corpora more pecudum iungimus, voluptatem habet, qualem decuit a rerum omnium Parente belluis impertiri, eiectamenta ſcilicet nuptialis conuiuij, quo Chriſtus ſponſam animam excipit. At ânimæ ipſius cum Chriſto coniugium, cuius aliud corporeum, Paulo teſte, imago eſt, & quaſi fictile ſimulacrum, tanto iucundius credendum, quanto veritas ſuæ præſtat imagini, quantoque ea, quæ Dominis apponuntur, ijs potiora ſunt, quæ abijciuntur in canes. Quis rurſus voluptatem aliam explicuerit,

Ad Eph. 5. 31.

quan-

quando idem cœleſtis ſponſus cor eidem caſtiſſimæ Virgini rapuit, ſuo vt illud pectori inſereret, ſuumque in eius locum ſuffecit, quò mutui amoris maximum quiſque pignus haberet, ipſam amoris thecam, ac receptaculum? Quis denique aliam, atque aliam, quando illam amantiſſimus IESVS & legere, & characteres pingere, & latinè eloqui docuit, & ſacrarum litterarum quæſtiones eidem explicuit, & veterum Patrum hiſtoriam enarrauit, & cum illâ inambulans pſalmos Dauidicos concinuit, & denique frequentiſſimè apparens quamplurima illi arcana, ſiue quæ in præſens, ſiue quę in futurum ſpectarent, familiariſſimè, amiciſſimèque retexit? Non ego miror, nec fortè miraculo eſſe cuiquam debet, a ſanctiſſimis eiuſmodi animis tanto igne flagrantibus corpora quoque ſua in ſublime interdum elata: experimento enim docemur, ignitam materiam ex alto ad ima delapſam, vbi ignis in viâ totam corripuit, præualuitque, ſurſum iterum flammâ rapiente, referri: quid igitur admirationis habeat, animum diuini amoris flammâ vndique comprehenſum, corpus quoque ſuum Cœlùm verſùs, eius flammę locum, ſubuexiſſe? Cauſa rapti in altũ corporis in mẽtis exceſſu.

Ex his liquidò conſtat gaudij huius immenſa propemodum vbertas: non enim illud pectoris noſtri natiua capacitas, cui, vt Paulus loquitur, *ſuperabundat*, metitur, ac finit; verùm ſuperni amoris ardor, qui vt naturales rerum ceterarum 2. ad Cor. 7.4.

amo-

amores exuperat (quando enim naturalis amor vſque adeo exarſit, vt corpus hyberno coram gelu torreret, vt ſenſu, motuque illud exueret, vt flammæ impetu ſurſum attolleret?) ita gaudium parit ob dilecti Numinis præſentiam cunctis vitæ huius gaudijs longè præſtantius. Quare haud dubiè aſſeuerare fas eſt, ſi qua huic æuo felicitas eius anguſtijs accommodata contingat, eam certè ſummam in altiſſimâ Numinis, rerumque cœleſtium contemplatione reperiri. Vt enim in terris nullum vitę inſtitutum propiùs eſt a beatâ in Cœlo vitâ, quæ tota in aſpectu, complexuque Diuinitatis acquieſcit; ita nullum pariter vitæ genus æquè nos de cœleſti felicitate participat, atque illud, quod ſummo ſtudet Deum amore complecti, eiuſque pulchritudinem quantâ maximâ poteſt mentis intentione contemplari. Inde Apoſtolus vbi Teſſalonicenſes monuit, vt ſemper gauderent, continuò orandi aſſiduitatem, quaſi gaudij fontem, aperuit; *ſemper*, inquit, *gaudete, ſine intermiſſione orate*. Nec refert, vtrum per imagines corporeas contemplatio fiat, an ſine illis. His enim Deus opus non habet, niſi fortè vt nube quàdam, vel nebulâ ad ſeſe menti parciùs repręſentandum. Quam ob rem nihil eſt, cur viſa ſanctis quibuſdam Viris diuinitus oblata nobis abeſſe queramur, aut admodum cupiamus adeſſe: modò eorum feruidam caritatem, & contemplationem æmulemur, pari

Nulla vita iucundior, quàm quæ Deû ſeruide amat, & contemplatur.

1. ad Teſſ. 5. 17.

ſine

ſine viſis, atque externis eiuſmodi imaginibus iucunditate, quin etiam, tanquam ſine impedimentis, vberiore potiri poſſumus: vt ſibi vſuueniſſe aliquando Thereſia Virgo in ſuâ ab ſe conſcriptâ vitâ teſtatur. Illud tamen hìc fortaſſe cum vulgo vſurpabis; *Quis eſt hic, & laudabimus eum*: iamque animo concides, ratus nonniſi valde rarò, & magnis ætatum interuallis tam ſanctos Viros tam ſublimi præditos contemplatione exiſtere conſueuiſſe: neque enim communia, & vulgaria eſſe poſſe, quæ communem, & vulgarem modum excedant. Audi Ioannem innumerabiles Chriſti martyres in tuæ ſpei fulcimentum labantis opponentem. *Poſt*hæc, inquit, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum Dei in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum*. Quo in loco *Nemo igitur difficile*, inquit Cyprianus, *putet martyrem fieri, quando videat. Martyrum Populum non poſſe numerari*. Quod ſi difficile putandum nequaquam eſt, pro Chriſto ſanguinem fundere, eumque in ſummis, quandoque etiam flammarum cruciatibus; an difficile erit, pacatis rebus, nonnihil ſudoris ad eius in nobis excitandam caritatem emittere? Si difficile non eſt Chriſti caritate flagrantem medijs ignibus ſeſe tradere comburendum, an difficile erit ipſi diuinæ caritati, vim ignis mitiganti, ſeſe tradere recreandum?

Ad ſãctitatis culmen pertingere nõ difficile.

Apoc. 7. 9.

Cypr. de exhort. mart. c. 11.

CAPVT DVODECIMVM.

Quibus artibus diuinæ caritatis ardor excitetur.

QVos vſus cœleſtis iſte ignis ad beatam huius temporis vitam cum fouendam, tum colluſtrandam præbeat, huc vſque declarauimus: reliquum eſt, vt quibus artibus is nobis excitari queat, breuiter exponamus. Tria ſunt quæ noſtrum aduersùs alios amorem plurimùm euocant: Primum eſt illorum amabilitas, alterum amor, quo nos proſequuntur, tertium beneficia, quibus afficiunt. Ex ſingulis in Deum relatis infinita huic igni excitando materia ſuppetet. Loca hæc tamen, in quibus ea materia quodammodo aſſeruatur, indicaſſe contenti erimus, a longiori expoſitione abſtinentes, vt quiſque norit, vnde ſumere meditando queat, quantum cupiat, capiatque.

Tria amoris incitamenta: amabilitas, amor, beneficia.

De dei amabilitate.

Ex Apoc. 4. 8.

Qualis ſit Naturæ diuinæ amabilitas, ex eo ſcire licet, quod amor diuinus non cæcus eſt, vt profanus, ſed *plenus oculis intus, & in circuitu*, quibus Deum quâquâuerſum ſeſe exhibentem, atque inſinuantem aſpiciat. Ad cetera diligenda

igno-

ignorantia nos ducit, ſapientia reuocat: ad Deum ſapientia ducit, reuocat ignorantia. Inde noſtræ cum hominibus amicitiæ vincula quo arctiùs aſtricta fuerint, hoc propiora periculo ſunt, ne frangantur: propinquitate ſcilicet labes illas aperiente, ſuæque magnitudini reſtituente, quas longinquitas ab oculis amotas imminuerat. Contra verò quo propiùs cum Deo, ac familiariùs, hoc libentiùs verſamur, propterea quòd ſemper magis, magiſque infinitam eius bonitatem agnoſcimus, diligimus, & firmà nobis amicitià adiungere deſideramus. Quapropter Deus ipſe, qui ſibi intimus eſt, ac infinitæ ſuæ bonitati, atque amabilitati parem habet ſapientiam, ac notitiam, parem quoque, infinitum videlicet, habet amorem. Inde etiam fit, vt noſtræ voluntatis arbitrium tametſi tantà gaudeat libertate, vt nullis, quandiu hìc degit, poſſit amoribus obligari, ad vnum tamen ſimul ac venerit diuinitatis conſpectum, illico det manus, ſeque ita in eius poteſtatem tradat, vt libertate amiſſà non poſſit, quin oculos in infinitam illam pulchritudinem per omnem æternitatem ſemper intentos habeat, eandemque eo, quo maximo poteſt, proſequatur amore. Quam ob rem, vt incolumem nobis Deus libertatem in vitâ, imò vitam ipſam ſeruaret; opus illi fuit, vt ſub rerum terrenarum caligine, ſiue vt Paulus loquitur ænigmate, immenſos ſuæ pulchritudinis radios obnuberet: *Non enim*, inquit, 1. ad Cor. 13. 12. Exod. 33. 20.

Digitized by Google

quit, *videbit me homo, & viuet*. Hoc eſt, fieri nequaquam poteſt, vt mortalium quiſpiam diuinos meos vultus aſpiciat, quin continuò animus abruptis corporis vinculis in tantæ pulchritudinis amplexus, atque oſcula magno impetu ruat.

Deus induta humanitate hominibus amabilior.

Verùm tametſi Deus infinitè in ſe amabilis ſit, nobis tamen eo amabilior, quo humanior, vbi noſtram induit humanitatem, apparuit. Animorum magnetem haud inſcitè nonnulli dixere, propterea quòd lapis ille id ingenij habet, vt ferro indutus ferrum ad ſe vehementiùs trahat: haud aliter Deus noſtrâ indutus humanitate humani trahendi generis vim quodammodo auxit, geminauitque: eaque vis nunquam tam illuſtris prodijt, quàm cum ſeſe ille a nobis conſcensâ Cruce ſubduxit: quod ipſemet per ea verba prædixerat; *Et ego ſi exaltatus fuero a terrâ, omnia traham ad me ipſum*. Fuit enim illa quàm probroſa tam glorioſa diuinæ humanitatis (quæ probra illa hominum causâ ſuſcepit) exaltatio: & quantum eâ re benignitatis oſtendit, tantundem noſtri amoris ad ſe, Parentem amantiſſimum, traxit. Teſtis Catholica Eccleſia, quæ non modò quàm plurimos ſupra veterum Iudæorum ſynagogam eximios Dei amatores progenuit; verùm vſque adeo in amore feruentes, vt ſi quæ Dei causâ patrarunt, terrenę pulchritudinis amore pręſtitiſſent, apertæ damnarentur inſaniæ: quę facta diuinæ caritatis inſtinctu, ſummę ſanitatis argumenta ſint, & mentis e ſuâ fortè ſede, ſed ad

Io. 12, 32.

ſu-

ſupernas, emotę, traductæque. Huius tam feruidi amoris exempla toto hoc libro paſſim recitauimus, neque hìc repetere iuuat: nam infinita amabilitas iure ſibi ſingularem a nobis, atque vltra omnis exempli modum, amorem depoſcit: & ad hoc ſolùm ea memineris velim, vt quid non ſequi, ſed tranſilire te deceat, ediſcas.

Quod ſi ad tantæ amabilitatis, veluti ad ignis conſpectum, tui nondum frigoris contumacia regelatur, colliqueſcat, atque adeo inflammetur, neceſſe eſt, ſi ad diuinæ erga te caritatis incendium illam admoueas: quando nihil æquè ignem, atque ipſe ignis incendit. Si quis enim nos diligat, tametſi aliam, cur redametur, cauſam non exhibeat; eam ipſam dilectionem ſatis habere dignitatis cenſemus, noſtri æſtimatores eximij, cur mutuâ illum dilectione dignemur. Vt autem hanc Dei erga homines caritatem magis perſpectam habeas; perpende priùs, quantum nos Chriſtus ſolius humanæ voluntatis viribus dilexerit: Inde gradus fiet ad diuinæ caritatis ardorem meliùs intelligendum: Quo verò illud planiùs intelligas tria theologorum dogmata animo bene perſpecta, & comprehenſa habeas oportet: Primum eſt; plus gratiæ, vt theologi vocant, vni Chriſto a Deo collatum, quàm cunctis in vnum collectis Angelis, hominibuſque, hoc eſt, plus opum Filio, quàm in totam ſeruorum familiam, vti decuit, diſtributum. Alterum eſt; caritatem, quâ Deum diligimus.

De Dei erga nos amore.

mus, & gratiam, ob quam ab eo diligimur, vel ab ſe minimè diſtingui, vel certe nunquam ſeiungi, ſemperque ad menſuram parem vtramque donari: Poſtremum; vnam eſſe caritatem, quâ Deum, & quâ Dei filios eius cauſâ diligimus. Hæc viris doctis clariſſima ſunt, rei proinde ceteris declarandæ, & magni inſtar luminis colluſtrandę peropportuna. Ex ijs enim illud efficitur, a Chriſto noſtræ ſalutis auctore ſolâ hominis voluntate ardentiùs vnumquemque noſtrum diligi, quàm cunctæ ſimul humanæ, atque Angelicæ mẽtes Deum vel in Cœlo diligant, vbi Deus præclariſſimam ſui ſpeciem exhibet, eoque amor plurimùm feruet. Si enim Chriſtus plus gratiæ præ ceteris Angelis, hominibusque in vnum collatis obtinuit, plus quoque caritatis cum aduerſùs Deum, quę gratiæ par eſt, tũ aduerſùs nos Dei filios, quos eà, quâ Patrem, caritate complectitur, obtinuerit. Præterea ſanctiſſimos quoſdam viros accepimus, eà aduersùs Deum caritate flagraſſe, vt amoris vehementiâ tandem obierint: quod præſertim, vt antea diximus, de Virgine deiparâ, quam profectò aliud nullum lethi genus decuerat, ſcriptum legitur. Si igitur noſtræ vindex ſalutis tanto maiore nos caritate dilexit, quàm ſanctiſſimi quique hominum, Angelorumque, ſiue ſinguli, ſiue vniuerſi diuinum Numen vel in Cœlo diligant; haud dubiè caritas tam incenſa illum adhuc in terris viuentem

Chriſti vt hominis erga homines amor.

e me-

e medio ſepiùs ſuſtuliſſet, niſi amoris incendium, ne in corpus manaret, vt naturâ debuerat, intra animi clauſtra continuiſſet. Quæ cum mecum ipſe meditor, ſic aliquando, vt me ad rependendas vices extimulem, loqui ſoleo: Si tibi certò conſtaret, benigniſſimum IESVM adhuc in terris verſantem tam vehementi erga te amoris flammâ correptum, vt eius ardore confectus, vitam amiſerit; qui tibi tunc ſenſus forent aduersùs tantum, tamque amabilem amatorem? quo ſtudio vices illi rependere niteretis? quid non eius causâ audendum, quæ pericula non adeunda pro eius dignitate tuendâ, cenſeres? Atqui hoc certum habeto; ſi animam ſolo tui amore, ac deſiderio confectus amantiſſimus IESVS exhalaſſet, minùs longè illi deberes, quàm profectò nunc debeas, quando animi incendium, ne in corporis perniciem egrederetur, inhibuit: ſiquidem non modò inde amor non defuit, verùm quo minùs prodijt, hoc magis intus exuberauit, plenior ſuo tempore proditurus: nam & ne prodiret, amor fuit, qui ſeruare in hoc vitam maluit, vt infinitis excruciatam doloribus, parium documentis amorum, noſtræ ſalutis pretium per ſummam ignominiam in Cruce profunderet. O ingentem caritatem! O planè, niſi de diuinâ ageretur, incredibilem! Mirabar antea, vnde ſacro tanta vis foret amori, vt perfectos Viros extra ſe propemodum raperet; iam contra miror quid

cau-

Digitized by Google

cauſæ ſit, cur mortales omnes tantum Chriſti incendium non hauriat: cur tam ingens flamma correptas ſurſum vel vnâ cum corpore, vel ab eo ſolutas, exemptaſque mentes non efferat.

Chriſti vt dei erga homines amor. At, vt ſummus inter humanos amor hic fuerit, tanto diuinus in Chriſto fuit humano præſtantior, quanto præſtat humanitati diuinitas. Haud enim adiunctâ Deus ritu noſtro vtitur caritate, ſed ipſe ſua caritas eſt, vt inquit Ioannes: (Ep. pr. Io. 4. 9.) nec in eius naturâ, quemadmodum in noſtrâ, amorem ſecernere ab amante licet: totus ipſe amans amor eſt, & cum vndique infinitus ſit amans, ſeque toto nos diligat, vtpotè partium expers, infinito diligit amore. Cum enim aliud nihil amare ſit, niſi velle bonum, vt philoſophis placet, Deus autem infinitum nobis velit, exhibeatque bonum, nempe ſe ipſum, infinito vtique amore nos diligit. Quia verò amor iſte, qui Deus eſt, ab æterno tempore extitit, viguitque, ac ſuo ſemper functus eſt munere, vt ipſemet apud Ieremiam teſtatur per ea verba; (Matt. 15. 40.) *In caritate perpetuâ dilexi te*; amor, quo a Deo diligimur, non vnâ infinitate contentus eſt, ſed infinitus in ſe ipſo, infinitum bonum, infinitâ conſtantiâ nobis voluit, exhibuitque. Porrò non ſatis fuit amantiſſimo Numini ſuâ nos diligere voluntate, ſed cunctas ſecum reliquorum hominum voluntates adiunxit, quò omnium nos amore diligeret. Scripſit enim cunctis mortalibus legem hanc,

hanc, vt ſuum vniuerſi Fratrem (hoc nomine omnium Parens cunctos cenſeri voluit) non ſecus ac ſe ipſi diligerent, vt eſurientem paſcerent, ſitientem potarent, ægrum inuiſerent, nudum fouerent, peregrinum exciperent, mæſtum ſolarentur, imperitum inſtruerent, quemlibet denique indigum, quâcunque re poſſent, iuuarent. Atque vt rem hanc commendatiſſimam omnes haberent, gratiam, quam in alios contuliſſent, redditurum ſe, veluti ſibi collatam, recepit. *Amen dico vobis,* Matt.25.40. inquit, *quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Quin vltra progreſſus, ſempiternos quoque ignes ijs, qui legem hanc neglexerint; fratremque ſuum vel ſolo verbo violauerint, denunciauit. *Qui dixerit*, inquit, *Fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis*: perinde ſcilicet vt maieſtatis infinitæ reus (ſiue quòd filijs maieſtatem ſuam Pater impertiat, ſiue quòd filij iniuriam ſuam Parenti) infinitas pœnas dependet. Itaque veluti ſuam Deo debemus beneuolentiam, quam erga quemque noſtrum vniuerſi mortales præſtant, vt quæ e diuinâ omnis voluntate promanat: mutuæque dilectionis legem non niſi magnâ cum gratiarum actione accipiemus, ſi intelligamus, diuinum quoddam illam eſſe diploma, quo ſtudia mortalium, atque officia Deo debita, vnicuique noſtrum tranſcribuntur, ac tanquam eius perſonæ exhibenda imperantur. *Quandiu feciſtis vni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.*

Digitized by Google

Diuinæ ad noſtram captandã beneuolentiã artificia.

Ex hàc tam ingenti Dei caritate extitere artes, quàmplurimæ, quibus noſtras Deus càptauit voluntates, cepitque permultas ſolâ, quod à Deo captarentur, notitiâ: quid enim ad amorem in nobis excitandum validius, quàm noſſe rerum omnium Conditorem noſtram artificijs aucupari beneuolentiam? Et quandoquidem Artificium in hàc re maximum eſt, ipſum prodere artificium, haud multum in ijs detegendis laborandum, cum apertiſſima in cunctis ſacrarum litterarum locis occurrant. Primùm igitur (vt nonnulla curſim attingam) cum optimè Deus noſſet, ſimilitudinem magnum fore amoris illicium (inſito enim amore ſui, quiſque diligit, quidquid de ſuo videt in altero) animum in nobis ad ſuæ formæ imaginem, ac ſimilitudinem condidit: & quia corpore ſimiles illi eſſe non potuimus, induit ſibi ille corpus, ſeque nobis ſimilem reddidit. Deinde primam, eandemque maximam legem, ac propemodum vnicam, cui ceteræ operam nauant, Dei dilectionem, conſtituit: quam etiam tanto ſtudio commendauit, vt ei obtemperantibus ſempiternam felicitatem, eam ſpernentibus ſempiternam miſeriam indixerit. Stricto, propè dixerim, gladio noſtrum expugnare voluit amorem; aut amabis, inquiens, aut moriere. *At* (L. p. conf. c. 5.) *quid tibi ſum ipſe*, iuuat de tam amabili ſeueritate cum Auguſtino conqueri, *Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas a me: & niſi faciam, iraſcaris mibi,*

bi, & mineris ingentes miſerias: paruane eſt ipſa miſeria, ſi non amem te? Vtique parua non amãtibus, hoc eſt diuini amoris dulcedinem non expertis: propterea alij terrores inijciendi fuerant, vt vel inuiti dulce poculum haurire cogerentur, gratias acturi, cum perpotaſſent. Ad hæc cum vincula cognationis, eadem, & amoris eſſe ſoleant, non vno contentus, propioribus omnibus, patris, matriſque, & fratris, & filij, & ſponſi ſeſe nobiſcum obſtrinxit. Patrem ſeſe nobis dedit, cum nos ſibi natos progenuit, talemque patrem, vt præ ſe neminem hoc nomine vocari a nobis decreuerit: *Patrem*, inquit, *nolite vocare vobis ſuper terram: vnus eſt enim Pater veſter, qui in Cœlis eſt*. Matrem præſtitit, plus etiam quàm maternam pollicitus curam, vbi per Eſaiam verba illa ſuauiſſima protulit: *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, Ego tamen non obliuiſcar tui*. Fratrem ſimul, ac filium exhibuit, quando ijs repudiatis, qui vulgari viâ hoc ſe illi propinquitatis gradu coniunctos cenſébant; *Quicunque*, inquit, *fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater, & Soror, & Mater eſt*. Denique non modò ſponſum Eccleſiæ ſuæ ſeſe compluribus ſacrarum litterarum locis, profeſſus eſt, verùm vſque adeo amantem, vt amores ſuos Salomoni, perdito ceteroqui, atque inſano amatori, interpretandos commiſerit: quæcunque enim ille de ſponsâ ſuâ

Matt. 23. 9.

Eſ. 49. 15.

Matt. 12. 50.

Bbb 2 in

in Canticis canticorum amatoriè concinuit, hæc aduersùs Eccleſiam, pias ſcilicet animas in eam collectas, Chriſti ſponſi amores, ipsâ Eccleſiâ teſte, ſignificant. Vſus eſt autem ſapientis inſa-
Ex 1. ad Cor. 1. 21. niâ, vt ſapientiſſimam illam *ſtultitiam*, per quam ei *placuit ſaluos facere credentes*, adumbraret.

Maximum præ ceteris artificiū, Panis Euchariſticus. Neque hìc ſubſtitere Dei amantis ad nos demerendos artificia: nam eò adductus eſt, vt amatorium etiam ex medicato cibo componeret, quo ſumpto, eò adigeremur, vt amare nos ipſi minimè poſſemus, niſi illum quoque amor noſtri comprehenderet. Se ſcilicet in eſcam humano accomodatam palato tradidit: itaque ſeſe nobis adiunxit, vt corpus vnum, cuius tamen ille caput eſſet, nos membra, efficeremur. Quis autem ſeſe diligat ſine capite? vel ſi capiti ſuo malè cupiat, aut agat, non continuò ſibi quoque id ipſum agere cenſeatur? Hoc ſatis diſertè ipſe nos
Io. 6. 57. Chriſtus edocuit; *Qui manducat*, inquit, *meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, &*
Act. 9. *ego in illo*. Quod & luculentiùs, vbi Saulum ad ſe euocauit, expoſuit. Inſectabatur ille, mala tunc Beniamin lupi rapacis ſoboles, Eccleſiæ naſcentis exordia, ſpe fretus, poſſe in cunabulis adhuc teneram elidi: cumque Damaſcum peteret, *vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Ieruſalem*; Chriſtus ſuo periculo occurrens, illum ingenti, quo radiabat, fulgore perterritum equo præcipitem deiecit, dein-

de

de querulâ hâc potiùs, quàm minaci voce compellat; *Saule, Saule quid me perſequeris?* Verba iſta diligenter obſerua: Non dixit, quid diſcipulos meos, aut quid ſeruos, aut amicos, ſiue etiam fratres, aut filios meos, ſed quid me ipſum, hoc eſt, mea membra (quorum offenſas capitis officium eſt, lamentari) perſequeris? Vt igitur, Chriſto teſte, haud quaquam licuit Saulo ipſius Chriſti membra ſine capite odiſſe; ita nec nobis nos ipſos, qui Chriſti membra ſumus, ſine Chriſto capite amare licebit. Proinde amator noſter admirabilem inijt modum Euchariſticæ potiſſimùm, vt ait Chriſoſtomus, frugis ope, quo prauum noſtri amorem in ſe ipſum, verè in bonam frugem, conuerteret, noſque cogeret, vel ipſum amare, ſi nos amemus; vel ſi ipſum oderimus, nos odiſſe. O miros diuinæ caritatis ad noſtra pectora expugnanda conatus! At o magis miram noſtræ ad eos repellendos contumaciæ duritiem! Quis non miretur, pannoſum homuncionem tanti Principis amicitiam tot artibus quęſitam, recuſantem? Quis eius percipere dementiam queat, qui os blandienti catulo pronus exhibeat, blandituro Numini terga vertat? Hom. 45. in Io.

Tertium amoris incitamentum, idque nobis pauperculis, cupidiſque potiſſimum, Beneficia ſunt, quæ tam multa, tam grandia de manibus amantiſſimi Parentis accepimus, vt ſingula iuſtum ſibi volumen depoſcerent, vniuerſa nullis De diuinis erga nos beneficijs.

coer-

coerceri voluminibus poſſent. Quædam duntaxat curſim, ac generatim de ijs dicemus, vnde diuinus in ijs latens prodeat amor, & noſter ad diuini ſuſcitetur amplexum. Tria maximè ſunt, quæ quodlibet beneficium commendant, ac magnum efficiunt. Primum eſt, ipſa rei, quæ nomen ſuſtinet beneficij magnitudo, alterum datoris, tertium amoris, quo datur, magnitudo. Beneficium, quod à Deo nobis tribuitur, tantum eſt, quantum Mundus hic vniuerſus, & quà ſpectabilis eſt, & quà maior, ac melior oculos latet. Ibi enim innumerabilia habemus, quibus vita, vſque ad delicias inſtruitur: horum autem quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, ſingula vitæ ipſius beneficium æquant: quæ verò ad delicias excedunt, vitam etiam apud ſuperos beatam, monſtrando, ac ducendo, donant: modò illorum ductum ſequi velimus, non ea retinere: fluxa enim bona ſunt, & fluminum inſtar mare ſectantes docent, mergunt verò retenta. Atque hæc quidem externa: nam ſi præterea te ipſe inſpicias, quot membra corporis habes, totidem tam grandia Numinis beneficia tenes, vt ne cum regno quidem vnum ex ijs tibi permutari, niſi potiſſimum beneficium, mentem, amiſeris, ſuſtineres. Tanti denique vnumquodque eſt, vt eius iactura totius mundi pretio redimi non queat. Fac te oculos, aut nares, aut linguam amiſiſſe; quo pretio reparabis? Quid autem animus? quem

Horum magnitudo.

quem non rectè minorem mundum, meâ quidem ſententiâ, ſeu microcoſmum philoſophi dixere, quando mundus hic, quem maiorem dicimus, illum non explet. Hunc Deus ſuâ decorauit imagine: toti huic aſpectabili mundo tanquam Numen præfecit, cui elementa vectigal penderent, cui animantia viuerent, cui cœleſtes orbes vnâ cum ſole, ac lunâ, ceteriſque ſideribus decurrerent, ac circumeundo cuncta vitæ præſidia miniſtrarent. Hunc in amicum, in filium, in æterni regni heredem cooptauit. Hunc fuſo ſanguine e ſempiternâ morte reſtituit: eodem aluit, eodemque ita ſibi adiunxit, vt transfuſo per eum ſpiritu in ſuæ conſortium naturæ prouexerit. Denique tantum illi dono dedit, quantum habuit, quandoquidem totum ſeſe ipſe dedit habentem.

Hactenus dona: Horum autem omnium dator Deus eſt, qui ſuæ dignitatis magnitudine dona quæcunque vel ab ſe tenuiſſima, in immenſum amplificat. Si Rex dono tibi floſculum deferat; nonne tanto magis gratus, quàm a Ruſtico accipias, quanto Regis faſtigium ſupra Ruſtici humilitatem attollitur? Deus verò, qui olim dixerat, *Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem*, vtique cum ſuis Regibus, ac populis, *ſcabellum pedum meorum*, non modò dono dedit floſculos omnes, quos hactenus terra tulit, ſuis quoque manibus, ad hoc vt nobis munus exhiberet, elaboratos; verùm etiam fructus vniuerſos, animantia, elementa, Cœlum, ſide- Magnitudo datoris.

lud ſaltem equiſſimum exequi præceptum; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tuâ*: quod tunc ſatis impletur, vbi reuocato a rebus ceteris amore, quidquid ſiue intelligentiâ, ſiue voluntate, ſiue reliquis animi viribus aggredimur, totum e diuini amoris imperio, nec aliâ, quàm Deo gratificandi, mente, procedat. Iniquum eſt autem, infinitis nominibus obæratos ex eo amore nos omnibus erogare, quem ſi totum Deo creditori tradamus, ne minimum quidem nomen delere poſſimus. Luc 10.27.

Hæc ſunt potiſſima noſtri aduerſùs Deum amoris inuitamēta; infinita amabilitas, infinitus amor, infinita beneficentia. Si quis tam ingenti flammâ nō incitetur, eum putauerim, vel illam nunquā ſibi ſeriç meditationis ope admouiſſe, vel ſenſum, ſi admouerit, præuijs impuri ignis vſtionibus hebetaſſe.

CAP. DECIMVMTERTIVM.

Totius operis epilogus, & confirmatio.

PEruenimus iam ad noſtri itineris finem: iuuat nunc illud, conuerſo vultu, oculis remetiri, vt exactos labores euaſio conſoletur. Vidimus perfectæ felicita- Primi libri ſummariū.

 ti,

ti, vitæque beatæ omnibus ſuis numeris abſolutæ, locum hic eſſe non poſſe, vbi vix miſeræ vitæ locus relinquitur. Vidimus imperfectam felicitatem, & vitæ anguſtijs accommodatam, malè inter ſpinas diuitiarum locari, peiùs inter potentiæ tela, Potentibus ipſis, non ſecus, atque alijs formidanda: nec præterea Potentium famulos ſolo eius fortunæ aſpectu beari poſſe, cuius vſu miſeros Dominos contemplentur. Vidimus nec in honore, vel famâ poſſe conſtitui, quæ aliena res eſt, & vt fortunato ſceleri blandiri ſolita, ſæpiùs infamat, quos colit. Nec in pudendâ nobis, ac pœnitendâ corporis voluptate, quæ vt Brutorum felicitas eſt, ita hominum infelix ad Bruta deiectio. Nec in humanâ ſapientiâ, vel virtute, noſtris viribus comparatâ, cum illa nihil poſſit, niſi noſtram nobis aperire miſeriam, vt apertæ ſuas exerat vires; iſta occultare alijs, vt clauſa vehementiùs vrat. Humana enim virtus, ſine peculiari Numinis auxilio parta, vt non vitia, ita nec vitiorum comites miſerias tollit, ſed tegit. Nec denique in rebus hiſce vniuerſis, quarum complexu Salomon, in quem ſingulæ ſuas comportarunt ærumnas, vel mærore contabuit, vel certè tanto cum mærore vixit, vt mortem vitæ triſtiſſimæ præoptauerit.

Summariū ſecundi. Compeſcendas proinde rerum iſtarum ſtatuimus cupiditates, quæ inſtar rabidæ prægnantium famis, multum torquent ieiunæ, ampliùs torquent

exa-

exaturatæ, quia peſſimis cibis morbum, & morboſam famem exaſperant, eamque ad acriùs mordendum irritant. Suum omnibus & priuatum, & commune remedium adhibuimus, polliciti, non interea differendam eſſe vitæ, quam quęrimus, iucunditatem, verùm ſtipendij ad modum quotidiani paulatim pugnantibus dandam, pleniſſimam, vbi fuerit debellatum, obuenturam. Similis enim cum ſuis pugnanti cupiditatibus voluptas accidit, ac de ferarum venatu percipitur: has nimirum pariter, atque illas ante primi Parentis culpam ſub noſtrâ poteſtate habuimus, quare vtraſque, vt rebelles, domuiſſe, pari nos afficit voluptate. Enimuero quale gaudium non erit, intueri ſe e iugo cupiditatum ereptum, tam ſui amore vacuum, quàm timore aliorum, vtcunque omni armorum genere circumſtrepentium? Qualis mentis tranquillitas, mortis minas non modò ridere, verùm etiã in ſpei argumentũ cupidè accipere? ſui corporis doloribus, ac periculis, tanquam infenſi hoſtis cruciamentis, atque exitio gratulari? in eculeo, in igne cantare, & cantu inſultare tortoribus, omnemque tyrannorum potentiam ſuâ conſtantiâ hebetare? Cibos, & potus paulò poſt excrementa futuros, eâ libertate corpori, quâ ſtercora arboribus, curare? ſordidis voluptatibus maiori cum voluptate carere? non irę impetu abſtrahi, non inuidiæ morſibus laniari, non vento ambitionis, aut auræ popularis ludibrium quaquauerſum leuiſſimè circumferri?

Digitized by Google

Non ſecus denique terrena, atque humana, quàm humilia, ac lutea ſublimi animo deſpicari, vnoque vultu fortunæ vices, tanquam puerorum aleas, ac luſus vel benè, vel male cadant, cernere, ac præterire?

Tertij libri ſynopſis.

Longè tamen maius oble&amentum ineſſe animo vidimus, vbi a ſuis morbis explicitus omnium ſe virtutum floribus, atque honeſtamentis exornet: nempe vbi ita iuſtitiâ niteat, vt a ſummis ſe honorum ſedibus expeti cernat, nec illas occupet vnquam, niſi fortè vt iniquitati præoccupet: ita prudentiâ polleat, vt in magnis reipublicæ negotijs adminiſtrandis more diuino ſummam attentionem ſummâ cum tranquillitate coniungat: ita fortitudinis miraculo circumſpectetur, vt circumſpectantium plauſus fortiùs reijciat: ita temperantiâ, comitate, pudore, modeſtiâ, liberalitate, ceterâque morum compoſitione a bonis omnibus laudetur, vt a malis (quod æquè glorioſum) improbari, pari cum gaudio ſe ſentiat. Vbi certiſſimâ illi fide conſtet, ſibi in Dei præpotentis filium eiuſque ſempiterni regni heredem, & conſortem adoptato, vt hæc iura adeat, præter ſuam aſſenſionem, expectandum nihil. Vbi ſpe diuinis fultâ promiſſis intelligat, ſe in eiuſdem regni poſſeſſionem paulò poſt venturum, nec morte illam amittēdam fore, ſed adeundam. Vbi denique ardentiſſimâ Dei caritate iam teneat, obuelatum licèt, Bonum illud immenſum,

at-

atque infinitum, cuius contemplatione, cœleſtis ſapientiæ lumine perfuſâ, terrenarum rerum deſideria extinguat, ac perfectiſſimo cum diuinâ voluntate conſenſu, nihil malit, quàm quæ Deo auctore contingant: cuncta non ſecus ad ſuam, atque ad diuinam voluntatem fluant, & quæ videntur aduerſa vt adiumentum ad beatam in Cœlo vitam interpretatur, ita ſolatium ad præſentem accipiat. Si Vir eiuſmodi tam compoſitus, tantis virtutibus exornatus, tantâ rerum ſupernarum opinione, fiduciâ, atque amore imbutus, ſe nobis in amicitiam, & familiaritatem adiungeret; vtique longè iucundiſſimum ex eius conſuetudine animi noſtri fructum caperemus: quanto igitur iucundius erit, virum hunc me ipſum mihi adeſſe, cui bona illa non tanquam aliena ſolo amicitię iure participare, ſed tanquam mea pleno dominatu poſſidere contingat?

Reip. à Christo instituta forma pulcherrima.

O ſi mortalibus in hoc æuo degentibus diuinitus obueniret, vt inſtitutam a Chriſto abſolutiſſimæ reipublicæ formam pro ſe quiſque aſſequi conaretur; Si nimirum Eccleſiæ vniuerſæ Magnus aliquis, exempli causâ, præeſſet Gregorius, ſi Romano Imperio Henricus, Gallico Ludouicus, Hiſpanico Ferdinandus, Eduardus Brittannico, Venceslaus, Caſimirus, Stephanus, illos dico, quos Eccleſia Romana Sanctorum faſtis adſcripſit, in ſua quiſque regna rediret: Si deinde ſingularium vrbium Eccleſias regerent, Cyprianus, Ambroſius,

ſius, Auguſtinus, Chriſoſtomus, Baſilius, Epiphanius, Hilarius; Si e populis ſubiectis ſinguli morum integritate referrent, quem ſingulis hominum claſſibus Numinis prouidentiâ elaborauit exemplar: Si Clerici Hieronimum exprimerent, ſi ſuos Monachi, ceterique religioſis votis obſtricti Parentes, atque Auctores imitarentur: Si Coniuges Henricum, aut Cunegundam, Viduę Franciſcam Romanam, Virgines Agnetem, Doctores Thomam, aut Bonauenturam, Diſcipuli Aloyſium Gonzagam, Mauritium Milites, Ioſephum Magnę Virginis ſponſum opifices, Ruſtici Iſidorum, vniuerſi denique deſignatam ſibi viuendi formam induerent; itaque eam Chriſti Eccleſiam nunc haberemus, qualem Apoſtoli reliquere omni virtutum genere florentiſſimam; quantâ pace, ac tranquillitate humana reſpublica conquieſceret? quanta ſocietatis coniunctio? quanta ex coniunctione affluentia, decus, iucunditas? Diceres militantem Eccleſiam, quaſi debellatum cum inferis eſſet, armis poſitis epinicia meditari, ac futurum in Cœlo triumphum adornare, atque inſtituere. An non ingens lætitia tunc erat, ac Cœleſtis adumbratio triumphi, quando in exordio naſcentis Eccleſiæ tanta erat mutua Chriſtianorum caritas, vt Lucas
Act. 4. 32. verè dicere potuerit; *Multitudinis autem credentiũ erat cor vnum, & anima vna*: nec intra ſterilis beneuolentiæ fines caritas detinebatur, ſed in omnia beneficentię munera procedebat. *Non enim*

in-

inquit, *quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Nec quiſquam egens erat inter illos: quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Diuidebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Tanta deinde caritas aduerſus Deum, vt quiſque diuini Spiritus igne ſuccenſus non modò ſua omnia libenti animo largiretur, verùm & ſe ipſum in ſuæ fidei teſtimonium cunctis tormentorum generibus obiectaret. Tanta denique vitæ, morumque ſanctimonia, vt non alio tunc Chriſtianæ fidei cultores, quàm Sanctorum vocabulo, vti ex Pauli conſtat epiſtolis, nuncuparentur. O tempora beata, o Seculum verè aureum, Seculum pacis, Seculum caritatis, quo *Habitabat lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabat, & vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabat eos. Vitulus, & Vrſus paſcebantur ſimul, ſimulque catuli eorum requieſcebant, & leo, quaſi bos, comedebat paleas. Et pueri, recenſque nati aſpides, ac regulos impunè, fidenterque tractabant.* Ferociſſimi nempe olim, ac rapaciſſimi quique, & qui peſtiferos angues præſtiterant, Chriſtianam induti modeſtiam ſummâ pace inter ſe, & cum ſimplicibus, & pauperculis verſabantur: neque hi illos formidabant, imò eorum rectores, ac duces erant, & domo, & victu, & corde propemodum, atque animâ communi (vt Lucas hiſtoricus memorata Vatis promiſſa

Ad Rom. 1. 7. & 8. 28. & alibi ſæpiſſimè.

Iſ. 34.

Act. 4. 32.

miſſa reddidit) mirâ vnanimitate, & concordiâ victitabant.

Priſca religio nunc maximè in religioſis clauſtris efflorescit.

Verùm, quæ Dei ſumma benignitas eſt, non ad antiqua tempora redeundum, vt hæc ſanctimonia, comeſque animi tranquillitas inueniatur. Extat adhuc, vigetque nunc maximè, atque effloreſcit priſca Religio, tametſi magnam partem religioſis clauſtris ad tutelam contenta. Teſtis ipſe ſum, meçque fidelitatis teſtem appello Deum, tantam me inueniſſe morum integritatem cum primùm in Societatem IESV cooptatus tyrocinij domum intraui, vt mihi viderer in naſcentis Eccleſię primordiâ redijſſe. Quiſque de ſuâ religioſâ familiâ paria fortè, & maiora narrare poterit; Ego, quæ de meâ, omnium ceteroqui minimâ, expertus ſum, narro. Nihil in eâ vidi, quod veterem non redoleret religionem. Summa ibi voluntatum in Dei amorem conſenſio, ſumma cuique in alterum beneuolentia, & vultu, & verbis, & rebus ipſis demonſtrata: concordia proinde ſumma, nullumque, niſi quod concordiam ipſam firmaret, certamen, ſinguli enim alijs deterrima occupare, lectiſſima obtrudere decertabant. Eadem domus, eadem menſa, idem victus, cultuſque, eademque omnibus viuendi forma, Chriſti nimirum, quem pro ſe quiſque induere conabatur. Vnum denique cunctis erat totâ die negotium, ſui animi in Dei auctoris laudem per omnia virtutum genera exercitatio:

Soc. Ieſu tyrocinium diuino ſpiritu plenū.

Quod

Quod vt planè perſpicias, placet ordinem, quem ad id perficiendum ſeruabamus, exponere, vnde ſimul intelliges, religioſis clauſtris non aditum delicijs, & conſolationibus intercludi, ſed exitum, omnemque noſtræ vitæ aſperitatem arma eſſe ad interioris pacis cuſtodiam in confinijs diſpoſita.

Summo mane poſt debitam corporis quietem vnus ex Fratribus aderat, qui *Deo gratias* altà voce pronuncians, ſomnos in Dei laudes rumpendos commonebat. Nobis verò eveſtigio ſurgentibus prima cogitatio in Deum, vt a Magiſtro docebamur, vox prima in eundem, hymno aliquo, vel prece fusâ, quę tempus induendi totum teneret, porrigebatur. Inde matutina rerum cœleſtium contemplatio in horæ ſpatium producta, quam non nulla ſequebatur eorum, quæ intellecta, vel propoſita erant, recognitio, vt iterum recuſa altiùs memoriæ imprimerentur. Meditationem excipiebat Sacrum, cui omnes intererant, & feſtis etiam diebus ſacrâ mensâ, Magiſtro operante, communicabamur: Sacro ſuccedebat publica ad pietatem adhortatio, additâ breui inter nos de auditis collatione, quâ abſolutâ, humile aliquod, atque operoſum aggrediebamur miniſterium corpori, animoque profuturum. Accedebat pij codicis lectio, ſuccedebatque ad ſemihoram inambulatio, quæ ſumptum e codice mentis nutrimentum digereret, & prandium mox ſecutu-

Eiuſdem Tyrocinij exercitationes.

rum opſonaret; præmiſsâ deinde conſcientiæ diſcuſſione ad prandium vocabamur, lectione ſacrâ æquè menti & ipſum conditum, ac palato dilutum, vt quæ animum ſenſui, ſenſum cibis auferret. Nouiſſima ante meridianas horas collocutio ad aliquod animi laxamentum inſtituta claudebat, cui tamen argumentum nullum, niſi de diuinis rebus ſupponebatur. Reliquum diei alia eiuſdem generis pietatis officia vſque ad ſomnum ſerie non interruptâ occupabant. Aderant quoque ſtatis temporibus, & publicæ, & priuatæ ad corporis, animique impetus frangendos caſtigationes: admota lateribus cilicia, vel aculeatæ catenulæ: adhibita quandoque ad ſanguinem vſque flagella: ieiunium vel commune, & conſuetum, vel ſolo pane, & aquâ contentum: publica in Triclinio culparum exprobratio: data diſcumbentium pedibus oſcula, aut captus ad eorum pedes catulorum inſtar cibus; ſtipis in attritâ, ac ſordidâ veſte per frequentiſſima Vrbis Fora corrogatio, aut per eadem actus aſellus, aut eius in ſtabulo curatio, aut ſuſceptæ aliquando in diſſita loca peregrinationes, & pedibus, & quęſitâ viritim ſtipe obeundæ, aut denique alia eiuſmodi cupiditatibus coercendis aptè excogitata ſupplicia.

Piæ ſeueritatis iucunditas.

In hâc tamen tantâ vitæ ſeueritate ea erat noſtrę mentis iucunditas, vt nullâ magis tentatione premeremur, quàm riſus, & effuſæ vltra modeſtiæ fines lætitiæ: tametſi non omnis riſus, ſed is duntaxat,

taxat, qui modeſtiam ſolueret, proſcriberetur. Hortabatur enim nos ſæpè ad alacritatem tyronum Magiſter, illud inculcans tam eſſe hanc quouis in prælio militantibus neceſſariam, quàm arma, quæ ſine alacritate non valent: quare & vultu hilari, & verbis ſuo ſale conditis ad eam ſubinde prouocabat. Nonnunquam deambulatum bini, vel terni in proximum ſuburbanum mittebamur, vt mens a parietum clauſtris laxata liberiùs erigeretur ad Supera. Quocirca tunc ſermonis materia minimè diuerſa, ſed promptiùs de rebus cœleſtibus, quaſi in conſpectu poſitis, loquebamur. Id ſolum in ſuburbano permittebatur, vt vel eburneis globulis ſuper menſam, vel ligneis in ſolo luderemus, hoc vno vincentibus præmio, vt qui victus eſſet, genibus nixus fauſta Victori precaretur, & dimiſſo certamine ſeſe imparem declararet. Erat etiam & canendi facultas, non tamen niſi laudes diuinas, quas nonnulli ſuauiſſimis vocibus modulantes ſummæ erant ceteris voluptati, vt quę cœleſtia cantica ſuauitate monſtrarent, argumento referrent. Colloquia autem tunc diutiùs trahebantur, ſed eorum, quibus ingenium fœſtiuius, eutrapelia (quæ omnis probitatis condimentum eſt) ita ſermonis longitudinem commendabat, vt vltra eius fines deſiderio producto tædium, ac ſatietatem arceret. Quidquid etiam e matutinâ vel contemplatione, vel lectione potiſſimùm ſepoſuerant, ſinguli afferebant in

Digitized by Google

medium, vt, communicatis fructibus, quiſque vniuerſorum lucris diteſceret, ac frueretur. Ridenti ore conuentum ineuntes inter nos ſalutabamus, quò mutui conſpectus gaudium, mutuum ſignificaret amorem: eundemque in ceteris rebus habitum oris idem mentis habitus exhibebat, præſtabatque: nec vnquam hilaritas ab ore ceſſabat; niſi quando ſilentio indicto ſanctis commentationibus, alijſque precibus tota reuocaretur ad animum. Rem autem nullam aggrediebamur, quam preces non dedicarent: nulla ſine precibus ibat, nulla pariter ſine illis exibat. Quæ vitæ ſimplicitas, atque innocentia mirum quantum nobis, vtcunque vulgaria, cōdiret oblectamenta, & in his ipſis capiendis intrepidos, ac ſecuros redderet, vt qui paratam, ſi quid eorum deeſſet, in amore paupertatis oblectamenti omnis vicem haberemus: clauſam enim in illâ, quaſi ſub paupere, ac diſciſſo velamento, ſempiternæ voluptatis ſpem iucundiſſimè tenebamus.

Viri principes à Christi pauperibus mendicāt ſolatia.

Quoties vidimus Principes viros, & præſertim Eccleſie Romanæ Purpuratos, dimiſſâ famulorum turbâ, priuato cultu ſeſe in ædes noſtras, aut rura recepiſſe, item noſtræ accubuiſſe menſæ, atque in omnes luſus, ac pias animi relaxationes nobiſcum deſcendiſſe: & quidem tam lætos, nullum vt ſe in omni vitâ lætiorem duxiſſe diem faterentur. Quę res iucunditatem nobis augebat, cogitantibus, non Principem conuiuam, ſed noſtra.

ſtra in noſtris conuiuijs mendicantem. Illi ſępè nobis narrabant liberioris vitę pericula, nos illis religioſę ſecuritatem: vtraque narratio vtriſque iucunda: nobis, quaſi ambulantibus in conſpectu maris; illis, quaſi nauigantibus in conſpectu terrę (quod vtrunque eſſe ſolet perquàm iucundum). Erant enim eccleſiaſtico cultu nobis propinqui nec difficile videbatur, acriùs ingruente procellâ, ad nos, vel ad noſtros mores tranſire. Illis leuamentum erat, poſitâ perſonæ grauitate priuatim nobiſcum agere, quod & raró, nec plenè vnquam euenire poterat; nobis autem ea erat quotidiana vitæ conſuetudo, cuius pretium a cupido, & egeno Principe docebamur. Denique locupletiſſimi nobis illi teſtes, imò & paradigmata erant eius, quod olim ab Auguſtino didicimus, documenti: *Feciſti nos Domine ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Exponebant enim interdum ſuæ anteactæ vitæ ſeriem, & quo pacto quàm multos dignitatis gradus optauerant, totidem aſſecuti contempſerant, quippe nec ſe in ijs inueniſſe quietem, quam ſperauerant, nec ſperare inuenturos in poſterum ſuo, alienoque vſu iam docti aſſeuerabant. Cui ſermoni illud a Magiſtro ſubiectum aliquando memini, haud eſſe culpandos gradus ſi quietem non darent, ad quam non dandam, ſed ſubeundam ſunt inſtituti: tunc demum daturi, quando de cunctis Dignitatis gradibus Cœli potiundi gratia Conf. l. 1. 11.

cal-

calcatis, ſcalæ ad ſempiternam quietem efficerentur.

Prodigi Adoleſcētis ad paternā domum reuocatio.

Vides igitur, Adoleſcens, qui tam præceps per tam abrupta vitę huius felicitatem hactenus conquiſieras, quàm deuius, quàm perditus aberraſti. Putaſti, ſi Dei parentis domum, ac diſciplinam deſereres, te melius aliquid adepturum: proinde procul ab eo mentis diſſenſione, ac morum diſſimilitudine abijſti: ſubſtantiam vniuerſam, ſiue animi, corporiſque vires ab optimo Parente acceptas in eius dedecus profudiſti, atque vndique voluptatibus comparatis, tua, teque ipſum in tam infelici negotiatione impendiſti. Quid, quęſo te, iam prę manibus habes? quid tantis dignum ſumptibus tenes? ſcilicet, *Confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti non ſeruiam*, eoque tuam te libertatem lucratum, & cum libertate te ipſum putaſti: ſed o quàm infeliciter te fraudatum vides, nam pro ſuaui Chriſti iugo, diabolicum ſubijſti, & qui Parenti Deo ſeruire filius recuſaueras, porcorum gregi, ſeu ſpurciſſimis libidinibus tuis diaboli mancipium cogeris famulari. Denique quod miſerrimum eſt, ſuauiſſimos diuinæ ſeruitutis fructus, & mercedem amiſiſti, vt de ſiliquis, quas porci manducabant, impleri poſſes, nec potuiſti. Haud enim alia e ſui corporis ſaturitate voluptas ad animum venit, quàm quæ ad paſtorem e ſui gregis paſtione, de quà illi nonniſi aſſiduus labor, ac ſollicitudo deuoranda relin-

Ier. 2. 20.

relinquitur. Perpende igitur quæcunque hactenus memorauimus cum de affluentiâ eorum, qui Deo famulantur, tum de eorum, qui ab eius famulatu receſſerunt, inopiâ: ac tu quoque in te reuerſus, qui cupiditate thraente in impuriſſimum Suem abieras, verba illa in tuum vſum compoſita ſuſpirando recita. *Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic ſame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi; Pater peccaui in Cœlum, & coram te; iam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me ſicut vnũ de mercenarijs tuis.* Mihi crede, imò Chriſto hâc te imagine inuitanti; Vix te redeuntem amantiſſimus Parens longè proſpiciet, cum cœleſtibus obuius auxilijs, quaſi protentis manibus tibi ſinum aperiet, ſupplici ad collum cadet, ac veniam rogaturum interpellabit, præterita cupidus oblitterari: amplexabitur, oſculabitur, priſtinæ beneuolentiæ, dignitati, hereditati reſtituet, tantâque lętitiâ exultabit, vt Cœlites omnes ſit ad publicam gratulationem celebrandam conuocaturus, iuxta ac ſi non te, ſed ſe ipſum, quem tui pretium dederat, recuperaſſet, ſeque Parentem in reſtituto filio reſtituiſſet. O te felicem, ſi talia inuitamenta non deſeras: Inuenies in domo paternâ, qui hactenus fame perieras, epulas illas, deliciaſque, quas ęquè mendax, ac mendicus Satanas promiſerat, iiſque & preſentem vitam ſummâ cum voluptate reficies, & (quæ potiſſima Luc. 15. 17.

volup-

voluptatis pars erit) in earum ſalubritate certiſſimum æternæ ſalutis , ſemperque manſuræ voluptatis pignus accipies.

LAVS DEO, DEIPARÆQVE SEMPER VIRGINI SINE LABE CONCEPTÆ.

Digitized by Google

INDEX
RERVM NOTABILIVM

Aduerte, Lector, Indicem hunc eſſe rerum, quàm verborum locupletiorem; proinde ſi quid ſub vno vocabulo non occurrat, quære ſub alio ſynonimo, & facilè inuenies.

A

ACademiæ de omnibus dubitãtis initia, & progreſſus l. 1. c. 8. p. 91.
Aduerſę fortunę ſolatia l. 2. c. 9 p. 209.
Adulatio contempta l. 1. c 5. p 56.
Ægidij raptus ad Paradiſi nomen l. 3. c. 3. p. 261.
Æternitatis memoria quàm acerba damnatis l. 2. c. 11. p. 231.
Alexandri M gloria quàm inanis l. 1. c. 6. p. 69.
Aloyſij Iaponis pueri in Cruce tripudium l. 3. c. 6. p. 298.
Ambitionis infelicitas l. 1. c. 6. p. 73 Vide etiam antea. in eodem cap.
Amor Dei erga nos quàm ingens l. 3. c. 12. p. 373. & ſeq.
Amoris incitamenta, amabilitas, amor, beneficia l. 3. c. 12. per totum.
Amoris Diuini, atque Humani comparatio l. 3. c. 10. p. 350. & c. 12. p. 370.
Amor Dei in damnatis cum odio eiuſdem quomodo cohæreat l. 2. c. 11. p. 229.
Amoris Platonici malitia retecta l. 2. c. 3. p. 151.
Amoris impuri damna l. 2. c. 3. p. 142. & ſeqq. Curatio p 148. & ſeqq.
Amor ſui fons omnium morborum animi l 2. c. 2. p. 134. Curatio p. 136.
Amor ſupernaturalis naturali longè vehementior l. 3 c. 11. p. 367.
Animi in Cœlo dotes quales l. 3. c. 8. per totum.
Animorum immortalitas lumine naturæ nota l. 1. c. 9. p. 103. & ſeqq.
Andronici mors maximè fœda l. 1. c. 4. p. 46.
Angelus quo pacto affectare potuit diuinitatem l. 2. c. 10 p. 213.
Antipheron ſe perpetuò cernebat, & quare l. 2. c. 2. p. 134.
Antonius Abbas cibi obliuiſcitur ad cœleſtia intentus l. 3. c. 3. p. 247. quam hilaris p. 250.
Archimedis de inuento coronę furto tripudium l. 1. c. 8. p. 87. Idem geometricis vacans occiditur l. 3. c. 2. p. 253.
Archipoetæ infelix exitus l. 1. c. 8. p. 97.
Architæ moderatio aduerſùs iram l. 2. c. 4. p 166.
Ariſtippi de voluptate ſententia l. 1. c. 1. p. 11. Idem Dyoniſio adulatur c 5. p. 57.
Ariſtotelis moderatio, & luſus in detractorem l. 2. c. 4. p. 163.
Ariſtotelis Cyrenaici dictum de amore l. 2. c. 3. p. 152.
Aulæ ſectatorum infælicitas l. 1. c. 5. per totum.
Axiomata vnde certa l. 1. c. 8. p. 93. & c. 9. p. 103.

B

BAbila Martyr cum ſuis catenis tumulari ſe mandat l. 2. c. 9. p. 209.
Beatitudo perfecta in terris haberi nequit l. 1. c. 1. p. 12. & ſeqq. Si qua habeatur, ea in virtute conſiſtit l. 3. per totum
Beatorum in Cœlo gaudia quæ, & quanta l. 3. c. 7. 8. & 9. per totum.

Benedicti cum Scholaſtica piæ colloquia quàm iucunda l. 3. c. 3. p. 260.
Beneficia Diuina quot, & quanta l. 3. c. 12. p. 381.
Bernardus luget ad menſam vocatus l. 3. c. 1. p. 247.
Bona huius vitæ Stoycis commoda, mala incommoda dicta l. 1. c. 9. p. 109.

C

CÆſaris de timore grauiter dictum l. 1. c. 1. p. 15.
Calumniatoris puniti exemplum l. 2. c. 10. p. 220.
Caracallæ in Getam iocus l. 1. c. 5. p. 61.
Caroli Spinolæ martyrium, & gaudium l. 3. c. 6. p. 300.
Centuplum in hac vita quale iuſtis etiam inter perſecutiones contingat l. 3. c. 3. p. 267. & c. 6. p. 298.
Caritas Dei, & proximi quantæ iucunditatis l. 3. c. 10. per totum.
Caritas proximi quam impenſè à Deo commendata l. 3. c. 13. p. 376.
Catharinæ Senenſis cœleſtes deliciæ, & mira de ſupernis rebus exiſtimatio l. 3. c. 11. p. 365. & ſeqq.
Chilonis laconis præ gaudio mors l. 3. c. 9. p. 340.
Chriſti reſurgentis gloria l. 3. c. 8. p. 324.
Idem manſuetudinis exemplar l. 2. c. 4. p. 168.
Conformitas noſtræ cum Diuina voluntate quam iucunda l. 3. c. 10. p. 352.
Conſcientiæ aculei in Damoclis exemplo l. 3. c. 1. p. 245.
Alia exempla vide l. 1. c. 7. p. 84.
Conſuetudo bona, malaque delectabilis, ſed quam inæqualiter l. 3. c. 1. p. 244.
Contemplationis rerum ſupernarum iucunditas l. 3. c. 11. p. 367. Eius à meditatione diſcrimen, & varia documenta l. 3. c. 11. p. 355. & ſeqq. Vide etiam ſupra c. 9. p. 336.
Contemplatio Philoſophica ad fælicitatem inſufficiens l. 1. c. 9. p. 98. & ſeqq.
Cupiditas vel minima ſi nutriatur pertimeſcenda l. 2. c. 11. p. 236.

D

DAmoclis exemplum pro conſcientiæ ſtimulis l. 3. c. 1. p. 245.
Dei amabilitas, & erga nos amor l. 3. c. 12. p. 370. & ſeqq.
Democharis Athenienſis procacitas in regē l. 2. c. 4. p. 161.
Demoſthenis de voluptate reſponſum l. 1. c. 7. p. 81.
Dignitas eſt, dignitatis pro Chriſto deminutio l. 3. c. 3. p. 264.
Diocletiani ſæuitia l. 3. c. 5. p. 287. eius domus Chriſtianis plena p. 289.
Diſſimulatio iræ remedium l. 2. c. 4. p. 160. Item dilatio p. 162.
Diuitum infælicitas l. 1. c. 2. per totum.
Doctrinæ Chriſtianæ ſanctitas l. 3. c. 4. p. 268. eiuſdem conſtantia p. 272.
Doloris leniendi ratio l. 2. c. 9. p. 203. Idem quo pacto cum gaudio in viris ſanctis cohæreat p. 204. Vide Poſſidonij de eo ſententiam l. 3. c. 3. p. 263.
Dotes corporum Beatorum l. 3. c. 8. p. 317. & ſeqq.

E

EPhremi cæleſtes deliciæ l. 3. c. 10. p. 345.
Epicuri de vita beata ſententia l. 1. c. 1. p. 11. Eid. ſola honeſtas iucunda l. 2. c. 1. p. 131.
Euangelicæ doctrinæ ſublimitas l. 3. c. 5. p. 281. Quàm latè diſſeminata p. 288. Vide Doctrinæ Chriſtianæ &c.
Euchariſtiæ inſtitutio mirum ad amorem artificium l. 3. c. 12. p. 380.

F

FAmæ cupiditas quàm inanis l. 1. c. 6. per totum.
Faſcoli ſenis lepidum de ſua obliuione dictum l. 1. c. 8. p. 96.
Fides quàm neceſſaria ad humanæ reipublicæ conſeruationem l. 3. c. 4. p. 279.
Fidei Diuinæ iucunditas l. 3. c. 2. per totū. Eiuſd. firmitas declaratur l. 3. c. 4. per totum.

Fi-

Fines bonorum, & malorum qui nam Philoſophis dicantur l. 1. c. 1. p. 9.
Fortitudo bellica ſine ſpe gloriæ cœleſtis inepta ad beandum l. 1. c. 9. p. 106.
Fortitudo vera non niſi ex timore Dei l. 2. c. 11. p. 222.
Franciſci Aſſiſiatis de paupertate reſponſū l. 2. c. 9. p. 208. eiuſd. de ſua prædeſtinatione admoniti mira lætitia l. 3. c. 6. p. 307
Franciſci Xauerij inter ſumma incommoda cœleſtes deliciæ l. 3. c. 6. p. 300. & c. 10. p. 346.

G.

GAleatij, aliorumq. ob impurum amorem infœlices exitus l. 2. c. 3. p. 144. & ſeqq.
Gaudium iuſtorum etiam inter aduerſa l. 3. c. 6. p 298.
Gentium ad Chriſtum conuerſio quàm prodigioſa l. 3. c. 5. per totum p. 280.
Gloria humana quàm inanis l. 1. c. 6. per totum.
Græcia olim orbis magiſtra l. 3. c. 5. p. 284.
Gratia Principum periculoſa l. 1. c. 5. p. 60.
Gutturis enormitas placet, vbi communis l. 1. c. 6. p. 70.

H

HErculis in biuio fabula deſcribitur l. 1. procm. p. 2.
Hiſtoria labentium rerum fluxum vt ſiſtat adinuenta l. 1. c. 6. p. 68.
Honor beatorum in cœlo quàm ingens l. 3. c. 7. p. 314.
Honoris iactura pijs hominibus iucunda l. 3. c. 3. p. 264.

I

IDololatria ſcelerum apotheoſis l. 3. c. 5. p. 285.
Impijs non eſſe pacem oſtenditur l. 2. c. 1. p. 126. & ſeqq.
Incredulitas imbecillæ mentis argumentum l. 3. c. 5. p. 280.
Indolentia quibuſd. beatitudo l. 3. c. 1. p. 239.

Inferorum ſupplicia deſcribuntur l. 2. c. 11. p. 223.
Inſani ſe vitreum credentis exemplum l. 2. c. 2. p. 135.
Inuidiæ damna l. 2. c. 10. p. 212. & ſeqq. remedia p. 216.
Iræ eſt enis turpitudo, & damna l. 2. c. 4 p. 156. remedia p. 160.
Iræ honeſtæ munus rationi tutiùs committitur l. 2. c. 5. p. 176.
Iſidorus luget dum cibum ſumit l. 3. c. 1. p. 247.

L.

LAchrimæ piorum ſuaues l. 2 c. 1. p. 131. etiam pro culpis fuſæ l. 3. c. 10. p. 346. & ſeqq.
Lætitia Martyrum in rerum omnium iactura l. 3. c. 3. p. 255. & c. 6. p. 297.
Libertas ad peccandum quare in Cœlo nulla l. 3. c. 9. p. 338.

M

MAcharij mira æquitas inrerum ſuarū iactura l 3. c. 3. p. 263.
Maledicentiæ damna l. 2. c. 10. p. 212. & ſeqq. remedia p. 216.
Manſuetudinis documenta l. 2. c. 4. & 5 per totum.
Martyrum mira in tormentis conſtantia l. 2. c. 7 & 8. per totum p. 190. Eorum ſupplicia quàm ſæua l. 3. c. 5. p. 286. numerus planè innumerus ibidem.
Medicarum rerum notitia à Salomone magnam partem deriuata l. 1. c. 10. p. 111.
Memoria humana quàm debilis l. 1. c. 8. p. 94.
Metus temperandi ratio l. 2. c. 6. 7. 8. per totum à p. 178.
Mendacij velamen tenue l. 1. c. 5. p. 62.
Mœrore confecti Principes, quàm priuati ſæpiùs obeunt l. 1. c. 4. p. 49.
Miracula ad Chriſti doctrinam confirmandam quàm multa, & quàm certa l. 3. c. 4. p. 273. & c. 5. p. 280. & ſeqq.
Monachorum in heremo lætitia l. 3. c. 1. p. 248.
Mortis contemnendæ documenta l. 4. c. 6.

& 7. à p. 178. & l. 3. c. 6. p. 305.
Mors iuſtorũ ſomnus l. 2. c. 6. p. 180. Item natalis dies p. 183. quàm pretioſa l. 2. c. 7. & 8.

O

OCcaſiones malorum vitandæ l. 2. c. 3. p. 148.
Odoris in cœlo fragrantia quàm ingens; vbi modus è terrenis Cœleſtia contemplandi l. 3. c. 9. p. 336.
Orandi numquam interrupta continuatio quomodo paretur l. 3. c. 11. p. 361. & ſeqq.

P

PAphnutij conſtantia in tolleranda calumnia l. 2. c. 10. p. 218.
Pauli ſolitarij vita beata l. 3. c. 1. p. 250.
Paſſionum animi compreſſio iucunda l. 2. c. 1. p. 124. & ſeqq.
Paſſiones animi in Chriſto, ſed edomitæ l. 2. c. 1. p. 129.
Paupertas iucunda l. 2. c. 9. p. 207.
Pax pugnam cum animi cupiditatibus non modo ſequitur, ſed & comitatur l. 2. c. 11. p. 238.
Pecuniæ laudes proponuntur, & confutantur l. 1. c. 2. p. 19. & ſeqq.
Permiſſio criminum Principi commiſſio eſt l. 1. c. 4. p. 52.
Philippi Macedonis mira iracundiæ moderatio l. 2. c. 4. p. 161.
Philippi Nerij cœleſtes deliciæ l. 3. c. 10. p. 349.
Philoſophorum errores circa vitã beatam, virtutès, ac vitia l. 1. c. 1. p. 11. & ſeqq.
Phocion populi plauſum in ſui lapſus argumentum traxit l. 1. c. 6. p. 70.
Pietas nec aufert, nec differt voluptatem l. 3. proœm. p. 6. Omnibus carnis voluptatibus iucundior l. 3. c. 1. p. 246. & 248. & c. 13. p. 394. & l. 2. c. 1. p. 131.
Pijs hominibus tam pronum beari, quàm de rebus cœleſtibus cogitare l. 3. c. 3. p. 261.
Pirrho Scepticus quid de Scientia ſenſerit l. 1. c. 8. p. 91.
Pithagoræ de mathematico theoremate inuento gaudium l. 1. c. 8. p. 87.
Pœna damni apud Inferos quanta l. 2. c. 11. p. 226.
Poeſis plus veritati ſtudet, quàm hiſtoria l. 1. proœm. p. 1.
Poſſidonij de dolore grauiter dictum l. 3. c. 3. p. 263.
Præſentię Diuinæ exercitium quomodo paretur l. 3. c. 11. p. 362.
Principum vitorum miſeriæ l. 1. c. 3. per totum: pericula, & metus c. 4. per totum à p. 37. cœleſtes minæ p. 50.
Principes viri à Chriſti pauperibus mendicant ſolatia l. 3. c. 13. p. 396.
Prodigo adoleſcenti ad paternam domum repetendam adhortatio l. 3. c. 13. p. 398.
Pugnæ bonorum iucũdiores malorũ triumphis l. 1. c. 9. p. 107.
Pyramidum Egiptiacarum authores ignoti l. 1. c. 6. p. 68.
Pygmenij ad Iulianum de cæcitate reſponſum l. 2. c. 9. p. 211.

R

RAritas cur pretiũ augeat l. 3. c. 2. p. 257.
Reipublicę à Chriſto inſtitutę mira formę l. 3. c. 13. p. 389.
Riſus effuſus melancholicis cur frequens l. 2. c. 1. p. 132.
Roberti Cardinalis de Nobilibus aliorumque pretioſa mors l. 2. c. 7. & 8. p. 187.

S

SAlomonis vita cunctis delicijs affluens, & miſera fusè oſtenditur l. 1. c. 10. per totum p. 108. Idem predicator humanæ vanitatis diuinitus nobis comparatus p. 119. Mœrore confectus moritur p. 120.
Sapientiæ donum quid, & quàm habenti iucundum l. 3. c. 2. p. 296. Vide etiam c. 3. p. 261.
Sapientiores veteribus philoſophis pueri Chriſtiani l. 1. c. 1. p. 12. Item quilibet vir ſanctus l. 3. c. 2. p. 257.
Sardanapalus ob amiſſum regnum ſe igni tradit l. 2. c. 11. p. 227.
Saul eadem de cauſa gladio incumbit Ibid

Scien-

Digitized by Google

Scientiæ humanæ iucunditas l. 1. c. 8. p 86. & l. 3 c. 2. p. 252. Eadem tamen ad huius æui fælicitatem inſufficiens p 88. & ſeqq.
Senecæ dictis plauſus fit, vt pueris loqui incipientibus l. 3. c. 2. p. 257.
Senectus in aula quo pacto parata l. 1. c. 5, p. 58.
Societatis Ieſu Tyrocinium deſcribitur l. 3. c. 13. p. 392. & ſeqq.
Socratis moderatio aduerſus iniurias l. 2. c. 4. p. 163.
Spei Chriſtianæ ad terrenam felicitatem præſidia l. 3. c. 6. per totum. Eius incitamenta ibid. p. 306. vide etiam l. 2. c. 9. p 206.
Stanislai Koſtæ cœleſtes deliciæ l. 3. c. 10. p. 350.
Stoycorum effata quàm ſpecioſa, tam vitioſa l. 1. c. 9. p. 102. & l. 3. c. 1. p. 240.
Superbiæ curatio l. 2. c 2. p. 140.
Synopſis totius operis l. 3. c. 13. p. 385.

T

TEmperantia cur *sophrosini* apud Græcos dicta l. 1 c 7. p. 83.
Tentationes diabolicas ſuperandi modus l. 3. c. 9. p. 338.
Terra punctum reſpectu cœli oſtenditur l. 1. c. 6. p. 66.
Theodoſij prudens contra iræ impetus factio l. 2. c. 4. p. 165.
Tharefię V. cœleſtes deliciæ l. 3. c. 10. p. 349.
Timor, ac tremor Dei cum lætitia conſtat l. 2. c. 11. p. 222.
Timoris vis ad fugandam fœlicitatem, quàm doloris maior l. 1. c. 1. p. 15.
Torquati Taſſij infelix vita l. 1. c 8. p. 97.
Tyrannide potentia infirmior euadit l. 1. c. 4. p. 46.
Tyrocinium Soc. Ieſu deſcribitur l. 3 c. 13. p. 392.

V

VAletudinis perditæ ſolatia l. 2. c. 9. p. 210.
Vermes lucidi ſpem noſtræ in cœlo claritatis erigunt l. 3. c 8. p. 322.
Virtus philoſophica ad huius vitæ fœlicitatem inſufficiens l. 1. c. 9. p. 101. & l. 3. c. 1. p. 240.
Virtutes morales ſine theologicis cadauera virtutum l. 1. c 9. p. 106.
Virtutis via ardua, exitus fœlix l. 1. proem. p. 3.
Vitæ mortalis miſeriæ deſcribuntur l. 1. c. 1. p. 13. & ſeqq.
Vltio non minuit, ſed auget iniuriam, eſtq. infirmitatis ſignum l. 2. c 4. p. 166.
Voluptatis via iucunda, exitus miſer l. 1. proœm. p. 3. voluptas ſolida quæ p. 6.
Voluptatis acceſſio eſt cupiditatis detractio l. 2. c. 1. p. 124.
Voluptatis corporeæ turpitudo, & damno l. 1. c 7. per totum à p. 75.
Voluptatum æſtimatio ab æterno ſupplicio ſumpta l. 2. c. 11. p. 235.

ER-

Pag.	verſ.	Errata	Corrige
37.	4.	occurrunt.	occurrant,
45.	33.	proſequi	perſequi
53.	9.	ti, propoſitum,	ti propoſitum,
53.	15.	quaſo.	, quaſo,
54.	6.	ſe de ipſe,	ſe ipſe de
82.	11.	affigendo	affingendo
94.	19.	calumniatur	calumniantur
99.	15.	vnuſquiſpiam,	vnus quiſpiam
107.	28.	arbitrio	arbitro
114.	27.	vendendec	vendentes
115.	5.	ijs	delendum
121.	1.	inulta	omnia
128.	9.	cibi	vbi
127.	1.	faciem	fatem
130.	16.	extanrauerit.	extauraueris
131.	22.	Tullium,	Tullium
136.	28.	anime	nimie
141.	4.	extimas	exiſtimas
143.	19.	facore	fecere
144.	3.	conclusionibus	conuulſionibus
157.	1.	Eo	Eo
159.	6.	fauitiam	fæuitiam
161.	8.	verum vis	verumuis
165.	6.	indicium: si	indicium. Si
168.	13.	Æneam	æneam
169.	1.	prior auſcultes,	, prior auſcultes
170.	14.	ſibila	ſibilos
189.	16.	hibimus	ibimus
189.	23.	referuauit	referauit
198.	21.	fauitiam	fæuitiam
209.	25.	i	a
214.	16.	ab Æmulis	Æmulis
217.	17.	at qui	atqui
217.	17.	i	a
220.	30.	diabole	vtraque vox ſcribenda litteris græcis
220.	31.	diaboles	
227.	5.	ſi, vt	ſic vt
227.	11.	aeatis	ætatis
239.	6.	vniuerſim	in vniuerſum.
243.	29.	dabimus, que.	dabimuſque.
247.	11.	vere	vend
248.	2.	tantum ſe	tantum enim ſe
261.	20.	uo	ſuo
262.	21.	neutrie æquè	neutrie, æquè
266.	17.	i	a
277.	20.	i	a
283.	29.	præſentationibus	præfationibus.
286.	11.	?	,
286.	21.	veneraturque	veneraturque:
289.	19.	ſanitiee	ſanitia
299.	8.	quaque	quamque
302.	24.	abſtrictiſſima	aſtrictiſſima
305.	5.	precinire	præcinere
306.	29.	vbi	vti
312.	4.	pretiſſima	pretioſiſſima
316.	12.	memor	mæror
316.	23.	tollerarct	tollerarent
319.	29.	tis contumaciam	tis, contumaciam
337.	5.	At qui	Atqui
338.	24.	ratieni	ratione
342.	20.	ſiuè in	ſiue potius in
342.	23.	perfectum,	perfectum eſt,
350.	19.	vniuerſim	in vniuerſum
358.	10.	eſtendi	extendi
358.	22.	ille	illa
360.	24.	ſue	ſua
361.	14.	vteretur.	vterentur
361.	marg.	infinita	infuſa
361.	15.	,	:
361.	17.	:	,
361.	27.	;	:
374.	26.	quoque	quique
386.	20.	paitar	parta
390.	11.	Gonzagum	Gonzagam.
391.	17.	occubabat	accubabat
393.	17.	non nulla	nonnulla
394.	5.	ante meridanas	antemeridianas.
398.	18.	putares	putaſti

Alia plura irrepſerunt errata, quæ quia faciliùs deprehendi a Lectore, & corrigi poſſunt, omittimus. Hæc etiam calamo emendari curauimus, imprimi tamen placuit, vt ſi qua eſſent per incuriam correctoris elapſa, haberetur, vnde poſſent agnoſci.

A01 1454646

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

X.XV
6 27